Digitized by Google

6
10-e
36
M
X.II
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 A
54

1608

L-10, C, 36

ORATIONES

CLARORVM HOMINVM, VEL HONORIS OFFICIÍQVE

cauſa ad Principes, vel in funere de virtutibus eorum habitæ.

Nuper in Academia Veneta primùm in lucem editæ, & nunc diligentiùs multo quàm antè typis excuſæ.

Adiectis nouis aliquot diſertiſſimis eiuſdem argumenti Orationibus, quarum catalogum ſequens pagella indicabit.



PARISIIS,

Apud Hieronymũ de Marneſ, & viduam Gulielmi Cauellat, ſub Pelicano, monte D. Hilarij.

1577.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIONVM RECENS ADIECTARVM ex ordine catalogus.

ORATIO funebris in obitum D. MAXIMILIANI RO. IMP. Friburgi habita.
ORATIO funebris Illuſtriſſ. BLANCAE MARIAE cõiugi D. MAX. IMP. ibi. habita
ORATIO funebris D. CAROLO V. RO. IMP. Viennæ Auſtriæ habita.
ORATIO gratulatoria ad MAX. IMP. Academiæ Friburgeñ. nomine.
TRIVMPHVS D. FERDINANDO I. RO. IMP. pro felicibus IMPERII auſpiciis, Academię Viẽneñ. nomine renũciat⁹.
EPISTOLA HENRICI II. Gallorum Regis, ad D. FERDINANDVM IMP. & STATVS SACRI RO. IMP. Auguſtæ congregatos.
ORATIO eiuſdem Regis HENRICI II. nomine, Nuper ibi. in Comitiis habita.
RESPONSIO ad eandem, D. FERDINANDI IMP. & STATVVM IMP.

12

ILLVSTRISS. ET

REVERENDISS. ALFONſo Carafæ, Tit. Sanctæ MARIAE in Porticu Cardinali, & Cameræ Apoſtolicæ Regenti, Domino noſtro obſeruandiſſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI QVIS vniuerſum vitæ curſum Pauli quarti, Pontificis omniũ maximi atque optimi, patrui tui, animo percurrat, ità multa reperiet, atque ità præclara, in omni genere laudis ab eo geſta, vt indè omnium virtutum egregia capi documenta facilè poſſint. Quo mirandum non eſt, ſi eum omnes boni, rectéque intelligentes admirantur, colunt, ampliſsimis laudibus exornant. nec dubium eſt, quin omnes homines, quicunque in omni ætate futuri ſunt, non modò merita illius erga genus humanum propè innumerabilia prædicẽt atque extollãt, verùm etiam piis & Chriſtianis ho-

noribus afficiant, qui conferri ſolent in eos, quorum conſiliis atque inſtitutis patefacta in cœlum via eſt, veraque ac ſolidæ felicitatis ratio demonſtrata. Natus eſt ex familia nobiliſſima, propinquis illuſtriſſimis, omníque commodorum copia circunfluens: qui cùm bona corporis nulla deſideraret, cùm theſauros poſſideret omnium ſcientiarum maximos, ita ſemper vitam traduxit, & ita cùm omnibus ſuis & cogitationibus & factis pietatem, continentiã, humilitatẽ, parſimoniãq; coniũxit, omni prorſus ambitione, honorúmq; terreſtriũ cupiditate lõgè remota, vt iure quidem omnes gentes excellentiam vereãtur ſanctiſſimi illius animi, qui ex dignitate in dignitatẽ manifeſta vi propriarũ virtutum deductus, ad illud ſolium, quo nullum in orbe terrarum ſublimius, elatus eſt. Quod vt ita eſſe conſtet, ſigna perſpicua diuinæ Maieſtatis apparent, quæ ob illius religioſiſſimam mentem altiſſimáque merita, non modò eam talem reddidit, verũ etiam incredibili proſperitate conſeruat, mentéque diuinitus inſpirat agendi eas res, quibus ſi quis præſtantiores requirat, is planè, id quod eſſe nullo modo poteſt, requirere videatur, & quanquam omnia ſint in eo glorioſa, immortalíque laude digniſſima: tamen illud excellit, planéque diuinum exiſtimatur, quod te, quem ipſe à puero ſanctiſſimis moribus imbuerat, ca-

leſtiúmque doctrinarum ſtudiis erudierat, in Cardinalium collegium, bonis omnibus exoptantibus, eximiéque laudantibus, cooptauit. quo tempore ſanctiſsimo illi ordini bonitas illa neceſſaria nō defuit, quam anteà ſanctiſsimus patruus tuus egregiè præſtiterat. Cardinalem te creauit, & in Chriſti Eccleſia plantam conſtituit, ex qua præſtantes non modò flores apparent, qui bonorum animis lætitiam & ſpem vitæ lætioris afferant, verùm etiam fructus oſtenduntur ij, quibus alantur Chriſtianæ mentes, & quibus nihil eſſe poſsit non modò ſuauius, verùm etiam ad æternam ſalutem vtilius. & iure quidem, fit vt tali dignitate decoratus, talem ſe præſtet is, qui natus in illuſtri familia educatus atque inſtitutus in ea domo, in qua ſemper viguit pietas, ſemper culta probitas eſt, totum ſe ad tãti præceptoris, tanti patris, tanti principis imitationem contulit. His te ſummis virtutibus ac tantis meritis illuſtrem, nemo iam non admiratur, non obſeruat, non etiam futurum auguratur, animóque cernit, vt ex hoc quaſi puriſsimo flumine, quod ex illo vberrimo perennique fonte manauerit, precedentibus annis irrigentur ac pingueſiant Chriſtianæ ditionis agri, vt inde poſteà fructus exorti, oblatique in ſacrificium diuinæ Maieſtati, impetrẽt ab ea & ſui populi ſalutẽ, & tuã perpetuã felicitatẽ. Cũq; te orbis terrarũ vniuerſus

egregiis animi tui bonis impulſus diligat, veneretur, mirificíſque laudibus extollat: tum verò Dei, vniuerſáque noſtra Academia, in eandem mentem adducti ſumus, quos (vt ornamentum liberalibus diſciplinis adferret, gratiámque à magnis ac præſtantibus viris iniret) collegit, & in vnum cœtum perduxit ſingulari prudentia præditus, rerum nobiliſsimarum ſtudio inflammatus, Fridericus Badoarius, in hac feliciſsima perpetuáque republica Senator inſignis, cui doctrina, rerum vſus, morum integritas, eloquentiæ præſtantia, veraq; ſtudiũ religionis miram apud omnes beneuolentiam exiſtimationemq; peperit. Noſtra conſilia, noſtræ cogitationes eò præcipuè diriguntur, vt animos noſtros formemus atque inſtituamus eruditis ac frequentibus de qualibet rerum optimarum ſcientia atque arte ſermonibus, aſsidua lectione librorum, qui penès nos habentur, de prouinciis omnibus vniuerſi terrarum orbis præclarè ſcripti: neque id ob vnam illam cauſam, vt animos tantùm noſtros, qui Academiæ noſtrã omnem operam, omnia ingenia, omniáque ſtudia dicauimus, præcipua virtutis cognitione locupletemus, ſed vt aliorum quoque vtilitati ſeruiamus, admittẽdis & Senatoribus huiuſce patriæ nobiliſsimis, & quiſquis ita virtute claret, vt, quocunq; accedat, ſecum ipſe nobilitatem afferre videatur. Noſtrum in eo ſtudium

accuratè conſumitur, vt excellentium virorum nomina ab interitu vindicemus, quorum ſcripta vel hominum iniuria, vel alia de cauſa ita latebant, vt æternæ obliuionis periculum ſubitura viderētur. Noſtra id maximè ſpectat induſtria, vt, quæ multis in libris, ſcientiis ac linguis iniqui & ſceleſti interpretes à recta ſententia deduxerunt, & ad impias opiniones perdito conſilio traduxerunt, ea puriſsimis mentibus, nihil præter ſalutem animorum ſpectantibus, ad Catholicā veritatem referamus. Etiā in eam curam incumbimus, vt eorum laudes perſequamur, literarúmq; monimentis prodamus, quibus viuentibus honor ſummus, poſt obitum ſempiterna memoria debetur. atque hoc fore ſperamus, vt multis modis conſequamur: primùm, ſcribendis peritè hiſtoriis, ipſorū merita, maiorúmq; ſuorum præclara facinora cōmemorantibus: deinde, mittēdis ad eos egregiis libris, quorum editionem cogitamus, quorúmq; nomina, ſi minùs omnia, ſaltem multa, in Summa librorum iam à nobis diuulgata, leguntur. qua quidem in re habebitur à nobis ratio diligenter cuiúſque dignitatis ac ſtudij, vt, quos ad principes viros mittemus libros, aptè ipſis conuenire videantur. Hæc magna iam ex parte confecta ſunt à nobis, quotidiéq; fiunt: reliqua, ſi diuinæ Maieſtati ſua nos benigna manu protegere placuerit, quod ab ea precamur aſ

ſiduè, agentur diligentiſſimè. Et quoniam, vt dictum eſt, id maximè curamus, vt vel noſtra, vel aliorū ſcripta eorum meritis dignitatiq́ue reſpondeant, ad quos mittenda iudicamus: illuſtriſſimo tuo nomine ſtatuimus ornare duos orationum Latinarum libros, tum à Venetis clariſſimis patriciis, tum ab aliis excellentibus ingeniis ad Pontifices, Imperatores, Reges, Principéſque conſcriptos: quorum dedicatio, ſi & ea quæ in iis aguntur, & ij de quorum laude ſcripti ſunt, & ſcriptores ipſi eloquētia præſtātes, conſiderntūr, iure tibi optimo debetur: ſiquidem & ex ea ſtirpe natus es, in qua tot iā heroes, tot Principes ita floruerunt, vt verè liceat affirmare, diuinum hunc Pontificatū non minus ab antiqua gentis nobilitate ſplendoris accepiſſe, quam dederit multis, quibus nulla maiorum gloria commendatis, tam excelſum ad honoris gradum licuit peruenire. Deinde, Cardinalis dignitate ornatus es: quæ cùm ſemper eximia fuerit, ſuóque ſplendore expetenda, tum verò tantum accepit à tuis maximis virtutibus ornamenti, vt poſſit eſſe vberrimum vel præclariſſimæ orationis argumentum. Accedit, quod harum orationum pleræque à nobiliſſimis huiuſce sereniſſimæ Reipublicæ patriciis habitæ ſunt: quorum in numero tua nunc elucet nobiliſſima & illuſtriſſima familia. quódque ſpectandum imprimis eſt, ea videtur in iis di-

cendi ratio, quam tu & à natura & à ſtudio acceptam, tuis in ſermonibus, et ſcriptis feliciſsimè oſtendis: qui, ne quid in beatiſsimo & eloquentiſsimo tuo patruo non imitareris, contendiſti omnes neruos, vt eloquentiæ theſauros poſsideres, quódque cupiebas, ita conſecutus es, vt nemo te ſemel audierit loquentem, qui non admiratione affectus incredibili, arctiſsimis æternæ in te obſeruantiæ & beneuolentiæ vinculis obſtringatur. adeò in ſuauitate grauitatéque ſermonum tuorum elucet candor, benignitas, pietas animi tui. Quæ omnia & aliis omnibus, & nobis præcipuè cauſam afferent, materiámque præbebũt operis in tua laude adornandi, multo quidem præſtantioris, quam quod nunc ad te mittimus. Petimus igitur abs te, quando talis es, & quando ità erga laudabiles doctrinas animatus, vt virtutis patrocinium ſuſceperis, virtutémque colentibus vehementer faueas, hoc primum ſummi noſtri erga te ſtudij teſtimonium benignè accipias: & ſi quid aliquando à grauiſsimis curis, quas tibi ſumma tua dignitas adfert, vacui temporis cõceditur, ſumas in manus, libentíque animo, ex his orationibus aliquam legas, glorieríſque ipſe tecum pro tua ſingulari modeſtia, quod, cùm iis, quas commemorauimus, affluas laudibus, ſtudioſe tamen pergis in via virtutis, probitatis & ſapientiæ, imitaríſque glorioſa Beatiſsimi patrui tui veſtigia, in omnibus rebus

omnibúſque & cæleſtibus & humanis muneribus ad vnum Deum referendis: vt in diuturna vita, quam tibi omnes, omni moleſtia vacuam, omnibus refertam bonis exoptant, ad vtriuſque voluntatem re declarandam, inſtrumentum eſſe poßis: atque illud pro certo exiſtimes, nullam Academiæ noſtræ ex omnibus occaſionibus optabiliorem fore, nullam omninò ſplendidiorem, aut maiori dignam laude videri poſſe, quàm quæ noſtram omnem induſtriam noſtra ad te celebrandum ſtudia conuertet.

Illuſtriſsimæ ac Reuerendiſsimæ
Dñationis tuæ deditiſsimi ſerui
Rhetores Academiæ
Venetæ.

ORATIO AD PAVLVM II. PONTIF. MAXIMVM, BERnardi Iuſtiniani Patritij Veneti.

QVanquam nihil mihi eſſe debet antiquius, Beatiſſime ac glorioſiſſime Pater, quàm vt mādatis paream *Illuſtriſſimi* Principis mei atque Senatus: vtque ea, quę mihi per legationis munus ipſius nomine agenda ſunt, referam: bona tamen cum venia, priuſquam de Repub. loquar, pauca quædam meo nomine præfari liceat, & magnitudinem lætitiæ meæ, qui te nūc primùm Pontificem Max. intueor, breuiter aperire. ꝙ ſi quid in ea re fortaſſis ab officio declinare videar, quippe qui priuata publicis anteponam: ſatisfaciam paulopòſt, vt ſpero,

Principi meo Sed interim incredibilis illa tua clementia, quæ vna cum dignitatis gloria, inſtar cæleſtis numinis, aucta eſt, in partẽ accipiet bonã, & geſtienti adhuc lætitiæ atq; efferenti gaudio indulgebit. Efficiã autẽ, ſi potero, vt, ſicut legationis munus occaſionẽ dedit priuatæ gratulationi coràm declarandæ, ita quoque priuata ratio publicũ officium omnino nõ deſerat: illud ante omnia deprecatus, ne tarditas gratulandi, officiat gratulationi: abſit enim, vt tu, qui ſemper cũctis mortalibus patientiæ, manſuetudinis, humanitatis exempla tribuis, has tam inſignes pręſtãtéſque virtutes, amplitudine Põtificatus amiſeris: atque vt minùs lęto vultu pedum oſcula impertias, quàm anteà dexterę cõſueuiſſes. Quinvide, quid mihi de tua humanitate pollicear: ſi ſeriùs ad te venio, vt tu me etiam benigniùs excipias: ille enim ſupremũs humanitatis gradus eſt, quem etiã qui non merentur, experiuntur: noli enim credere, ſi datũ eſſet ad primum huius gaudij nuncium alas (vt ita dixerim) mihi non exoptâſſe.

Annus vertitur ſecundus, ex quo ſacratiſſimæ huius Sedis altitudinem diuina prouidentia conſcendiſti. Quid primùm igitur pręd icẽ, aut admirer? ſi dignitatem

equidem non video, quid maius in terris dici aut fingi poſſit, quàm ſi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſummi Dei locum inter mortales obtineas: ſi verò potentiã, quos faſces, aut quod tribunal, quod denique diadema aut imperium cum hac cæleſti maieſtate comparetur? tibi claudere cælos, & aperire: detrudere ad inferos, atq; eruere, quoſcũque velis, datum eſt atque cõceſſum. At ſi amplitudinem malumus, magnũ quidem eſt, eccleſiã vnam adminiſtrare: longè verò prę́ſtãtius, metropolitanam: quid dicam autem, vniuerſas totiùs orbis eccleſias? vt quicquid terrarum Oceano alluitur, quod quidem Chriſtiano nomine cẽſeatur: omnes populi, prouincię, nationes, tam linguis varię, quàm moribus, cæleſtis huius paſtoris vocem moderationémque depoſcant. Verbum profectò non habeo, quo tantæ rei magnitudinẽ, ſatis digna ſignificatione cõplectar. Sicut itaq;, Beatiſſime Pater, gloriæ tuæ nullus fuit modus: ita nec profectò lætitiæ communis, ac pręcipuè meæ. An ego de tua gloria nõ lætarer? verſatur adhuc etiã ante oculos fauſtiſſimus ille nũcius, cũ Venetias appulit: audio in Senatu literas, video cõcurſus, video lachrymas omniũ, ac pręcipuè meas: cũ omnes

Matt.16.

omnipotenti Deo, vota faceremus, vt ea lætitia humano generi atque tibi, omni felicitate redundaret. Vellem animum meum vidiſſes. Notare enim affectus oratio poteſt, exprimere autem non poteſt, ſi magni ſunt. Putáſne igitur, optime Pontifex, eam lætitiam lapſu temporis exaruiſſe? quotidie refloreſcit. Dies, quæ ſolet ægris mortalium animis ſicut mœrori, ita quoque lætitiæ vires demere, addidit: & quo plus tẽporis, eo lætitiæ plus acceſſit. Nã ſi illius primi tẽporis gaudio metiri, & cum præſentibus bonis cõferre voluerimus: nihil eſt, quod dies iſtos, quàm illos, feliciores non putemus. Nũc enim ſapiẽtia regimur, doctrina inſtruimur, exemplo monemur, diſciplina corripimur, liberalitate iuuamur. anteà autẽ ſperabamus iſta, non experiebamur: nũc fructus vberes, optimóſque colligimus: vt verear interdum, ne nunc officij magis ſit, gratias agere, quàm gratulari. In conferendis autem eccleſiis, ánne aliud ſpectas, quàm virtutem atq; doctrinam? Non dico prætereà, qua prudẽtia, virtute felicitate temporale imperium adminiſtres: neq; illa dico, quo ardore ſpiritus, quibus pecuniæ ſubſidiis, ex tuo ærario depromptis, Chriſtiana regna labantia, à

barbaricis furoribus ſtabilias & tuearis. Expertus nunc eſt Hungariæ Rex:ad cuius imperium ſuſtinendum,magnam auri vim nuper trāſmiſiſti:opéſque tuas ingentes declaraſti, ad quid parares. Hæc tametſi,optime Pontifex,magna ſunt atque præclara:eximia tamen bonitas pietáſque tua, maiora nobis in dies & meliora pollicetur:imprimis autē ille incredibilis humanarū diuinarúmque rerum vſus atque peritia. Non enim tu heri aut nudius tertiùs ex priuato Pōtifex maximus, id eſt, ex primo in ſupremū euaſiſti locū: numera ætatis tuæ ab adoleſcentia annos:tot anni ferè ſunt,quib⁹ orbis terrarū gubernacula retines:nónne ſanctiſſimę memoriæ Eugenius quartus Pontifex *ſapiētiſſimus,& dulciſſimus auunculus* tuus,priùs te Cardinalem fecit,quàm ſacerdotē poſſet facere? quod nunquam feciſſet, niſi ipſe qui legū eſſet interpres & conditor, idémq; moderator, eas vbicunque moderādas intelligeret. Intellexit autē,in te præſertim,quem tum videbat iuueniles annos lōgè ſuperare ſapiētia: certè tu illi ſemper aderas, audiebas, aſſiſtebas,multa conſulebas,exequebare cōplura. Sic hauſiſti in gremio ſapiētiſſimi Principis,regēdi diſciplinam: ſic à te-

neris annis imbibiſti moderationẽ, prudentiã, cõſtantiã, grauitatẽ: quibus deinde poſſes Chriſti nauiculã, vel potiùs nauẽ omnium maximã, medijs quoque in fluctibus ac tempeſtatibus gubernare. O felix imperiũ, quod antè diſcitur, quàm adminiſtratur. Nicolaus deinde Eugenio ſuccedit. Nónne quicquid arduũ accideret atq; difficile, ſine tuo conſilio atq; opera nõ agebatur? Calliſti certè tẽporib⁹ tu vnus obtinuiſti põtificatum: certè ille nomine, tu re. Erat ille pater ſenio cõfectus: tãti negocij munus ſolus obire non poterat: ad te omnia deferebat: tu regebas omnia, in te vnũ penè omnia recũbebãt: vt, ſi ſacra profanis cõferre liceat, ille ſit Nerua, tu Traian⁹: ſin Chriſtiana exẽpla malumus, ſicuti debemus: ille ſit Petrus, tu Clemens. Pius verò, qui Calliſto

for. **mirũ.* ſucceſſit, *nimiũ quàm libenter te aduocârit ad aliquã laboris ſui partem, niſi tu paulùm cedere, & defatigatũ lõgis laborib⁹ animũ recreare maluiſſes. Quid igitur nobis expectare non liceat ab eo Põtifice, qui triũ Pontificũ quaſi gymnaſiis, & palęſtra, Pontificatus clauã per tot annos tractare didicerit? Sed cur nos etiam teſtimonio noſtro non vtimur? qui annũ & eo amplius, dies atq; noctes tecũ verſari,

ſati,eximiã prudentiã illam & vſum omnium rerũ,maximis tractãdis gubernandíſque negociis experti ſumus, pręcipuè tamen in hoc nouiſſimo fœdere,omniũ, quęviderit ętas veſtra,(ſi ſuperi fauiſſent) ſanctiſſimo,nobiliſſimo, maximo, ꝙ inter Eccleſiam Burgundúmq; Ducẽ atq; Venetum,aduerſus Turcam à Pio Pontifice confectum eſt.Erã,vt ſcis,pro patria legatus mea: Burgũdi iam legati altera ex parte conuenerãt:maxima omniũ res cudebatur. Quid multa?tu mihi dux, tu gubernator extitiſti:nihil tractaui,niſi te conſulente:nihil egi,niſi te iubente:& ꝙ tantarũ rerum moles verſabatur,vt,tametſi omnis à Senatu noſtro mihi vni facultas eſſet attributa,nullius tamen ad id negocij vires,niſi tuas,pares tanto negocio exiſtimarẽ.Sed vide nunc,Beatiſſime Pater, quid mihi veniat in mentem,& ſimul illud, quàm paruæ ſæpè res magna portendãt.Meminiſtíne, vt in illis familiaribus colloquiis tecum interdum non aduertens, loquebar quaſi cum ſummo Pontifice?ſed q̃ libẽter neſcio quomodo fallebar: cùm excuſarem, tu ſubridebas ingenuè: & me pudebat: & mirabar offendere me tam ſæpè,&neſciebã,quia ex ore infantiũ Deus perficere ſuã laudem *Pſal.8.*

interdũ ſolet. O me felicem ſi verba illa nouiſſem à Spiritu ſancto eſſe, nõ ab errore: & futurum aliquãdo, quod non intelligens vſurpabam. Proruiſſem in amplexus tuos: exoſculatus eſſem pedes illos ſanctiſſimos: faciem venuſtiſſimã, & verè ſummo Pontifice dignã adoraſſem. Poſteaquàm dies impleti, & te Pontificẽ maximum cunctis ſuffragiis declarauit Eccleſia, Senatus noſter gratulabundus me quoq; inter illum pręſtantiſſimũ florem X. legatorũ annumerauit. Suſcepi equidẽ id muneris nimia cum voluptate. Quid ni ſuſciperẽ ſplẽdidiſſimã legationem ad ſummum Põtificem, vel ad Paulũ, qui me ſemper inter chariſſimos, ſuíque nominis obſeruãtiſſimos filios, miro ſtudio humanitatis habuiſſet? nónne tu mihi Dominus, & ego ſeruus? tu mihi pater, & ego filius? tu decus meũ, columen, pręſidiũ? ſed profectò nihil eſt humanis in rebus ſolidũ ac fidele. ecce enim deſideriũ meum, inopinati & domeſtici caſus inuidia turbauit: vt longè moleſtiùs legationẽ dimittere cogerer, quàm alacriùs ſuſcepiſſem. Reddita deinde mihi mea nũc occaſio eſt, vt deſignarer iterùm legatus. Media igitur hyeme, tam alpiũ niuiúmque immemor, quàm meę imbe-

cillitatis, iter arripui. Cùm autem ad Ariminum perueniſſem, audiſti, vt opinor, quid acciderit: nēpe naufragiū in portu feci cū omni familia. Nihil omnino ſuperfuit incorruptū, vt adactus ſim renūciare ſuſcepto muneri legationis. Haud placuit Senatui. Quin iterum iam tertio deligor cunctis ſuffragiis: nouóq; edito exēplo, inſtructum neceſſariis omnibus proſequi iuſſit iter inceptum. Suſcepi, & benè, iuuante Deo, iter peregi, tā parendi deſiderio, quàm tui vidēdi omnia dehinc ſpero meliora. Dura ſæpè principia felices exitus habēt. Immēſa etenim clemētia tua, & illius ordinis, qui me miſit, rectū iuſtúmq; propoſitū, omnia maligni ſpiritus tela, fauente Deo, diſſipabit. qui quidē noſtri Senatus ordo, Optime Pōtifex, tuus eſt: totus, inquā, tuus, vel natura, vel animo. licet enim Eccleſia te puerū à nobis abduxerit, adoleſcentē Cardinalem fecerit, nūc deniq; crearit ſummū Pont. natale tamen ſolū, & illa prima cunabula, vbi natus, altus, educatúſq; es, negare nō potes. Vnde enim iſta animi magnitudo, iſta ſapientia, niſi ab illis Barbis clariſſimis maioribus tuis, & eiuſdē patriæ tuæ filiis, quorū virtute & fortitudine Adriacū ſæpè pelagus, & Tyrrhenū, &

Ioniũ,& Ægęũ,hoſtili ſanguine fœdata ſunt? Sit Roma tibi chara,vt eſſe debet:ſit Romana Eccleſia ſpõſa tua,filia tua iſtis illa nominibus contenta ſit, dum patriæ nomen Venetiis tuis relinquat,neque tu dedignabere.Deo etenim immortali honor & gloria : quandoquidẽ cæteris tuis laudibus atq; ornamẽtis,quæ innumerabilia ſunt, Veneta quoque patria nõ niſi tibi,decori eſt & dignitati. Quàm dulce autẽ patriæ nomẽ? vt Lyricus ille Romanus dicere nõ ſit veritus,Dulce & decorũ eſſe, mori pro patria. Huius tu igitur vt obliuiſcaris? hęc tibi mẽte vt excidat? aut illa te lacte ſuo nutritũ nõ recognoſcat? Audeo equidẽ dicere,Beatiſſime Pater,te cùm omnia poſſis,hoc tamen vnum non poſſe,ſi velis:ſicut neque illa quidẽ obliuiſci tui vellet,etiã ſi poſſet: quæ te velut parentem colit, velut Põtificem veneratur, vel, quod ad rem maximè pertinet, velut alumnum ſuum gloriabunda totis viſceribus cordis quaſi vlnis amplectitur nõ minùs profectò,quàm faceret dulciſſima mater tua.Ecce autẽ neſcio quo pacto illuſtriſſimæ fœminæ facta mentio, animũ meũ non mediocri teneritudine afficit.Quanta nũc enim,ſi viuat,exultet lætitia? O illã felicẽ, fratre primùm Põti-

Horatius in Odis.

Eugenio 4

fice,deinde filio : quis tale priuilegiũ ge-
minatæ huius lętitiæ,de vlla fœmina au-
diuit vnquàm?Sed vtro felicior?an fratre
quẽ vidit?an filio,quẽ non vidit? Equidẽ
feliciſſimã fuiſſe dicerẽ,ſi fructũ beatiſſi-
mi ventris, in auunculi ſolio ſedentẽ vi-
dere potuiſſet. Quid tamen inſipiẽs que-
ror?quaſi defuerit illi aliquid ad felicita-
tẽ. Nã ſi puriſſima illa anima inter cęle-
ſtes Spiritus æuũ ducit, vt ex ſanctiſſimè
acta vita nõ dubitamus: diuina profectò
fruitur viſione,&in æterno illo rerũ om-
niũ lucidiſſimo ſpeculo omnia,quæcũq;
ſunt,fuerũt, futura ſunt,limpidiſſimis o-
culis intuetur. Hinc illud Gregorij natũ
eſt:Quid eſt quod nõ videãt, qui videntẽ
omnia vident?Cernit igitur ex alto filiũ,
& ſedẽtem in alto videt. Paulus itẽ tuus,
Beatiſſime Pater,te ex eodẽ loco deſpicit
lætabundus : Paulus,inquam,frater tuus
chariſſimus, vir ſapientiſſimus , Senator
optimus ciuitatis olim noſtræ, nunc pa-
radiſi pręclariſſimum ſidus & lumen.Sed
quia tamẽ in luteis vaſis adhuc poſiti, de
terra homines terreni, figere in cæleſtibꝰ
aciem perpetuo adſpectu non poſſumus,
videtur optimo iure aliquid etiam terre-
nis affectibus cõdonandum.Demaratus
etiam Corinthius, Philippi Macedonis

amicus, cùm Alexandrum filium, profligato Dario, & Oriente deuicto, ſedentem in throno Darij conſpicaretur, lachrymans præ gaudio dixiſſe fertur: O infelices patres noſtros, quibus tale ſpectaculum videre non licuit. Ego, Beatiſſime Pater, parentes quidem tuos & fratrem, non ſanè infelices fuiſſe dixerim, qui fuere feliciſſimi: ſed magna profectò caruiſſe lætitia: quibus te non ſolùm vnius Regis ſolium tenentem, ſed totius orbis gubernacula regentem, videre non licuit. Beati igitur oculi, qui vident, quæ nos videmus: beata Chriſtiana Eccleſia, quæ à tanto Principe gubernatur: beati Chriſtiani Principes tali parente: beata membra tali capite: beatus deniquè tu, beati nos, beati omnes, qui tua beatitudine perfruuntur: niſi fortè humanus animus, vt eſt natura præteriti quidem immemor & ingratus, futuri autem nimiùm auidus & inſatiabilis, aliquid nũc etiam concupiſcit. Quęris, quid illud ſit? dicam audacter: noui enim animi tui magnitudinẽ, noui fidẽ. Quicquid Chriſtianis omnibus populis recepiſti, ſcio te dies atque noctes hac ipſa de re vigilantiſſimè cogitare. Aduerte quæſo, Pontifex magnanime, & vide quid velim. Pro-

uinciæ Chriſtianæ ferè omnes pacatiſſimę ſũt:peccata Gallia eſt,pacata Germania,Anglia,Pãnonia,Illyricũ,& (ꝙ rariſſimè accidit omnibus retrò temporibus) pacatiſſima eſt Italia: vt nunquàm ferè, ꝙ quidẽ audierimus aut legerimus,tranquilliores aut quietiores omnes extiterint. Quid ſibi velit iſta tranquillitas, neſcio:illud ſcio, nullum vnquàm tempus opportunius illi magno negocio aggrediendo,quod meditaris. Hæc tibi eſt à ſuperis reſeruata palma, vt tu conficeres aliquandò, quod omnes retrò Pontifices concupiuerunt, nemo eſt aſſequutus, hoſtis metuit, nos ſperamus. Tunc mihi feliciſſimus, & omni laude atque immortalitate digniſſimus,altiſſimum *cæli* locum meruiſſe viderere.

Dent itaque ſuperi longam diem: ſucceſſibus omnibus tuis faueant,& ſecundent: vt & nobis ſub vmbra alarum tuarum ſecuram vitam liceat agere: & tibi ſuperiores omnes Principes atque Pontifices,ſplendore nominis & cæleſti gloria ſuperare. Dixi.

AD XYSTVM IIII. PONT. MAX. BERNARDI IVSTIniani Particij Veneti oratio.

SI vnquàm anteà, Sanctiſſime & Beatiſſime pater, diuinæ prouidentiæ lumen humanis laboribus affulſit: hac profectò tempeſtate, atque his diebus, quaſi lucidiſſimum ſidus oculis noſtris apparuiſti: vt in illo altiſſimo Pontificatus ſolio conſtitutus, vniuerſo Chriſtiano generi laboranti portum ſalutis aperires. Nam cùm peccatis noſtris ità poſcentibus, Chriſtiana Reſp. partìm inteſtinis ſeditionibus vexaretur, partìm truculentiſſimarum gentium gladiis ludibrio eſſet: ecce viſitauit nos oriens ex alto, & velut excitatus à ſomno Dominus, fluctuanti nauiculæ ſuæ impoſuit gubernatorem: qui bonitate vellet, ſapientia ſciret, authoritate poſſet, tantis in fluctibus, tantóque rerum motu, magni huius gubernaculi pondus ſuſtinere. Venimus igitur, Beatiſſime Pater, oues paſcuæ tuæ, & gregis dominici pars aliqua non ſpernenda: venimus inquàm adoratum ſanctiſſimos pedes tuos, atque adeò declaratum illuſtriſſimi Principis noſtri & vniuerſæ ciuitatis incredibile gaudium & lætitiam: in cuius quidem gratulationis officio, non equidem ignoro, quæ facultas ingenij requiratur. Gaudium enim noſtrum aperire, præſertim manifeſtum, parui la-

Luca. 1. *Pſal.* 77. *Pſal.* 94.

boris : tanti verò gaudij cauſas vel omnes explicare, vel animorum ſenſibus orationem adæquare, non parui ſanè operis. Quod ſi fortaſſis, vt cupimus, non aſſequemur: erit clementię, eo benigniùs nobiſcum agere, quo ampliſſima maieſtas tua in cauſa eſt, ſi tantis tuis meritis & expectationi omnium ſatisfacere non poſſimus. Neminem enim plùs, quàm nos, pœniteat. Erit prætereà, vt opinor, huic loco non indecorum, ſi genus orationis ſequamur, Chriſtianæ pietati propius quàm gentilitati. Nam ſi vates illa Cumana apud poëtam, rem ſacram orſa, conclamauit, Procùl ô, procùl eſte prophani, quaſi eorum præſentia ſacrum illius cœptum contaminaret: quanto magìs nos Chriſtianos decet, genus electum, gentem ſanctam, regale ſacerdotium appellatos, apud ſacrorum omnium Principem, coram ſacratiſſimis Pontificibus, pro ſacro deniquè huius noſtræ lætitiæ munere verba facturos, ſanctorum patrum noſtrorum inhærere literis, prophana autem omnia, tam dicta quàm exempla, deuitare? Aggrediar igitur bona cū venia tua, & ſicut à numine aliquo olim ſolebant, ità nunc ego non aliundè ordiar, quàm vt cum

inuocem, qui te ſibi delegit veriſſimum certiſſimúmque vicarium, ipſe propitius adſit fidei meæ, ipſe pietati, vt dignum aliquid dicere poſſim hoc communi gaudio, dignum pontifice, dignum te. Quod maximè, vt opinor, aſſequemur, ſi paucis aperiemus, quàm neceſſaria fuerit hæc cæleſtis aſſumptio tua: deindè, quàm benè merita: poſtremò, quàm læta proſperaque omnia, te Pontifice, ſint ſperanda.

Vtinàm autem Principes noſtri, glorioſiſſime Pater, nimio damno ſuo non didiciſſent, quo duce aut paſtore indigeat Chriſtiana religio: nempe eo, qui & inter ouile Dominicũ pacem vnitatémque conſeruet, & aduerſus barbaras nationes Chriſtianum ſanguinem ſitiẽtes, commiſſum ſibi populum tueatur. Vndè enim tot, non dico ciuitatum, ſed prouinciarum: nec prouinciarum tantùm, ſed regnorum etiam, imperiorúmque iactura? imminuti enim ſumus ſuper omnes gentes. Queri olim ſolebãt patres noſtri amiſſam eſſe Syriam, Phœnicẽ, Ægyptum: ſpoliatos Aſia, eiectos Aphrica & Mauritania: in Hiſpaniam deincèps Maumetum auſum tranſmittere, & in Bethica nobiliſſima Hiſpaniæ

prouincia, hoc eſt, in mediis Chriſtiani populi viſceribus, perfidiſſimæ blaſphemiæ ſuæ trophęum conſtituiſſe: vt, etiam ſi diuina negligimus, pudere tamẽ oporteat, fortes ab imbellibus, viros à fœminis, homines à belluis, eſſe ſuperatos. *Serui enim noſtri dominati ſunt nobis*. *Thren. 5.* Sin verò diuino honore tangimur, quo tandèm animo ferendum, ſummum Deum à pſeudo propheta totius Orientis & Aphricæ poſſeſſione depulſum, in Europam deincèps, atque adeò in Aſiam, immaniſſimum hoſtem veluti in reliquias Chriſtiani patrimonij, *penetratũ? **penetraſſe?* Europa inquam illa, cui omnibus retrò ſeculis Aſia prædæ fuerat, ipſa nunc Aſiæ præda facta eſt. Breuẽ enim neſcio quem angulum circa *Helleſpontum* occupauêre, prorogauere deindè ſenſim aſtu atque perfidia plus quàm armis, donec aperto* mari Vrbem nobiliſſimam, ** marte.* *Ciuitatum reginam*, ſedem imperij, *Dominam gentium, principem prouinciarum*, *Thren. 1.* Conſtantinopolim ſuſtulêre. Tantorum autem cauſa malorum afferri profectò alia non poteſt, niſi quòd diſſidentes inter ſe Principes noſtri, & (quod fœdum dictu eſt) de mutua interdùm pernicie gaudentes, dum non eſt qui conciliet,

qui componat, aperuêre viam communibus hoſtibus: & qui laborantibus opẽ ferre debuerant, quaſi illorum calamitas ad eos non pertineret: ipſi poſtremò vel perfidiæ, vel deſidiæ dedêre pœnas. Atq; in hunc modum, vt ille inquit, hæreditas noſtra quotidiè vertitur ad alienos. Nónne ſic Thraces euerſi, Tribali deleti, Macedones, Acarnanes, atq; Ætoli propriis ſedibus pulſi? Noſtra erat Myſia: prodito rege & trucidato, amiſſa eſt? noſtra Peloponneſus: altero rege eiecto, altero decepto, & ipſam eripuit. Trapezuntius Chriſtianus Imperator, per fraudem imperio pulſus. Tantis igitur rerum incrementis elatus hoſtis, cùm iam nihil optaret, quod non aggrederetur: nihil aggrederetur, quod non expugnaret: perfringere tandèm inſtituit Helleſponti fauces & clauſtra, vt vacuo deincèps ſolutóque animo, per omnia maria impunè volitaret: inq; omnium gentium nationúmque perniciem, vbicunquè libido rabiéſque ferret, *in terram poſſet exponere. De Eubœa enim inſula tam opulẽtiſſima, quàm nobiliſſima, Græciæ quondàm oculo, quid dicam? quam nupèr terra ducentenis millibus, mari autem nauibus penè innumerabilibus, tormentis & machinis

Threp. 5.

**exercitũ.*

tam magnitudine, quàm numero horrẽdis expugnatã, cæſis ad vnum oppidanis omnibus, ſempiterna clade nobilitauit. Sed hæc fortaſſe hactenùs diſſimulare potuimus. Aliena videbatur agi res, pérq; luſum iocúmque audiri, quaſi ſæpiùs decãtata. Interiectũ erat Ioniũ, Illyricúmque mare pro munimento: alpes autem à Norico pro mœnibus: vt reliquum illud Chriſtiani populi quicquid eſſet, ſatîs tuto munitóque loco cõſtitutũ multis videretur. Eccè autem nuper ſuperatis alpibus, in Cęſaris prouincias impetum fecit diripuit, ferro igníqueuaſtauit: reuerténſque per Tauriſcos & Noricos, ante ipſas Italiæ fores, ante Italiæ oculos, prædam innumerabilẽ omnis ſexus, omnis ętatis, veluti victimarũ pecudúmque, trahens, iàctabundo incedebat carmine, ſe breui periculum facturum, an ſuis armis clauſa foret Italia, quę Atilę quondàm & Alarico patuiſſet. Vt benè Iſaias hæc tempora viderit, Regiones, inquiens, noſtras corã oculis noſtris alieni deuorant. Quid tum poſteà? nónne his proximis diebus idipſum de Italia experiri voluit, quod vnũ maximè omnium concupiſcit, inhiat, anhelat? Reuerſus enim ad Italię ſaltus, Italiã ipsã ingreſs⁹ eſt: Liburnos & Iſtros *Iſaiæ* 1.

nil tale metuentes adoritur: & miſeras illas finitimas regiones, quæ non minùs Italiæ nomine, quàm alpium altitudine, ſe tutas eſſe putarent, cædibus & incendiis & rapinis depopulatus eſt: vt à quingenteſimo & ampliùs anno hæc Maumetana rabies ſemèl ab Italia repulſa, iterùm Italiam iugo premere nunc audeat. Niſi fortè credimus, vt ſemèl Italici ſanguinis dulcedinem deguſtarit, nõ reuerſurum: aut non longè potentiùs atque paratiùs, exploratis iam itineribus, ad explendam ſitim non rediturum: aut vllam omninò fore credimus Italiæ partem, quæ, niſi communibus viribus hæc bellua reprimatur, non ſit illius ſæuitiam crudelitatémque ſenſura. Vide præthereà, vt, quicquid illi libet, etiam liceat. Nam vno eodemque tempore hinc Germaniç & Italiæ fines populatur: hinc in Aſiam maximis traiectis copiis, adiecta inſupèr ingenti claſſe, Chandelorum Ciliciæ oppidum maritimum, peropportunum ad eas res, quas meditatur, quadringentis Chriſtianis, qui tunc ibì præſidio erant, crudeliſſimè trucidatis, expugnauit. In omnium quidem inſularũ littorúmque ceruicem imminet. Quid mirum igitur, ſi, cùm ille tanta geſſerit, geratque: cùm

duo imperia, quatuor regna, prouincias viginti, ducentas vrbes Chriſtianis principibus eripuit, mari deniquè maximas claſſes explicare nunc cœperit? Quid, inquam, mirum, ſi totius orbis imperium ſibi deberi dicit: & , qui Orientem ſubegerit, Occidentem nunc ſibi inuadēdum rapiendúmque proponit? Eſt etiam, mihi crede, maius aliquid aliud, ad quod aſpirat: quod quidem dicere fas non eſt: ſed, Vſque quò Domine improperabit inimicus? irritabit aduerſarius nomē tuū in finem? *Pſal. 73.* Excurri pluribus, Beatiſſime Pater, quàm conſilij fuerat, miſerandas calamitates chriſtiani generis: ſed profectò longè paucioribus, quàm oportuerat, ſi id agendum deſumpſiſſem. Finiam hanc partem, ſi illud addidero, & liberiùs fortaſſe loquar, temerè tamē nō loquar: aut actum de Republicâ chriſtiana eſt, aut, quod certiſſimè credim9, tu ille vnus de cælo demiſſus: tibi vni illa palma debetur, vt arceas has belluas ab ouili Dominico: reſtituáſque chriſtiano nomini priſtinum decus & imperium. Cur autem reſtitui poſſe diffidimus, ſi ille nobis ſpē dat, qui ſicuti peccanti populo minatur, ità pœnitenti victoriam pollicetur? Cuius enim verba ſunt illa: Si dereliquerint *Pſal. 88.*

filij tui legem meam,ſi in mandatis meis non ambulauerint: viſitabo in virga iniquitates eorum,& in verberibus peccata eorum? Eccè minas experti ſumus,nimis quidem acerbas, cur promiſſis quoque
Pſal.80. non credimus: Si populus meus audiêrit me, Iſrael ſi in viis meis ambulauerit: ad nihilum inimicos eorum humiliabo, & ſuper tribulantes eos, mittam manum meam? manum,inquam,illam, quæ ſemper fuit non minùs fidelis erga filios, quàm in hoſtes terribilis. Duce te igitur, optime Pater,nobis opus erat,vt reuertemur: Pontifice verò te, vt inuitanti DEO
Heb.4. conciliaremur. Neque enim,vt ſpero,habebimus Pontificem, qui non compati poſſit infirmitatibus noſtris. Quę cùm ità ſint, incredibile eſt, Reuerendiſſimì Patres, quantùm vobis debeat Chriſtiana religio pro Pontifice, quem dediſtis, ſancto,innocente,ſapiente,&, quod maximè optandum erat,pio. Vereor autem interdùm, Benigniſſime Pater, ne, ſi de laudibus tuis aliquid dicam, pudicas aures tuas lædam potiùs, quàm oblectem: vel quia feſſæ iam ſint quotidiana auditione: quaſi dici iam nihil poſſit, quod non ſit dictum: vel quia modeſtia tua, virtutis actione contenta, mauult benè

agere, quàm audire. Vtrique autem ſic occurram: primò quidem, vt vincam, ſi poſſim, ſatietatem audiendi tuam, vel rerum nouitate, vel breuitate dicendi, alterius autem, optime Pater, niſi verear liberiùs loqui, tu in culpa es. Qui enim benè facit, benè audiat neceſſe eſt, nam comes virtuti ſemper fuit gloria: & quo magis ſpernitur, magis ſequitur. Faſilè patietur ſe æquiſſima modeſtia tua in eo ſuperari, in quo vno vinci longè præclarius eſt, quàm viciſſe. Ordiárne igitur à te, an à maioribus? Nulla enim humanæ vitæ conditio non habet laudes ſuas. Sed nunquàm ego nobiliſſimum ſolem illum ideò ignobiliorem exiſtimaui, quia à ſeipſo ſplendeſceret, & non ab alio ſidere ſuperiori: neque fontis copiam & vbertatē ideò ignobiliorē, quia à ſeipſo proflueret, & non aliundè ſcaturiret Verùm, ſicuti ſapiētibus viris placet omne principium ſuo effectu eſſe nobilius, & omnem cauſam ſuo cauſato: deniquè independens omne, perfectius eo, quod ab ipſo dependet: ſic tuæ nobilitatis initia à te ipſo fluxere glorioſiùs, vt fonte: & ſolis in ſpeciem, ſpargere potuiſſe lumen in alios, non aliundè mendicare opus habuiſſe videris. Itaque cùm

in omni Pōtifice duo maximè requirantur, vt ſcilicet verbo doceat, exēplo etiam inflāmet: vtrunq; cumulatiſſimo virtutis numero es cōplexus, vt & ſapientia mores inſtrueres, & moribus ſapientiā condecorares. Quid enim de admirabili ſapiētia tua dici poteſt pro dignitate, qui à teneris annis vſque ad hanc ætatem, nulli omninò rei niſi literis inſudaris? liberales artes omnes penitùs hauſiſti: Ius omne Pontificium tenere voluiſti: nullum omiſiſti literarum genus, cui non animum intenderis. Sic Auguſtinus, ſic Hieronymus, Baſilius, Gregorius, aliíque complures, qui profectò nō dubitarunt in omni literarum genere & ratione verſari. Sic ille Sapiens antiquior, qui de ſeipſo loquens, ità gloriatur: Ipſe mihi dedit horū, quæ ſunt, ſcientiam veram, vt ſciā diſpoſitionē orbis terrarū, virtutes elementorū, initiū & conſummationē ſeculorū, viciſſitudines rerū, mutationes morū, anni curſus, diſpoſitionē ſtellarū, naturas animantiū & herbarū. Quis igitur docet omnia hæc, niſi illæ, quibus iuuenis inſudaſti, diſciplinæ liberales? Quantùm autem conferant ad gubernationem rerum humanarū, indè perſpici licet, quod vbicunquè ſapientia cum po-

Sapiēt. 7.

tentia conſpirauit, ibi mirabile neſcio quid effici vidimus. Neque enim facilè quiſquã, vt illis tẽporib⁹, aut Moiſe eruditior, aut Salomone ſapiẽtior: quorum hic pace, ille bello, ſummã ſunt gloriam conſequuti. Pontifices autẽ noſtros enumerare ſi libeat, ſanè illi præter cæteros clariſſimi, qui in primis doctiſſimi literatiſſimíque fuêre. Nam, vt omittã ſuperiores illos numinum inſtar, quis Alexandro tertio, qui Fridericum primum: quis Innocentio tertio, qui ſecundum inſolentiùs Eccleſiæ, dignitati inſultantes compeſcuêre, imperiorum ſuorum finibus contentos eſſe fecêre: aut eruditior, aut eloquẽtior? Vrbanus quidem ſecundus tantũ doctrina & eloquentia potuit, vt concilio apud Claramontẽ in Aruernis habito, admirandis eloquẽtiæ viribus omnes Gallias ad arma conciuerit: trecentorum millium exercitũ coëgerit, ſanctas ciuitates, patriam Domini, Chriſtiani populi hæreditatẽ, incredibili gloria recuperarit. Quod vtinàm, feliciſſime Pater, tibi etiã eueniat nunc idem moliẽti. Beatas igitur ciuitates illas & regna, quib⁹ cõtigit à ſapiẽtib⁹ gubernari. Omniũ enim artifex eſt ſapiẽtia. Sed, vt ad te redeã, quicquid dicebas, legebas, audie- *Sapient. 7.*

bas, omnia dirigebas ad ſapientiam:ſapientiam,inquam,illam, quæ à Deo eſt: quæ ſicutì inter cæteras artes & diſciplinas altior ſublimiórque, & veluti regina incedit,ità ad huius altitudinem ſine illis quaſi quibuſdam gradibus aſcendi non

Rom.1. poteſt. Inuiſibilia enim Dei per ea, quæ facta ſunt,intellecta conſpiciuntur. Talia igitur iacienda nobis iuuenili ætate fundamenta,quale ędificium in ſenectute excitare volumus: & talia priuatis diſcenda nobis,qualia docenda,ſi magiſtra-

Galat.6. tus efficimur.Quę enim ſeminauerit homo,hęc & metet. Periculum enim certè nunc non eſt, ne tu à puero ſic imbutus, quid mores exigant,neſcias: quid noſtra religio,quid Chriſtianæ leges,quid fides, quid pietas, quid prælatorum officium, quid populorum neceſſitas deſideret, non intelligas:nec etiam intelligas, quo pacto labanti rei Chriſtianę ſuccurratur. Facile enim eſt,diuinis inſtructum, terrena moderari. Sed da veniam, optime Pater, vno tantùm deceptus es,qui ſperaſti poſſe in iucundiſſimis ſapientiæ ſtudiis, veluti in tranquillo portu, conquieſcere.Maius erat, quod futurus eras: maius,ad quod parabaris: moleſtius fortaſſe tibi,ſed vtilius humano generi: li-

cèt moleſtum tibi eſſe non poſſit, quod illi intelligeres neceſſarium, pro cuius ſalute tuendą, vitam etiam ipſam expendere non dubitares. Dedit enim te Deus in *Iſaie*. 49.
lucem gentium, vt ſis ſalus eius vſque ad extremum terræ. Nunc de moribus & vita, pauca ſubiiciam. Fides enim habetur non verbis, ſed operibus: neque poſſumus illi credere, qui ſibi ipſe mendax reperitur. Statim igitur à puero diuinis myſteriis à parente dicatus es: apud nobiliſſimum Minorum ordinem initiaris. Sic Samuel, ſic Hieremias à pueris con- 1. *Reg*. 2.
ſecrati. Potuítne huius ampliſſimi ſacer- *Hiere*. 1.
dotij magnitudo, à pulchriori fundamẽto conſugere, quàm vt Eccleſię tirunculus eſſet à puero, qui futurus erat totius Eccleſię maximus Imperator: vt veluti Seraphicus ille dux tuus, Dominici gregis vitia diſpulit, ità tu Barbarica tela in eum contorta diſſipares? Adoleſcentior deindè factus, patrię incunabula relinquis: venis Patauium, fama ciuitatis illectus ad ſapientiam capeſſendam: vbi pro nobilitate ingenij quàm gratiſſimè exciperis. & niſi Sauonam patriam tuam chariſſimam nobiliſſimámque inuidere verear, ſanè non minori ſtudio & amore Padue cultus, obſeruatúſque es, quàm

ſi in ipſi⁹ brachiis & ſinu naſcereris. quàm benê igitur in vtriuſque ciuitatis erga te
*pietate. * pietatem te geſſiſti, vt & Sauonam tuis natalibus, & Patauium tuis ſtudiis nobilitares: in quo moratus per xx. ferè annos nobilis alumnus legendo, orando, ſcribendo, vniuerſum orbem ſplendidiſſimis ſapientiæ radiis illuſtraſti: Incurrunt ſtudiorum tuorum illa duo admiratione digniſſima: Primum, quòd neque ipſa religio curſum addiſcendi retardare potuit: neque ardor addiſcendi vitæ tenorem inhibere: Alterum autem, quòd cùm vitæ ſanctimonia, morum grauitate, ingenio & ſapientia aliis excelleres, omnibus tamen humilior appareres. Non dicam hîc, vt te maturè patres illi ad omnes ſuas dignitates euexerint, vt ætatem honoribus viceris, honores virtute ſuperaris, vt demùm omnia ſua monaſteria per vniuerſum orbem diſperſa, tuæ fidei ſanctitatíque crediderint. Neque in eo etiam morabor, quod in hunc Senatum Reuerendiſſimum glorioſiſſimúmque, ſola ſapientia atque virtute nixus, conſcendiſti. Maiora me rapiũt: & quãquàm illa maxima ſunt, & omnibus laudibus celebranda, multa tamen præclara ingenia in tuis laudibus ſingulatim recenſen-

dis certant quotidiè, atque certabunt. Diſcedere ego mente nõ poſſum ab hoc tuo Pontificatu, quaſi nobiliſſima palæſtra, vbi vide, quid ego conſiderem. Cogor interdùm exiſtimare factum eſſe diuino conſilio, vt qui ad ſupremum in Eccleſia Dei locum regendum parabare, mores emendares, principibus præeſſes, Chriſti gloriam defenderes, illis potiſſimùm virtutibus & imbuerêre natura, & ſtudio effingerére, quæ eſſent maximè neceſſariæ ad tantum munus adminiſtrãdũ. Quid enim magis elucet in Principe, quàm liberalitas & munificentia? Pecuniam tu ſemper, vt ille inquit, ſicuti lutum exiſtimaſti: omne aurum, in comparatione virtutis, pro arena habuiſti exigua. Paſtorem enim te Deus fingebat, nõ mercenarium. Illæ tibi ſemper viſæ veræ diuitię, diuitias non appetere. quod ſi illo ſeculo feliciori, quaſi pro miraculo, quærebatur beatus ille vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris: nobis certè gloriari liceat, iã diu quæſitum tandem inueniſſe, qui mirabilium operatione rerum, quas expectamus, & nos beatos efficias, & ipſe ſis non min⁹ re, quã nominis appellatiõe, beatiſſimus. Quàm benè prętereà iũgitur huic

Sapiẽt. 7.

E

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

munificentiæ tuę incredibilis charitas & manſuetudo. Vnum de plurimis attingã. Meminiſtíne optime Pater, vt Generalis ordinis miniſter, fratrem Papiæ in ſcelere depræhenderis? depræhenſum pro aliorum exemplo punieris? vt temperare lachrymis non potueris, quin diceres, acerbius tibi, quàm fratri illud fuiſſe ſupplicium? O vocem dignam memoria ſempiterna. Quantum enim illud amabile, quod etiam puniens, ingenitæ tibi manſuetudinis non potueris obliuiſci. Quid enim parcendo faceres, ſi tam clementer puniendo miſereris? Illa enim præclariſſima obeundæ iuſtitię pars, vbi non tam ſcelus odiſſe, quàm etiam hominem dilexiſſe videri poſſumus. Pulchrè igitur in

Matth. 5. te illud Euangelicum impletum eſt: Beati mites, quoniã ipſi poſſidebunt terram. Cæterùm quis hoc credat? excellentiam animi & humilitatem, magnitudinem & manſuetudinem, contemptum omnium & affectum, in vno eodémque animo ſociari potuiſſe? Sapientia, virtúſque tua fœderare potuit omnia hęc: Sed immiſcere laudibus tuis ſpes etiã noſtras, iam tempus eſt, & maiora nunc aggredi. In Deum etenim immortalem eximia tua pietas manſuetudini adiuncta, mirificè

nobis repręſentat illiꝰ magni ducis ima- *Num.12.*
ginem: quem ſicuti mitiſſimũ ſuper om-
nes mortales ſcriptura prędicat,ità nimi-
rùm diuini honoris amore flagrantem:
qui cùm orabat,Domine,aut dimitte illis *Exod. 32.*
hanc noxam,aut dele me de libro, quem
ſcripſiſti: plus tamen de diuino honore,
quàm de populi ſui ſalute cogitabat: ne
fortè arguerent Ægyptij Dominum cal-
liditatis & aſtus,quaſi illi populo Domi-
nus fugam ex Ægypto ſuaſiſſet, non vt à
ſeruitute liberaret,ſed vt perderet eos fa-
cilius in ſolitudine. Tu verò dux noſter
& pater,quem expectauimus, in quẽ reſ-
picimus:obſecro te, quid aliud noctes &
dies ingemiſcis?quid ante Deum poſitus,
aliud in oratione deploras,niſi peſſunda-
ri diuinum honorẽ? & vt inquit prophe- *Iſaiæ 52.*
ta,iugiter tota die nomen Domini blaſ-
phemari?Blaſphemant hoſtes, qui pecu-
liaris vineæ tuę delicias immaniſſimo
furore proculcant:blaſphemant filij, qui
quaſi derelicti, de parentis ſui bonitate
deſperant, niſi quod tu es iam omnium
reliqua ſpes,tu expectatio:in te omnium
ora oculiſque cõiecti:audiũt ſapientiam,
vidẽt ſanctitatem,liberalitatẽ,clementiã
magnitudinẽ animi, pietatem in Deum,
charitatem in omnes. Quæ quidẽ omnia

cùm audiunt, non poſſunt de te ſibi niſi omnia magna ſalutariáq; polliceri. quid? illud ſanctiſſimũ decretũ, quod Generalis deſignatus edixiſti, nónne fuit quaſi ſpécimen aliquod, piiſſimi animi tui argumentũ locuples, quãtum etiam, ſi poſſes Chriſtianã rẽ iuuares? Nam cùm dolore nimio afficereris, hinc aſſiduis cladibus Chriſti populum exinaniri, diripi ciuitates, templa dirui, virgines & pueros ex parentum amplexibus ad libidinẽ euelli: ſenes innocuos, nec predicio nec libini ſatisaptos, mactari quaſi pecudes: quid ageres, cùm hæc videres? autem ex videre alia parte, ſæuiſſimę huius bellųę trucem formidãdámque potentiam quotidie latiùs excreſcere: remedia autem alia tunc tibi non erant, non arma, non milites, non copiæ: quod reliquum fuit, confugis ad diuinam opem, vnicum tunc tibì & ſingulare pręſidium. Statim enim edicis per omnes tuas Eccleſias, vt quoties diuinæ Horæ dicuntur, totiès pro Chriſti bellatoribus ſupplicatio fiat. Quid potuit amplius inermis aduerſus armatos, quàm qui ferro non poſſet, lachrymis & oratione dimicaret? velut ille nobilis Pontifex, qui dicebat: Aduerſus arma militéſque Gothos, Lachrymæ

meæ mea ſunt arma. Itaque hoc inſtituto facile declaraſti, affectum animi benè cupientis, adeſſe tibi, vires deſiderari: cæterùm neque vires etiam defuturas, ſi modò exoraretur ille, qui, quando vellet, non minus vires addere poterat, quàm animum antè potuerat, cùm voluiſſet, penetrat autem nubes ipſúmque cælum aſſidua iuſti ſupplicatio. Eccè enim exoratus iam Deus eſt: eccè nunc vires additæ: authoritas autem omnium maxima tibi cælitùs collata. Mutauít ne, quod interdùm ſolet, immutabile deſiderium tuum fortunæ mutatio? Quin noua te nuper obſtrinxiſti fide. Dediſti enim arrham pietatis tuæ: voti tui ſignum gentibus omnibus extuliſti. Vix fuiſti *Pontifex* ſalutatus, cùm tu theſauros Eccleſię, vel eorum precium in fidei defenſionem promiſiſti, vt antè penè eos aſſcripſeris, quàm poſſederis: licet tũc tui verè eſſe cœperint, cum tu primùm illos eſſe voluiſti tuos. Pius Secũdus glorioſiſſimæ memorię, quem magna parantem, pulchra molientem inuida mors oppreſſit, cùm deſignatus eſſet Pontifex, oblati ſunt ei ad ſpectaculũ theſauri à Põtifice de mortuo relicti, quaſi magnũ q̃ppiã & viſu pulcherrimũ, vbi oculos depaſceret.

Eccl. 35.

at diuinus ille vir videre noluit: Auferte hinc, inquit, citiùs enim expendemus, quàm alij congeſſerint. O magnum Principem, & vita longiore digniſſimum. pace tamen illius dixerim: non tu mihi vidéris inferior animi magnitudine, qui illum auri gemmarúmque fulgorem & ferre potuiſti oculis, & contemnere animo, recenſere pariter & negligere. Sed, ſi mihi liceat inter tanti nominis Principes dirimere hanc litem, ille fortaſſe cautior, qui noluit videre: tu certè animo celſior, qui tam potuiſti ſpernere, quàm cernere: ſi tamen illud ſpernere eſt, tam nobile precium, rei omnium ſanctiſſimæ & imprimis neceſſariæ accommodare. Pulchrum erat videre illum ſplendorem, ſed te magna meditantem longè ſpecioſius: pulchrum audire laudantes, & precium ſingulis ſtatuentes: ſed longè pulchrius, quod animo verſabas, quantum ſcilicet in armatos, quantum in munitiones, quantum terra, quantum mari parandum eſſet. Sed quid ego diutiùs de theſauris iſtis loquor, cùm in ore ſemper habeas, nedùm tua omnia, verùm etiam teipſum pro Republica Chriſtiana deuouiſſe? Videte quid poſſit exemplum. Cu-

piebant quidem antea fratres tui, ſem-
pérque cupierant: ſed tunc incenſi ſunt
quaſi legati tui, duces tui, ad ſui Impera-
toris ardorem & ipſi opes ſuas offerre,
omnia polliceri, ad victum vſque ipſám-
que vitam, ſi neceſſitas exigeret. O te bea
tũ, cui certatim fortuna virtúſque tua pro
gloria tua contendũt. habes enim, quibus
plura deſiderare non poſſis. Germania
nunc ardet belli gerendi ſtudio. Quid a-
pud Ratiſponenſem conuentum nuper
decretum ſit, intelligis: omnes ad arma
conſpirant: non poteſt Cęſar tantum de-
decus ferre: ſumere arma volunt: vlciſci
volunt vel communem, vel priuatam in-
iuriam. Quid ſi authoritatem adiunxeris
tuam, vtrúnque gladium ambo ſtrinxe-
ritis, & veluti coniunctis ſignis hoſtem
hunc perſequamini? Hæc ab Occaſu, ver-
te nunc oculos ad Orientem. Vidéſne, vt
trans Tauri iuga ab Caſpiis vſque litto-
ribus moueantur vltimæ nationes in au-
xilium piiſſimæ cauſæ tuæ? Tanta eſt hu-
ius te terrimi hoſtis perfidia, tanta cru-
delitas, vt eum iam gentes omnes pro
communi hoſte habeant, qui ſit totius
humani generis crudeliſſimus inimicus.
De Italia verò tua nil dicam amplius
iuncta tibi fœdere eſt. Cùm ſignum

dederis,propoſitúmque tuum certum omnibus feceris, non dubito,quin habeāt omnes & diuini honoris, & proprij periculi, & officij ſui rationem. Quòd ſi iſta non moueant, ne illud quidem tot clariſſimos Principes mouebit, veterem illam Italię bellorum armorúmque gloriam, Barbaris illis nationibus imperitare ſolitam, ad Aſiaticum neſcio quem Phrygem aut Cappadocem,omnis diuini & humani iuris expertem,ſine fide, ſine virtute, ſine humanitate, tanto cum dedecore eſſe tranſlatam. Ecce iam Ferdinandus ipſe Rex Chriſtianiſſimus fortiſſimúſq; ferre non potuit: in armis eſt, bellum hoc glorioſiſſimum ſpontè ſuſcepit,fidei zelo,non iniuria,commotus. Idem cæteri facient: pari ardore concurrent. Hactenus potuit vel ſuſpicio, vel cupiditas dominari: nunc tua lux fugabit illas tenebras. Omnium principum mentes clariſſimo cōcordiæ lumine perfudiſti. De nobis autem, maxime Pater, pulchrius eſt tacere, quàm loqui: ne laudes noſtras ſatis alieno tempore agere velle videar. Loquentur fortaſſis omnia ſecula,validiſſimos exercitus,potentiſſimas claſſes, quibus cùm anteà multis in bellis cum hoc hoſte,tum verò hoc

nouiſſimo maximóque, per octo & amplius annos, opibus corporibúſque noſtris rem Chriſtianam ab hac truculentiſſima rabie, quoad potuimus, tutati ſumus. Reſpice nunc quid velim. Nã ſi vniuerſam hãc belli molem ità per nos ipſi hactenus, auxili te nullo, ferre potuimus vt vſque ad Eubœam amiſſam plures intulerimus hoſti clades, quam acceperimus: tu verò, ſi hoc bellum excelſo, vt facis, animo ſuſceperis, alios Principes monueris, vndique auxilia contraxeris, terra maríque arma intuleris, à fronte, à tergo, à latere hoſtem perculeris: dubitáſne, quin liberatis tandem ab hoc teterrimo iugo Chriſtianorum prouinciis, non tam deinceps de Europæ, quam de Aſiæ atque Africæ poſſeſſione certetur? Quam gloriam tuam vt his oculis aliquando hauriam, libenter cum hac animula vel per ipſum ſanguinem profundenda depaciſcar. Dixi de gratulatione, Beatiſſime Pater, quæ dicenda erant, pauca quidem pro magnitudine rerum dicendarum, pro temporis verò tui ratione nimis fortaſſe multa.

Reliquum eſt, vt exoluamus, quod nobis propriè hac legatione ab Illuſtriſſimo Principe noſtro atque Senatu eſt

demandatum. Nam cùm memoria repetunt, hanc Sedem illam fuiſſe, quę à primis noſtrę religionis exordijs ſuper ſoliſſima petra fundata fuerit, non humano conſilio aut ſapientia aliquandò delecta, ſed ipſius Domini noſtri IESV CHRISTI diuino ore declarata, Apo-
Matt.16. ſtolorum ſuorum Petri & Pauli ſanguine cõſecrata: in quam irruere quidem vẽti, turbinéſq; poſſint, fidem verò loco mouere nõ poſſint: cúmq; prętereà legerint, quid Anacletus, Gelaſius, Leo, Gregorius Stephanus, Nicolaus, quid multa denique vniuerſalia Concilia de huius ſacroſanctæ Sedis authòritate, excellentia, poteſtate & ſenſerint, & decreuerint: nunc te præthereà videant huic glorioſiſſimæ Sedi Antiſtitem delectum, illis ſuperioribus ſanctiſſimis Põtificibus legitimè ſucceſſiſſe: ad te delatas eſſe regni cę-
Matt.16. leſtis claues illas omnipotentes: tuæ denique fidei, tuæ diligentiæ dilectiſſimam Chriſti ſponſam, totius orbis Eccleſiam, eſſe commiſſam: cũ hæc inquam omnia viderent, miſêre nos legatos ex
patrioq; veteri*primóq; inſtituto, vt tuæ Beatitudini humilẽ deuotámque obedientiã ſuo nomine deferamus: te primũ Paſtorem ſummũ Sacerdotẽ, Põt. MAX. Petri ſucceſ-
ſorem,

ſorem, Chriſti Vicarium omni cultu venerationis & reuerẽtiæ perſequamur, nihil erit præterea illis antiquius, nihil iucundius, quã deſideriis tuis obſequi, dignitatem amplitudinémque tueri tuam. Nam ſi omnipotẽti Deo, & non viribus noſtris aut virtuti acceptum ferimus, quicquid priuatim vel terra, vel mari poſſidere contigit, Dominus enim vniuerſorum ipſe eſt: Itémque alibi, Regnũ in manu eius, & poteſtas & imperium: quo tandem pacto ſatis in eum grati eſſe poterimus, ſi illi omnia aperta non erũt, quem ſuum in terris ductorem, ſuum Vicarium, cæleſti pariter & terrena dignitate conſtituit? Hoc ſenſêre maiores noſtri: hoc ipſi à parentibus acceperunt, qui multa bella *ſuſceperunt* pro Eccleſiæ dignitate tuenda, maxima pericula adierunt, opes abſumpſerunt, ſanguinem profuderunt: hoc nos ab illis cum lacte ſuximus, & ingenitæ noſtræ pietatis nõnullum etiam argumentum, vt opinor, edidimus. Tibi igitur ante pedes deponũt quicquid opibus valent, quicquid imperio terra maríque pollent: ciuitates, oppida, inſulæ, claſſes, exercitus, opes, tuà ſunt omnia: vtere ipſis: fac, cùm vis, periculum: reperies profecto nec

ingratos in Deum, nec degeneres in patriam, nec in promiſſo fallaces: ſed præſenti animo, conſtantíque fide ſemper erunt, ré atque opere, quàm verbo & oratione, veriores.

AD INNOCENTIVM VIII. Pont. Max. Hectoris Fliſci, Genuenſium Reip. oratoris, oratio.

NEMO admirabitur, Beatiſſime pater, ſi inter hos duodecim oratores, per tuam Genuenſem Remp. ad te miſſos, ego ætate, ingenio, authoritate multò inferior, coram te Chriſti vicario, tuóque hoc diuino, admirabilíue tantorum patrum cœtu, hodierna die de ſummis rebus aliquid etiam pro virili dicturus: pauens, trepidus, totúſque perterritus adeò contremiſcam, vt palleat facies, vox titubet, lingua balbutiens faucibus adhæreat. Nam ſicut immortalis Dei adſpectus in oculos humanæ fragilitatis, tanquam fulgur egrediens, adeò ſplendet, quod neminem, qui vixerit,
Exo.l.33. Deum videre potuiſſe ſacræ literæ atteſtentur: ita Celſitudinis tuæ maieſtatem illius diuini numinis ſplendore corruſcantem, imbecilles oculi mei, velut

nycticoracis, ſolis radios nequeunt tolerare. Verum me, per ſe excuſabilis, parendi neceſſitas cogit. Recreat autem atque reficit conſiſtorialis nuperrimè aduocationis meæ, & aliquando tecum priuatæ conſuetudinis recordatio: ſed ante omnia, ſumma ac admirabilis erga omnes clemētia tua, qua ætatis noſtrę nemini cedis: & quæ vna inter innumeras virtutes tuas adeò ſplēdet, vt exiſtimem veniam mihi facilè concedendā, ſi quid minùs ornatè, minus accuratè, diſertéque dixerim. Atque illud imprimis mihi lætādum iure eſſe video, quod in hac iniuncta mihi hodie ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe poteſt. In quo enim ſublimius atque iucundius mea verſari poteſt oratio, quàm ſi, quod primum eſt, te Pont. Maximo, gratulandum ſit de ciuis ſui ad ſummi Apoſtolatus apicē aſſumptione? inde, ſi de Apoſtolicæ Sedis laudibus, tuíſque ampliſſimis virtutibus loqui voluero? poſtremò, ſi quos fructus Chriſtiana Reſp. ex hoc tuo Pontificatu ſperare poſſit, aliquid attigero? quæ omnia tanti ponderis, tantæque magnitudinis eſſe reor, vt non hominum, ſed vix angelorum linguis explicari queant.

Verum quia & philoſophi ſententia, & vtriúſque iuris cẽſura monemur, nihil dici oportere, quod vel ratione, vel authoritate non probetur: opera precium eſſe ſentio, priuſquam dicendi campum ingrediar, percontari; an ad Apoſtolatum aſſumpto gratulari deceat, & coram laudes eius enarrare: Scio enim conſuetudinis eſſe fermè omnium, qui ad tuam Sanctitatem legationis officio primum accedunt, vt orationem habeant, gratulationem ac laudes continentem. Scio prætereà nonnullos adeſſe, qui morem hunc non probent: & alterum, hominis parum conſideratè loquentis: alterum, adulationis vitiũ eſſe cẽſeant. Quid enim, inquiunt, ei gratuleris, qui ad immenſos animi corporíſque labores, ad
2. Cor. 11. maximas curas, ad diuerſarum gentium regimen, ad ſolicitudinem omniũ Eccleſiarum, &, quod his maius eſt omnibus, ad difficilem & periculis plenam eſt ſeruitutem aſſumptus? Rectius tali viro, tanta rerum mole oppreſſo, condolendum & compatiendum eſſe dictitant. Poſtremò commemoratis malis omnibus, quę huic paſtorali dignitati neceſſitate quadam coniuncta ſunt, ea proculdubio & innumera, & maxima eſſe, & Siſyphi

ſaxum voluere Pontifices prædicant: & ob id gratulationis munus abhorrent. Mea tamen ſententia non eſt ei gratulandum, qui locum hunc ambitione poſſideat, qui communi omnium ſtultitia feratur atque errore, vt ea optima ducat, ad quæ velut ampla & ſpecioſa, mortalium fertur ambitio: qui Epicureorum ſecutus errorem, felicitatem in voluptate conſtituat: huic ſanè conuenit, quod moralis ille Seneca veriſſimè *Seneca.* ſcribit: Magna fortuna, magna ſeruitus. Multipliciter quippe, teſte Ariſtotele, *Ariſtoteles* hominum natura ſerua eſt: ſed eorum ſeruitus miſerabilior, qui ad maximas dignitates euecti, vitiis & voluptatibus inſeruiunt, & proprij corporis ſunt fœda mancipia. Sed ſi de iis loqui velimus, qui ambulant in viis & in lege Domini: qui non, quod libeat, ſed quod deceat, *Pſal.* 118. ſpectant: qui non in voluptate, ſed in virtute felicitatem conſtituunt, iis cenſeo congaudendum. Etenim virtus eſt, vt Ariſtoteli placet in Ethicis, quæ promptam ac delectabilē elicit operationē: & virtus ſine operatione mortua eſt. hinc Imperator noſter Iuſtinianus, libro xij. ſui codicis, milites, qui à Repub. aluntur, frequentius in acie imperat exhiberi,

vt armorum quotidiano exercitio ad bel
la ſe præparent. Nec medici, nec Oratores
nec Imperatores, quanuis artis præcepta
didicerint, quicquam magna laude
dignum abſque vſu & exercitatione conſequi
poſſunt. Cur igitur ei non con-
Iacob. 1. gaudeas, qui, iuxta Iacobum Apoſtolum,
gaudium exiſtimat, cùm in varias
inciderit tentationes? cui vita omnis
gaudium eſt, cùm rectè ad naturam viuat,
qui & ſecundis & aduerſis rebus
euadat melior atque perfectior. Huic
ſanè potiores ſunt Herculis ærumnæ,
ſæuíque labores, Et Venere, & plumis, &
cœnis Sardanapali. Tibi igitur, clementiſſime
Pontifex, qui ab ineunte ætate,
& totius antè actæ vitæ diſcurſu ità vitam
inſtituiſti, vt non in voluptate &
ocio: ſed in laboribus, virtute, continuóq;
negocio glorieris: prote, pro tua virtute
congaudemus, congratulamur, & applaudimus.
Nec ſera quidem accuſabitur
gratulatio noſtra, quæ nulla negligentia
prætermiſſa eſt. Scimus enim Beatitudinem
tuam non ignorare, nobis veniendi
non voluntatem, ſed facultatem defuiſſe:
cùm tandem neceſſarium fuerit
nobis Legatis ad hanc ſanctiſſimam Sedem
adorandam venientibus, mari, hy-

berno tempore, nauibus etiam onerariis
huc traiicere. Congaudemus tibi præ-
tereà. Nam vt Vlpianus Iuriſconſultus
lib. xxxvij. ff. ſcribit, Ipſa naturali lege
non minus patriæ naſcimur, quàm pa-
rentibus. Iure autem gentium, vt Pom-
ponio placet, nedum patriæ, priuſquàm
parentibus, parendum: ſed tutelæ pro-
prij corporis, ipſam quoque patriam eſ- *l. poſtl. m.*
ſe præferendam. Ciuili verò iure, vt ait *§. fili u. ff.*
Paulus, diſciplina caſtrorum pro patria *de capt. &*
antiquior fuit parentibus Romanorum *poſtl. reu.*
quàm charitas liberorum. & Marcellus
memorat libro xj. ff. Minimè lugendum
maiores putauerunt eum, qui aduerſus
patriam venerit: quem ſi filius patrem,
aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere
non puniendum, ſed præmio afficien-
dum omnes conſtituerunt. Poſtremò
lex Euangelica, noſtros licet doceat di- *Matt. 5.*
ligere inimicos: hoſtes tamen patriæ *Deut. 20.*
nedum non diligere, ſed, ſi incorrigi-
biles ſint, necare iubet. Horum non
immemor, philoſophorum Princeps
Ariſtoteles Stagirita, dum apud Philip-
pum Macedonum Regem eius eſſet au-
thoritatis, quod nec dimidiũ regne* ſi-
bi denegare Philippus inſtituiſſet, (nam **ei*
& regni, & vnici filij Alexãdri cura* ſibi

credebatur) nullum maius beneficium à rege conſequi poſſe exiſtimauit, quàm vt Stagiram ſuam patriam euerſam reſtitui aſſequeretur. Inde legem & formam ſuæ Reipub. ipſe deſcripſit: qua poſtmodum ſua ciuitas vſa eſt. habuítque, licet abſens, ſuæ patriæ diligentiſſimam curam: vnde ciues ſui ob hæc merita tanto in honore illum habuêre, vt feſti dies & ludi quotannis, & eo etiamdum viuente, faciendi illi publicè dicarentur. Feſta ipſa celebritas, Ariſtotelea nuncupata. Cato denique Romanorum ſapientiſſimus, dum de ſuæ reipub. ſalute deſperâſſet, non amplius ſibi viuendum exiſtimauit. Cùm itaque naturali, gentium, ciuili, & Euangelico iure, omníque ſapientiſſimorum virorum exemplo, patriæ magis debeamus, quàm parentibus, quàm filiis, quàm nobis ipſis: quid eſt, quòd in tanto, tam grandi, tam ęquo, tam opportuno patriæ gaudio, à maxima temperes iucunditate? Ex hoc enim immenſo Dei beneficio tantum tua patria exultauit, vt nemo ſit, qui viderit vllo tempore rem ei nunciatam, quæ iucundiùs ac maiore omnium gaudio ſit excepta. Conſternatis nempe tuorum ciuium animis obitu feliciſſimæ recordationis Xyſti præceſ-

5. bel. ci. cap, 62.

ſoris tui, & Romanæ Eccleſiæ ſciſſuram
verentibus, (cùm omnia armis agi vide-
rentur) nouum ſidus oriri viſum eſt, pro-
culdubio cælo demiſſum: quod tantam
rerum mutationem ipſo nuncio effecit,
vt natalem diem non homines modò,
ſed iumenta, parietes & ſaxa celebrare
credidiſſes. Affulſit hæc lux omnibus
Chriſtianis, fateor, ſed patriæ tuæ potiſſi-
mum: quę & ſi dono Dei Pontifices ma-
ximos plures ex ſuo ſecundum carnem
ſanguine ſuſceperit, Innocentium illum
quartum ciuilis & Canonicæ ſcientiæ il-
luſtratorem eminentiſſimum: qui non
modò Genuenſium gloria, ſed totius or-
bis & terræ decus & lumen fuit: & cuius
ea fuit animi ſapientia & magnitudo,
Principum maximè ſecularium, Roma-
næ Eccleſiæ aduerſantium, deprimendo
potentiam, grauium verò virorum, lite-
ris ac moribus ornatorum, ſublimando
virtutem, vt Apoſtolicę Sedis authoritas
eiſdem principibus Auguſtali quoque
dignitate fulgentibus, ſuo tempore for-
midini eſſet, quibus anteà ludibrio fue-
rat. Itaque ſolus omnium, vt puto, Pon-
tificum, duo maxima munera & diffici-
lima adimpleuit: vt in Rep. orbis terra-
rum moderatrice occupatiſſimus, me-

liora ſcripſerit, quàm excellentiſſimi Iuriſconſulti in ocio ſolóque ſtudio viuentes: & rurſus ſtudio, libris ſcribendis, legibúſque condendis maximè occupatus maiora negocia obiêrit, quàm hi, qui vacui ſunt ab omni cura literarũ. Adrianum deinde quintum, præfati Innocentij ex fratre nepotem, qui patrui veſtigia imitatus, ſicut literatorum virorũ amator fuit & cultor, ita ab eis extitit ſummis honoribus celebratus. hic Adrianus ille Pontifex fuit, cui Otobono Cardinali Guliermus *Duranti ſpeculum, aureum opus dedicauit: & Ioãnes Andreæ, cui Vas Canonum, nomen eſt, Speculatoris & aliorum doctrina excellentium virorum ſpem ad Cardinalatum, cum ipſo Adriano ante coronationis diem *functo, ſepultam fuiſſe ſcribit. Et cuius etiam maximis conatibus, in tuendã à tyrannis Romanæ Eccleſiæ ditione, mors obſtitit inuida & immatura. Nicolaum etiam quintum ſacræ Theologiæ peritiſſimum, quo in cõcione cum Græcis habita in Synodo Ferrarienſi, catholica fides nullum habuit maiorẽ defenſorem: Xyſtum pariter proximũ præceſſorem tuum, qui vltra literarũ ſtudia tantæ fuit animi magnitudinis & gloriç,

*Durãdi.

*defuncto.

vt nemo æquare eum ſua ætate crederetur. Te verò nunc cernimus, Innocenti Octaue, omnium, quos anteà tua patria edidit, Pontificem digniſſimum : quẽ diuina bonitas eo tẽpore nobis dedit, quo Chriſtiana Reſp. bono rectore, auriga, & moderatore quàm maximè indigebat: & Italia præſertim, quæ diuturnis fluctibus agitata, non ampliùs ſine tali Paſtore quieſcere poſſe videretur. O ineffabilem Dei pietatem, quæ nunquam deſerit ſperantes in ſe, & eos tunc ſanat, tunc erigit, cùm fuerint maiori in periculo conſtituti. Quid eſt quod tibi, nobis ipſis, vniuerſóque populo Chriſtiano maiori ac honeſtiori gaudio & lætitia gratulari poſſimus, quàm habere altiſſimo creatori, vobíſque, Reuerendiſſimi patres, gratias immenſas, quòd admirabili ac diuino penè veſtro conſenſu, eum nobis paſtorem dedit, & huic ſanctiſſimæ Sedi ſeſſorem, qui bonitate vellet, ſapientia ſciret, authoritate poſſet coërcere omnes ad benè, honeſtè, & in pace viuendũ? Huius verò Sedis amplitudinem ac maieſtatem ſi referre vellem, quod me ſecundo loco facturum dixi, ſupra hominis ingenium eſt : vbi cùm plura dixero, nihil prorſus, quod dignum re ſit, dixiſſe

videar. Quare noſtri conſilij eſt, neminẽ, quicunque eloquentiſſimus fuerit, imitari: vbi in medio penè curſu multi plerunque doctiſſimi viri defecêre: ſed nos contentos humili tantę Sedis veneratione, admirari & adorare eam tacitò ore potiùs velle, quàm verbis, licet ornatiſſimis, extollere, quod per ſeipſum in ſu-
Matt. 16. prema extollitur. Nam hæc Sedes cùm è cælo diuinitus fuerit inſtituta, quo breuior de rebus diuinis ſermo fuerit, eo cenſeri dignior poterit: ſi ad venerationem magis, quàm ad laudem omnia deferantur. Liceat iam, digniſſime Pontifex, tuarum virtutum laudes attingere: ſi tamen priùs cognouerimus, præſentis laudem, vbi fallax non ſit, parcéque ac modeſtè fiat, à ſanctiſſimis ſapientiſſimíſque viris maximè probatum iri. Par enim non eſt, non laudare virtutem, & vitia non improbare. Cur igitur verear aſſentator videri, ſi ita te laudem, vt virtutes longè maiores tibi ineſſe cognoſcant omnes, quàm exprimant verba dicentis? Nam tuarum laudum difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire. Quid enim vel ad patriam, vel ad genus, vel ad vim animi & corporis pertinet, quod in te ampliſſimè laudari non poſ-

ſit? Si patriæ ſplendor quæritur, quæ & ipſa ad hominis felicitatẽ non nihil confert, Vlpiano Iuriſconſulto lib.xxj.ff.dicente, Multùm noſtra intereſſe ſcire hominis nationem: proinde mancipium redhibendum, ſi in eius venditione natio non foret expreſſa. hinc Simonides lyricorum ſcriptor docet, perfectè beata ratione* victuros, imprimis opus eſſe patriam habere glorioſam. Tuæ igitur patrię gloriam, res ab ea ampliſſimè geſtas, Principes maximos, potentiſſimos Reges ſuperatos memorare, ſicut meæ non eſt facultatis, ita noſtræ non eſſet modeſtiæ, qui eius legatione fungimur, & quæ ſine multorum inuidia referre non poſſemus. illud tamen ſine cuiuſquam iniuria palàm fateri licebit, vrbem tuam Genuam, inter cæteras Chriſtianorum fuiſſe ſemper Chriſtianiſſimam, & Apoſtolicæ Sedis obſeruãtiſſimam. Fuêre nanque Genuenſes inter primos Chriſtianorum Italiæ populos, qui ſacrũ corporis Chriſti ſacrificium publicè ſuſceperunt. Apud patriam tuam nulla vnquam hæreſis depræhenſa eſt: in ea vſque ad hæc tempora, propter Chriſtianæ religionis & Dominicæ paſſionis reuerentiam, Hebræi nunquam habitare potuerunt: aduerſus

*victuris.

Rom. Eccleſiam Genuenſes arma ſumpſiſſe nuſquam compertum eſt. Quæ verò pro Chriſtianæ religionis dignitate augenda, & huius ſanctæ Sedis authoritate tuenda, & multa & præclara egerint, ac memoranda, teſtis eſt Hieroſolymitana ciuitas, quæ à duce Gotfredo cum Genuenſi claſſe capta eſt: teſtis Rhodiana inſula è manibus Turcarum cum noſtra claſſe erepta, ac poſtmodùm etiam defenſata: teſtis Hydruntina in Italia metropolis: teſtes infiniti populi, Græci, Scythæ, Armeni, Cappadoces: de quibus pro religione Chriſtiana patria tua ſæpenumerò triumphauit: teſtes, inquam, innumeri Romanorum Pontifices, quos à tyrannorum obſidione ciuitas tua liberauit. vi pulſis Pontificibus hoſpitium præbuit: & rurſus eos in Sede, ſua ope, diuino fauente numine, collocauit. quo fit, vt nemini indignum videri poſſit, ſi patria tua apud Apoſtolicam Sedem in dignitatibus Eccleſiaſticis tanti habita fuerit, quod, ne dicam ex patria, aut vrbe, ſed vna tantùm tuæ ciuitatis familia, plures Pontifices maximos, duos ſupra ſeptuaginta Cardinales, & fauente Eccleſia etiam Siciliæ Regem habere meruerit: &, quod ætas noſtra nunquam vi-

dit, vno deficiente, alterum immediatum ſucceſſorem Pontificem maximum patria tua nunc habere glorietur. Sed tua forſan iam illuſtri vrbe oriundus, nullas maiorum imagines præ te fers, nullo ſplendore familiæ fulges? immò verò neceſſariis ac parentibus non minùs clarus & eminens, quàm patria, es. Nam, vt omittam nobilitatis tuæ ſtemmata, quæ à longa origine per viros optimates & reipub. noſtræ Principes, in gente Cibo patricia repetenda eſſent, vt ſileam viginti patricias familias, ex hac vna vrbi tuę proditas: vt prætercam auorum tuorum domi foríſque tum bello, tum toga mirificè geſta: quis noſtrûm non meminit Aaronem patrem tuum, equitem auratum, ſacri Imperialis palatij comitem, & Rom. vrbis Senatorem, cuius angelicus adſpectus, regiáque effigies, velut à proauis hæreditaria, ad te quoque tranſmiſſa eſſe videtur? Is tantæ prudentiæ fuit in rebus agendis, tanti conſilij, tantæ magnitudinis & fidei, vt Siciliæ regnum Renati regis vice adminiſtrauerit. &, quemadmodum Quintum Ligarium in Africa feciſſe ſcribit Cicero, regno ſic præfuit, vt & ſociis & ciuibus gratiſſima eſſet eius integritas & fides.

talem etiam ſe omnibus probauit, vt regno pulſo per Alfonſum Renato, ſatisfacere hominibus non poſſet Alfonſus, ſi quemquam alium regno præfeciſſet. Itaque Aaroni apud Alfonſum euenit, quod Ciceroni apud Cæſarem, cùm Cæſar, ſuperato Pompeio, ex Ægypto ad eum literas miſit, vt eſſet idem qui fuiſſet. Sed ego te illis annumerari minimè velim, quos Cicero in legis Agrariæ impugnatione commemorat, maiorũ ſola gratia & illuſtribus auorum monumentis, primis honoribus fuiſſe ornatos. Tu ipſe, Sanctiſsime pater, tua virtute, tuis laboribus, viam tibi ſtruxiſti ad id faſtigium, quò nunc euectus es, nónne ſicut priuato nomine Ioannes Baptiſta, ita re es gratia plenus? & pontificio Innocens? ita nemini obeſſe, ac omnibus ſemper prodeſſe, natura docente, vidiſti * ita, vt de te dici poſſit, quod apud Cæſarem Titum legimus, non decere quempiam triſtem à facie Principis diſcedere? Quid igitur ſingulas tuas virtutes hoc loco enumerem, cùm in te natura ita omnes congeſſerit, quod inter ſeſe, quęnam maior ſit, aliquãdo pugnare videãtur? Quis igitur ſis, & quales ſint virtutes tuæ, ſatis declarauit ille omnium iuſtus iudex, qui

*vt,

inter

inter ingẽtem Romanę Eccleſiæ patrum numerum, ſcientia, moribus, ac vitæ ſanctimonia præditorum, te vnum in terris Vicarium ſibi delegit, cui gregem ſuum committeret, & claues traderet regni cęlorum. Hoc contentus eſſe potes, nec ab homiñe in terris quærere, quod è cælo diuinitùs conſecutus es. Dicturo poſtremò, quónam fructus ex hoc tuo Pontificatu ſperare poſſimus, illud imprimis mihi venit in mentem, quod Septimius Seuerus Auguſtus, vir bello & pace inſignis, moriens ſupremis verbis velut clarum & memorabile facinus ſibi adſcripſit, accepiſſe initio ſui imperij Remp. conturbatam, relinquere vero pacatam & tranquilliſſimam. Tu verò Romam tuæ Sedis vrbem, ne dicam turbatam, accipiens, ſed ciuilibus ac inteſtinis odiis, ſimultatibus & ſeditionibus palàm & publicè furentem, vix adhuc ſedens, ita pacatam reddidiſti, vt nedum Seueri, ſed Octauiani etiam temporibus nunc tua Roma inuidere minimè poſſit. Nam ſi cum Innocentio illo quarto, diuino homine, quem paulò antè memorauimus, patria, nobilitate, Cardinalatus titulo, & Pontificio etiam nomine, diuino (vt autumo) potiùs quàm humano conſi- *Matt. 16.*

lio, idem eſſe & meruiſti & voluiſti: cur ambigendum, quin rerum gerendarum gloria eum æquare debeas, aut etiam ſine controuerſia ſuperare, hoc præſertim tempore, quo plurima ſe offerunt Chriſtianæ Reipub. pericula, re & exemplo pertimeſcenda? Pudet nanque referre Chriſtianorum miſerias, ex quibus immaniſſimus hoſtis maiores vires accepit. Vidimus iam, paucis penè elapſis annis, Turcam ingreſſum Italiam: &, quod ſine magno dolore referre non poſſumus, paruis admodum viribus ita feciſſe, vt toti Italiæ iam formidini eſſet: cuius niſi mors curſum præripuiſſet, ſunt qui haud temerè credant, aut Italicorum deſidia, aut inter eos pertinaci contentione, magnam cladem toti Italiæ inferri potuiſſe. Nunc filium eius, quem fama erat otio magis ac deliciis, quàm belli cupiditate teneri, quod pater illius non ſine magnis cladibus fruſtrà ſæpè tentauerat, Licoſtomum, Macaſtrúmque, oppida in oſtio fluminis Danubij poſita, mira celeritate expugnâſſe: Quid nunc facturum cum hac victoria elatum, arbitramur, niſi extenſurum ſe (ô bone Deus, ne iraſcaris populo tuo) vel in Chios, vel in Rhodios: aut Aulona maioribus viri-

bus in Apuliam traiecturum, & (vtinam ſim falſus vates) ruptis ſimulatę pacis fœderibus, Venetam etiam ditionem incurſurum? quo tempore aſſurgemus omnes, cùm nihilo magis proficere poterimus. Dies & facultas me defecerint, ſi hæc omnia pro rerum indignitate & periculo recenſere velim. quin potiùs immortali Deo & agendas, & habendas gratias cumulatiſſimas reor, quod te opportunè admodum rebus feſſis opem laturum, ſummę rerum præfecerit. Non erit igitur à te Pōtifice maximo periculū hoc contemnendum: neque vlla incredulitate aut mora prętermittendum, quin excites Chriſtianos Principes ad hanc curam: & priùs occurrendum, quàm magis ignis inualeſcat. &, ſi quiſpiam repugnare videbitur, tuæ Sāctitatis officium erit, tuo imperio, tua authoritate, tuis viribus omnes cogere. in quo, inter multos præcipuos, & ad parendum promptos, habes nos Genuenſes tuos: qui ſicut veri Chriſtiani ſemper fuimus, ſempérque eſſe volumus, ita te, Innocenti Octaue, ſummum, verum, & indubitatum Pontificem eſſe teſtamur.

Tibi igitur, ditioníque tuæ, quod præcipuè à Reuerendiſſimo Illuſtriſſimó-

que Cardinali, & Duce, atque inclyto Senatu noſtro eſt demandatum, omnem ac perpetuam deferimus obedientiam: obedientiam, inquam, quam legitimo Pontifici fideles Chriſtiani præſtare ſolent & debent: eóque libentiùs ac paratiùs id facimus, quo & fidei, & communis patriæ nexu ſtringimur. Tibi prætereà, ſi quid nobis virium, potentiæ, dignitatis eſt, promptiſſimo animo ante tuos iamiam deoſculatos pedes humiliter deponimus, in fine cum Eccleſia dicentes: Ecce ſacerdos magnus, qui in diebus
Eccl. 50. ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus
& 44. & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, nec eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi: ideò iureiurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam.

AD INNOCENTIVM VIII. Pont. Max. Ioannis Camerarij Dalburgij, Vormatienſis Epiſcopi, Bauariæ Ducis nomine.

VEnimus, Beatiſſime Pater, iuſto venerationis officio recens hoc Celſitudinis tuæ faſtigium proſecuturi: quod vt faceremus, gratularemúrque cùm

Sanctitati tuæ, tum felicitati, vel, ſi rectius eſt ita dicere, ſaluti vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ, miſit nos ſummo religionis, ſummo pietatis & in S. tuam, & in Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Sedem præditus affectu, vir Illuſtriſſimus Philippus Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, & Sacri Romani Imperij Princeps Elector. Videtur autem præfandum eſſe mihi, quod præfari res ipſa me cogit: hoc eſt, optandam eſſe mihi, & ante omnia huic qualicunque dictioni meæ veniam petendam à S. tua, & ab hoc ampliſſimo ordine Senatus Cardinalium, qui diuinũ tuum participãt conſilium. Arbitror autem orationis gratiam, & quemuis eloquẽdi cultum atque ſplendorem, ex homine Germano expectari magnopere neque poſſe, neque debere. & mihi quidẽ aduerſus hanc ſolicitudinem, æquitas eſt animi vel eo conſtantior, quod perſuaſum habeo, S. tuam de Philippi in te officio ſtudióque, non ex hac, quæcunque ea fuerit, oratione mea, ſed ex rebus illius, operibúſq; facturam ęſtimationem. quòd niſi diſtrictus ipſe teneretur multiplici magnorum negociorum cura, nec illum neceſſaria quædũ ratio rerum ſuarum reuocâſſet ab inſtituto tanto, labo-

rioſo quidem,ſed tamen illi votis omnibus expetito,non ille Legatis ad S.tuam mittendis, aut alienæ vocis vteretur miniſterio:ſed hoc, quamuis longum difficiléque,ſuſcepiſſet iter: & quantum pietas ſua gaudium,quãtam voluptatem ex hac publica cunctorum percepiſſet lætitia,præſenti tibi præſens ipſe declarâſſet: credidiſſétque ſic quoque, tenui ſe tamen indicio perfunctum, pro quanta quámque intenta tenetur erga S. tuam, ſacrámque Sedem deuotione: quod illi tantum Chriſtiani nominis ſtudium eſt, vt pro ea, qua erga religionem noſtram cura ſolicitudinéque ducitur,nec ſatisfeciſſe officio ſe putaret, ſed ſolùm pignus hoc, obſidémque mentis dediſſe, quo perſpici poſſet,nihil tantum eſſe,támque arduum ſuſceptu, modò incrementis id tuis,vſibúſque Eccleſiæ Ro.conduceret, quod non ipſe prompto eſſet animo alacríque ſubiturus. Accepit hanc à maioribus ſuis perſuaſionem: quam protinus à primis comprehenſam annis,&cum ſucceſſu deinde ætatis auctam, altiùs ſubinde pectori ſuo, altiúſque ſemper infixit, vt nihil in rebus humanis ſanctius, grauius, venerabilius putaret, quàm ſacræ Apoſtolicæ ſedis maieſtatem: nec poſſe

quicquam vtilius Eccleſiæ, quicquā hominū generi ſalubrius contingere, quàm vt ſumma Dei benignitate daretur illi prudentiſſimus gubernator, ſanctiſſimus rector.

Æquum eſt profectò, Principes omnes hanc tenere ſententiam, vt in Romanæ Sedis ſalute contineri ſuam arbitrentur ſalutem: & nedum Principes, verùm cunctos, qui in Chriſtianam militiam nomen dederunt, ſic animatos eſſe oportet, & credere pro ſua cuique portione excubias agēdas eſſe pro Sedis huius incolumitate: & magnitudinem eius, quibuſcunq; poſſint, rebus, ſi cui ſunt opes, opibus: cui prudentia, conſilio: cui robur viribus prouehere. Quòd ſi cui nihil aliud ſit, precibus ſaltem, piíſq; ad Deum votis nuncupandis illam iuuare. Si nanq; maiores noſtri Romam, communem generis humani eſſe patriam volebant, nec intelligi potuiſſe in exilio fuiſſe eum, qui vndecunq; veniēs Romæ fuiſſet, hácque ratione velut ſacro quodam affectu, animos omniū beneuolentiámque vrbi terrarū principi obligabāt: quā ergo neceſſe eſt eſſe nunc mentem, quod ſtudiū cunctis erga hāc vrbem, & ſanctiſſimum illius atq; adeò orbis terrarum Antiſtitem

& Rectorem, cùm nedũ terrena cunctorum ea iam ſit patria, ſed quicunque bona fide ciues illius fuerint facti, & legibus eius paratas in omnia dederint manus, eos cæleſtis quoque patriæ faciat ciues? Huius in Ro. Eccleſiam deuotionis, qua omnes Chriſtiani nominis Principes eſſe ſpero & opto, Philippo poſſũ locupletiſſimus eſſe teſtis, vt facilimum ſit tibi, Beatiſſime Pater, perſpicere, quo neceſſe fuerit illũ cumulari gaudio, quantæ ſe compotem credere felicitatis, cùm audiuiſſet nauiculæ Petri gubernaculis eſſe manus tuæ S. admotas, & ab optimo Deo optimam rerum humanarum Eccleſiam, eſſe optimi tui prouidẽtiæ commiſſam. Adductus eſt in eam ſpem, inquam video cunctos in hoc nouo tuo Pontificatu cõceſſiſſe: rem Chriſtianam, ſi quando aliàs, tuo certè ductu, tuis auſpiciis illuſtrem, feliciſſimámque futuram. Quid enim non credemus vel S. tuam poſſe impetrare à Deo ad hominum felicitatem, vel virtutem efficere apud homines ad Dei placationem? quid *non prudentia tua inſtituere, magnitudo animi peruincere, cõſtantia conſummare? Vigilantia verò tua, quod inſtitutum, peruinctum, conſummatúmque fue-

*non poterit.

rit, quid non confirmare poterit ac tueri? Nihil lapſum eſt aut quaſſum in Chriſtianæ religionis cultu cęremoniíſque, quod non integritas, diligẽtia, pietas tua erigere rurſus & ſtabilire poſſit. Si quid vſquam deſiderabitur, ſi qua in parte labanti ſuccurrendum erit fidelis populi tutelæ, tua ſolicitudo ſufficiens in omnes vſus præſidium prębit. tu publicas priuatáſque res, tu ſacras, tu prophanas, tu temporaria, ęternáque bona noſtra immenſo prouidentiæ tuæ ſinu complectẽris, exactiſſimo moderationis tuæ formabis exemplo, & clementiſſima in omnes diſpenſabis benignitatis tuæ manu. Dirigis tu quidem, Beatiſſime Pater, vitam hominum, & actiones eorum moréſque in ſaluberrimum habitum componis, authoritate iubendo, monitis hortando, ſeueritate caſtigando: ſed ante omnia, exemplo virtutum tuarum ducendo eos, & tanto iam tempore prætentatũ à te iter velut digitis indicãdo. Quis non prouidentiæ cõſiliíſque tuis ſe ſalutémque ſuam cõmitti tutiſſimè putabit? cuius cùm ſumma ſit prudentia, tum exploratiſſima ſemper in omni vita fuit naturę immẽſa bonitas, & nunc propenſiſſimus in ſubditos omnes perſpicitur amor.

Quicquid iuſſeris, nemo erit qui recuſare cupiet. certatim in hoc contendetur ab omnibus, vt quàm maximè dictis tuis audiens quiſque conſpici poſſit. Eſt
Matt.16. tibi quidem à Deo rerum omnium tradita poteſtas. non tu tamen, quod multis vſu venit, poteſtatem iuſtitiæ titulis inanibus exornas: ſed iuſtitiam pridem tuis conceptam præcordiis, poteſtate nunc inſtructam expeditámque tenes: adeóq; nunquam, quid poſſis, ſemper quid velis, oſtendis. Vis autem, voluiſtíque ſemper omnibus quamplurimùm prodeſſe. Aſſecutus es itaque, vel nos potiùs per te ſumus aſſecuti, vt, quãtum antè prodeſſe volueris, tantum nunc poſſis, tantum etiam & proſis. Video me, Beatiſſ. Pater, in ampliſſimum campum tuarum laudum eſſe perlatum: quãquam initio mihi cenſuerim abſtinendum ab eis, vt quæ non meam modò, ſed præſtantiſſimi cuiuſuis facundiam & ingenium vincant: ſatiúſque duxerim modeſta eas taciturnitate venerari, quàm oratione, quæ longè eſſet inferior futura, præſtringere. Ægypti ſacerdotes accepimus, olim inter ſacra ſolitos ſonum tantùm vocalium literarum decantare: id illis pij gratiſſimíque Deo concentus loco fuiſſe, credebant,

puto, nullum ſe poſſe dignum Deo carmen inuenire. Fuſo itaque muto illo, & ſine mente (vt ita dicam) ſono, cùm pro rerum dignitate nihil poſſent, hoc ipſum vt arbitror, ſignificabant, nihil ſe poſſe, & plurimùm velle. Germanos item noſtros proditum eſt, priſcos illos, priuſquàm ſacræ Chriſtianæ fidei myſteriis eſſent initiati, quicquid id erat, quod Dei colerent loco, nullis ſuſtinuiſſe ſimulacris effingere: quod crederent falſa Deo non conuenire, vera ſe reperire non poſſe. Adeo viſum eſt vtriſque his, recti⁹ eſſe, pudenter quenque ſecum reputare quid poſſit, quàm impudenter conari quod nequeat. Sic mihi commemorandis laudibus tuis plenum inſolentiæ videtur, ſi quis vel conetur eas extollere, quæ per ſe ſunt ampliſſimæ: vel recenſere, quæ ſunt innumeræ: vel quouis modo demonſtrare, quarum lumen & ſplendor omnium oculos iam mentéſque præſtrĩgit. Illa, Beatiſſime Pater, illa quidem mallem, ſi commodè poſſem, commemorare, quę protinùs cum nouo pontificatu tuo felicitati publicæ prouenẽre: pax gentium, fœcunditas terrarum, ſalubritas vitæ. Fremebant armis omnia: arx ipſa orbis terrarum Italia, bellis

grauiſſimè quatiebatur: Galliæ, velut omine lætiore tuum excepturæ Pontificatum, tum primùm reſpirabant: Hiſpaniæ, Britannia, Sarmatia, aut externis, aut domeſticis concitæ motibus erant. Iam verò perpetua bellorum comes caritas annonæ: iam, ſicubi quies ab armis erat, crudelior armis peſtilentia ſæuiebat. Quin etiam ex aliorum comparatione tolerabiliùs miſeri ſibi videbantur, qui vna tantùm aut altera cladium iſtarum, & non omnibus ſimul vrgerentur. Hæc cuncta tam grauia, tam acerba, Pontificatus tuus protinus, velut ſalubre quoddam affulgens rebus humanis ſidus, repreſſit, diſpulit, abegit. Agitatus eſt magnis bellorum motibus vir ſacræ memoriæ Xyſtus Põtifex, S. tuæ prçceſſor: quæ ille ſummo cõſilio ſuſcepta, prudentiſſimè adminiſtrauit, conſtantiſſimè pertulit. Magni hoc vel ſummi potiùs hominis eſt, tot vndique circunfrementibus tempeſtatibus armorum, non moueri animo, non concuti, ſed rectum in omnia conſtantémq; dirigere vultum. ſummi hoc, vt dico, ſed hominis. At hæc cum noua tua dignitate rerum omnium prolata tranquillitas, non hominis ſolùm habet laudem, ſed de hominis laude

virtutibúſque plenum diuini fauoris præ ſe fert iudicium. Coniunxit quippe Deus in tua ad Pontificatum vocatione ſuum cum hominum ſententia iudicium, nec id dubiis vtique colligendum coniecturis. Homines enim, præficiendo te rebus humanis rectiſſimè ſe facere vt volebant, ſic & ſperabant. Deus verò, quàm rectè fecerint, ſignis maximis eiſdémque lætiſſimis indicauit. Tam felices enim ſucceſſus, tantam proſperitatem, copiam, ſalubritatem nouæ tuæ circunfudit dignitati, vt, cùm ad eam cuncti te prouehi plurimùm vellent, immenſo plùs tamen gauderent eſſe prouectũ. Quod itaque vulgò de principibus dici audimus, aut legimus, Dei hominúmque conſenſu ad Principatum vocatos eos eſſe, id vnius tui vocationem propriè ſignãtiſſiméque definit. Quis potuit enim maior eſſe cõſenſus? volebant homines Pontificem te fieri: & fecêre, quod volebant. idque ipſum vt vellent, vt facerent, Deus inſtinxit: & quod inſtinxerat, ſumma rerum omnium felicitate cumulauit: & incommodis cladibúſque terrarum omnibus, ſereniſſimum hunc tuum & plenum natiuæ benignitatis oppoſuit vultum. Cùm verò vultum tuum dico, Latinè tantùm

loquor, & non vt aurium tuarum ineam gratiam. Nec enim in cuiuſquam ſuſpicione relictum velim, hoc me non ex integra animi ſententia dicere. Vidimus enim proximis his diebus, corporis tui vires pondere curarum iniquiùs affectas: & vt publico te conſpectui ſubduceres, neceſſaria valetudinis tuæ ratio coëgit. Quid ergo? nónne ſtatim vultus tuus ab omnib⁹ eſt deſideratus? nónne ſenſerunt continuò mala publica deeſſe ſibi domitorē ſuum? nónne rurſus peſtilentia, rurſus arma prorumpunt? Quin tu, Beatiſſime Pater, diligenter omníque cura valetudinem tuam confirma. redde te fruēdum rebus humanis: & videndum tantùm te præbe: ſimúlque cuncta conſpectui tuo incommoda ceſſiſſe videbis. Potuit aditus Pontificatûs tui mala hæc vetuſta, & actis altiſſimè radicibus iam firma diſſipare: poterit certè hæc eadem tenera adhuc, & velut in herba, reprimere dignitas tua iam ſtabilita. Hinc ergò venit, veniétque maior indies publica per omne Chriſtianum nomen lætitia, hinc omnium in te affectus, non qui in rectorem aut Dominum, quæ nomina per ſe inuidiæ plerunquè obiacent: ſed qui in authorem ſalutis, datorem felici-

tatis,parentem bonorum omnium,aut,ſi quod his aliud arctioris pietatis excogitari vinculum poterit aut nomen. Hinc quoque ſpes omnium iam ſubit mentes, in qua magis ipſe quotidiè cõfirmor, futurũ,vt ſi quãdò, nunc certè imperio ductúq; felicitatis tuę,perpetuus ille & perniciosiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis Turca retundatur. Cùm ſit enim malis noſtris hactenùs abuſus, & diſſenſiones armáq; Chriſtianorũ ſuã crediderit occaſionẽ: quis dubitet,quin, quorum creuit aduerſis, eorũ rurſus ſit felicitate pręceps iturus? Vidimus quidẽ,quàm grauiter multos iam annos Deus, immiſſis in Chriſtianos Principes bellis,mutuis eos certaminibus attriuerit & profligârit, nec licet diſſimulare nobis, quorſum pertinuerit tantum in nos effundi malorum, modò videre velimus, quid ſit ea ſecutum. Infeſtiſſimus ille latro,qui pridèm boni conſulebat, vt intra anguſtiſſimum Aſiæ angulum liceret tutò ſibi latére, quíque ſæpè ſine Chriſtianarum virium præſidio ſe non ſatis munitum intra regni ſui fines putabat: is tandem tot regnis,prouinciis, reb' publicis expugnatis,& in ditionem execrandã rédactis,eò magnitudinis proceſſit, vt quorum antè

perhorreſcebat mentionem, illis nunc ſit vltrò timori: parùm dico: immò quibus anteà ne nomen quidem illius ſatis fuerat notum, apud eos nunc omnia ferro illius vaſtentur, flammis colluceant, ſanguine redundent. Atqui iam tandem placatioris animi ſigna nobis dat Deus. reddita cum Pontificatu tuo quies eſt temporum: æſtus armorum reſedit. Scire cupimus an temerè hæc lætiora contingãt. reſpiciamus, quare cõtingerint triſtiora. Quod ergò reliquum eſt, non expergiſcetur omne nomen Chriſtianum? non arma cuncti rapient? non obuiam ibunt crudeliſſimo hoſti, immaniſſimo tyranno? dum tu, Beatiſſ. pater, innocentia, ſanctitate, religione, pietate præes, peculiare quoddam præſidium terris: orabis tu quidem, & ſacris precibus militum tuorũ mouebis ac animabis arma. Nullius tuo ductu in hoſtes irritum decidet telum, nullius fruſtrà gladius vibrabitur, * nullum ſine vulnere iaculum mittetur. omnium vulnera torrens ſanguinis, omnium ſanguinem perfidorum anima ſequetur. Dumque tu caſtas, vt Moiſes, ad Deum leuabis manus, nullus erit metus, vt aut impius hoſtis impetum noſtrorũ perferat, aut pius noſter exercitus

*nullius.

Exod. 17.

tus illius cæde laſſetur. Oportebat quidē tales bellorum exitus de cuiuſuis Pontificis pietate ſperare? cùm verò tuæ dignitatis initiis tanta benè gerēdarum rerum affulſerint omina, ceſſare vltrà, & occaſiones perdere, non iam cunctantium, ſed ſegnium, ignauorum, & indormientium felicitati ſuæ, poteſt videri. Poſſum quidem, Beatiſſ. pater, hoc tuæ S. de Philippi principis noſtri promittere deuotione: nihil eſſe quod ille cupiat æquè, quàm, quicquid eſt opum armorúmque ſibi in hanc tam piam conferre militiam. Non ille laboribus aut periculis, nō ſanguini aut vitæ ſuæ parſurus erit, modò profundere hæc in aliquos Chriſtiani populi ſibi contingat vſus. Nec verò hac in re ſolùm, ſed vbicunque poſſet aliquid Rom. Eccleſiæ tuæq; S. vel dignitati adſtruere vel fortunis, id illi tam gratum eſſet futurū, vt immenſi muneris duxerit loco, ſuū hac in parte officiū, ſtudiúmq; depoſci. Hoc ille quū iuſtū religioſúmque putet, tamen velut hæreditate à maioribus ſuſceptum, propemodùm neceſſarium eſſe ſibi perſuadet. Nullum eſt adeò genus virtutū, aut vllius illuſtrioris i, ſed ne cultûs quidem & obſeruantiæ ſacram R. Sedem, cuius non ipſe domi

ſuæ plurima ſit clariſſimáque reperturus exempla. Qua in re ſi ad inſtitutum orationis huius id pertinere putarem, & niſi prætereà vererer, ne hac tua abuterer audiendi benignitate, maxima mihi naſceretur copia dicendi. Poſſem ab Ariouiſto illo, literarum monumentis inſigni, initium facere: qui quum Bauariæ poſſet, fidei & virtutis ergò à Senatu rex eſt & amicus populi Romani appellatus, vir fortiſsimus, & ab omnibus inuictus, pręterquàm ab vno, ſed eo, à quo non tam turpe fuit vinci, quàm glorioſum cum illo decertare: & eo quidem, cuius viribus & armis orbis terrarum, & vrbs hæc orbis victrix atque domitrix ceſſit. Dicerem Carolum, qui gloria rerum geſtarum Magnus cognominatus, Germanis primus Imperij habitus eſt author. Cõmemorarem Henricum, qui cum coniuge ſua Romanorum Pontificum decreto inter ſanctos eſt relatus. Recenſerem alios itidem Henricos, Ludouicum etiam, & Ropertum Philippi proauum: omnes Romanos aut reges, aut Imperatores, eoſdémque ingentibus in vniuerſam Remp. Chriſtianam, & in ſacrã hanc Sedem beneficiis illuſtres. Fuit Ropertus item auus Principis noſtri, cuius quę ve-

ıeratio fuerit in R. Antiſtitem, vel vno llius facto licet æſtimare. Erat ei collocata in matrimonium filia ducis Sabaudiæ, eius, quem Felicem nominatũ, plerique Romani Pontificis ſpecie ambiebãt. Erant id temporis plena erroris omnia, aliis aliò, quocunque ſpes aut fauor rapuiſſet, inclinantibus. Ropertus tamen, poſthabitis chariſsimæ ſibi coniugis affectibus, & omni affinitatis iure neglecto, priuatis neceſſitudinibus ſuis publicam Romanæ Eccleſię prętulit dignitatem. Pater autem Philippi Ludouicus, ea religionis & virtutũ omniũ iecerat fundamenta, vt, niſi pręmatura foret morte defunctus, nullius præ eo in Romanam Sedẽ merita laudarẽtur. Huius frater Fridericus, Philippi per ætatẽ tutor, difficile dijudicatu eſt, prudentior, fortior, an felicior fuerit. qui crebrò admodùm collatis cũ hoſte ſignis, cùm pręſens ipſe dimicauerit, victoriam, quæ natura incertiſsima eſt, vt vbique induſtriæ ſuę certa eſſet, virtute perfecit. Quindecim Germanię Principes bellũ illi vno eodémq; tempore cupidiſsimè indixerunt. id cùm acerrimè gererẽt inferrẽntque, tres ex eis vna acie victos cepit. eóq; res perducta eſt, vt cõditiones pacis à nullo acciperet,

omnibus daret. Primus is veterem rei militaris diſciplinam, quantùm temporũ ratio paſſa eſt, renouauit: primus Germaniam poſt Auguſtum Cæſarem purgare latrociniis eſt adorſus. Fuit tempus, quo ſimultate & factione hoſtium coactus eſt de ſe præbere alienioris animi in Sacram hanc Sedem opinionem: paruit tempori, & vrgenti ſe neceſſitati ceſſit. Poſtea verò quàm datus eſt liberior de omnibus cognoſcendi locus, tum quidem eſt illius accepta excuſatio: præſtítque deinde, quod ſemper antè præſtiterat, vt Eccleſiam Ro. nullo in loco fidei obſequiíque ſui pœniteret. Horum veſtigia clariſſimorum virorum quũ Philippus ſectanda ſibi virtutibus omnibus, & rectè factis inſtituerit: adſumus, Beatiſſime Pater, illius nomine: & omne obſequium, ſtudium, pietatémque illius, & quicquid id eſt, quo obedientia ſacræ Ro. Sedi à Chriſtiano Principe debita, præſtari vberrimè ampliſſiméque poteſt id illius iuſſu tuæ proferimus dicamúſque Sanctitati. putes, ſi quid eſt opum illi, ſi quæ ſunt fortunæ, ſi quæ vires, nec ea modò, quæ ſua ſunt, ſed quibuſcunque gratia, meritis, neceſſitudine deuinctis pro ſuis vtitur, ea omnia ante tuæ Sancti-

tis eſſe depoſita pedes: & hanc deuotionẽ ſuam vt clemens atque benignus accipias, precatur orat quoquè, vt ſe, liberos, familiam, domúmque, & quicquid eſt ditionis ſuæ, Sanctitas tua ea velit indulgentia humanitatéque complecti, quam ſemper ipſe, maioréſque ſui ab hac ſacra Sede petiuerũt, ſempérque ſunt aſſecuti. Ipſe dabit operã, próque virili enitetur, vt quoniam munificentia, meritíſque in Sanctitatem tuam cõferendis, quantùm cupit, præſtare non poteſt: quod poteſt, cultu certè & obſequio omnia præſtet: cúmque deuotione erga Sanctitatem tuam alteri quidem ceſſerit nemini, tum ipſe quotidiè ſecum omni obſeruantiæ genere decertet.

AD INNOCENTIVM viij. Pont. Max. Titi Veſpaſiani Strozæ, Ferrarienſium Ducis Nomine.

MAgnum mihi munus ab immortali Deo, Beatiſſime Pater, oblatum eſſe video, quòd hac potiſſimum tempeſtate, vnà cum his clariſſimis collegis meis, hanc auguſtam vrbem, hoc ſacrum concilium Legatus adierim: vbì ſanctitatem tuam, atque hos Reuerendiſſimos

& ſapientiſſimos fratres tuos,quos vidẽdi ſummo deſiderio detinebar, corã intueri atque alloqui poſſim. Nec tamen minùs oneris iniunctũ mihi eſſe ſentio, cùm ego nulla eloquẽtia prędit⁹,& vix vllis literarum ſtudiis imbutus, atque ad hoc dicẽdi gen⁹ inexercitatus, ac penitus inſolens,in hoc frequentiſſimo,celeberrimóque doctiſſimorum hominum conſeſſu verba facturus ſim:quorũ complures excellenti facundia inſignes, ex longinquis orbis terrarum partibus, ad offerendũ atque exhibendum Sanctitati tuæ obſequium, à Regibus ac Principibus ſuis miſſi confluxerunt.quamobrem non parua mihi dubitatio ſuboritur: &, vtrùm hoc munere gaudere, an potiùs contriſtari debeam,neſcius,huc atque illuc mẽtis incertus agor:vereórque, cùm maximis de rebus orationem hic habiturus ſim, de te ſcilicet, quem Chriſti vices in terris agentem,& videmus,& confitemur, & colimus: vereor inquam, ne quid maieſtate tua, & huius eruditiſſimorum virorum coronæ cultiſſimis auribus indignum mihi excidat,quod omnem voluptatem meam,quam venerabilis ac iucundiſſimus cõſpectus veſter nobis affert, animo perturbare poſſit. Sed

tantus eſt amor meus in optimum ac magnanimum ducem meum Herculem, tanta eſt obſeruantia & fides, vt nihil tam arduum, nihil tam difficile excogitari poſſit, modò ad eius beneficium ac dignitatem ſpectet, quin ego illud omni ſtudio ac diligentia protinus aggredi atque exequi contendam. Accedit ad hoc, Beatiſſ. Pater, tua ſingularis humanitas, & incredibilis ac propè inaudita manſuetudo: veſtráque, Reuerendiſſimi patres, ſumma benignitas & ſapientia, quos ego attentiſſimè audientes in me ora conuertiſſe animaduerto: quibus inducor, vt ſperem me facile à vobis veñiam impetraturum, ſi ea, quæ à Principe noſtro nobis mandata ſunt, à me, cui parere neceſſarium fuit, fortaſſe minus eleganter ac minus ornatè, quam hic locus & rei dignitas poſtulat, explicabuntur.

Nos igitur, Innocenti Octaue Pontifex maxime: nos inquam, Ferrarienſes tui, ad te venimus, ab Illuſtriſſimo Principe noſtro, filio ac ſeruo tuo dilectiſſimo, Duce Hercule, fideliſſimo Apoſtolicæ ſedis Vicario miſſi: vt eius nomine ſacratiſſimos pedes tuos cum omni officioſa veneratione primum oſculemur atque adoremus; deinde vt in iſta tui

Pontificatus electione, tibi atque vniuerſæ Chriſtianæ religioni plurimum gratulemur: quæ, cùm anno ſuperiore ob ingentem iacturam ex interitu clementiſſimi, & æterna commendatione proſequendi Xyſti Pontificis factam, grauiter perturbata & afflicta fuerit: te poſteà talem tantúmque ſucceſſorem ac rectorem feliciter ſit adepta, in cuius egregia virtute Dei populus meritò conquieſcere ac benè ſperare poſſit. Necnon vt tibi referamus, eum ipſum Herculem promptum ac paratum eſſe ea omnia Beatitudini tuæ præſtare, quæ tu ipſe ad veram fidelémque obediẽtiam pertinere arbitratus fueris: Poſtremò, vt vobis prudentiſſimi atque omni laude digni patres ingentes gratias agamus, qui cælitus inſpirati, hũc ſapientiſſimum religioſiſſimúmque Principem, ad Romanæ Sedis molem ſuſtentandã, veſtro ſolertiſſimo iudicio eligendum cenſuiſtis: ſummáque ratione & magno conſilio electũ ingenti cõcordia cõfirmaſtis. Nihil certè Duci noſtro, qui & prudẽtiſſim⁹ & iuſtiſſim⁹ eſt, ac tibi omninò, Beatiſ. Pater, deditiſſimus: nihil inquam, aut gratius, aut optabilius euenire potuiſſet, quàm vt Romana Sedes ad gubernẽdos greges ſuos

te paſtorem adipiſceretur: quem ipſe iam pridem Neapoli adoleſcens, cùm tu quoque in ætate iuuenili adhuc eſſes, apud magnanimũ & glorioſiſſimum Regem Alfonſum viderat & cognouerat: & ob præclarã patriæ generíſque nobilitatem, atque inſignem morum elegantiam, & egregiam pręſtãtis ingenij promptitudinem, ſummo ſtudio dilexerat. Deinde virum iam factum, & religionis honore inſignitum, fama latè de tuis clariſſimis virtutibus crebreſcente, mirum in modum amauit, coluit, veneratus eſt: & cùm te doctiſſimum, integerrimum, bonorũ omnium fautorem, malorum hoſtem acerrimum, fidei noſtræ propugnatorem ac defenſorem eximium intelligeret: in in eam demum opinionem venerat, vt te beati Petri, quod vitæ laudatiſſima ratio pollicebatur, quãdóque ſucceſſorem futurum, & ſibi perſuaderet, & cuperet. Illius igitur opinioni & voto cùm Deus optimus maximus, Eccleſiæ ſuæ atque omnibus populis Chriſtianis proſpiciens annuiſſet: & cùm iam nonnullis rumoribus ad nos perferretur, te aut creatum aut ſinè dubio creandum Pontificem eſſe ipſe ingenti voluptate affectus vehemẽter lætabatur, ac certiorem famã de tuis

ſecundis rebus auidiſſimè prẹſtolabatur. Sed poſtq̃ noſtrorũ literis ab vrbe relatũ eſt, te patrũ ſuffragiis ad iſtius ſupremæ dignitatis faſtigiũ eſſe elatum, quæ priùs ſecũ mente conceperat, gaudia protinus effudit: nihílque ab eo prætermiſſum eſt, quod ad iucundiſſimam pro Pontificatu tuo hilaritatẽ declarandã pertinere videretur. Id verò in vrbibus atq; oppidis noſtris ita factitatum fuiſſe, non modò ex aliorũ ſermonib⁹ me accepiſſe, verũetiã executum eſſe teſtari poſſum. Nam cùm Flaminiæ prouinciæ, quæ Duci noſtro paret, mihi commiſſæ iampridem præfuerim, præſímque: illius literis ac mandatis obtemperans, ea omnia, quæ tantæ lætitiæ magnitudo poſcere videbatur, accuratiſſimè fieri iuſſi: & ſolennibus immortali Deo ſupplicationibus habitis, lẹtíſque hominum exultantium clamoribus, vbiquè tuum ſacrum nomen inuocantium, necnon feſtiuis omnium templorum ſonis, & crebris die noctúq; per vias ignibus accenſis, ſtudia noſtra & mirificos in te animorum noſtrorum affectus atque ardores, apertiſſimè demonſtrauimus. Superfluum eſt, Sanctiſſime Pater, ea nunc à nobis hoc in loco commemorari, quæ principũ Eſtẽſiũ familia

toto terrarũ orbe celeberrima, multis in locis, varijs tẽporibus, nõparuis ſũptibus innumeris laboribus ac periculis ſuis, ad cõmoditatẽ ac decus Eccleſiæ Romanæ ſummorúmq; Pontificũ, & pace & bello magna cũ fide geſſerit: plurima quidẽ ſũt, ac per oẽs terrarũ plagas iampridẽ diuulgata, atq; omnib⁹ fermè vobis audita ſæpius & cognita: quę ſi per ſeriẽ ſuã digeſta verbis cõplecti, & in mediũ afferre voluerimus, lõgiore oratione nobis opus erit. Sed cauẽdũ eſt, ne humanitatibus veſtris importunè abutamur: néve illas, dũ ſingula perſequi cupimus, ineptè defatigemus. Habẽda eſt prętereà tẽporis ratio, vt his, ſi qui aliquid poſt nos dicturi ſũt, locũ quoque ſuum relinquamus. Ad eorũ vero fidem, quæ nunc conſultò relinquimus hoc vnum referre ſatis erit: plurimos Pontifices Romanos huius gentis virtutẽ ac merita ſępenumero & ſapiẽtiſſimè pẽſãtes, multa illi & magna, grata & larga manu, piè ac liberaliter indulſiſſe. Quod etiã apertiſſimè teſtãtur illa ampliſſima Bonifacij pręceſſoris quõdã tui priuilegia, in Ferrariẽſi foro ꝓpe aureã Alberti Marchionis ſtatuã, marmoreis tabulis inſculpta: de quibus in Borſiade noſtra ad ipſius Pontificis laudẽ ſic à me dictũ eſt.

Parte alia Albertus grati memorabile donũ
Pontificis populo oſtendit: conceſſáque plura,
Parietibus templi ſacris affixa, leguntur.

Nemo igitur mirari debet, cùm Eſtenſis domus Eccleſiæ Romanæ amiciſſima ſemper fuerit, & eius Imperio libentiſſimè ac fideliſſimè ſemper paruerit, ſi nonnunquàm bellico tumultu per Italiam excitato, ſummi Pontifices, his, quæ diximus, diligentiſſimè cõſideratis, Principum noſtrorum curam ſibi ſuſcipiendam, & vrbem Ferrariam ab imminentibus hoſtilium armorum periculis protegendam putauerunt. Fuit illa vrbs longo iam tempore Romanorum Pontificum gratum ac fidele hoſpitium. Quoties autem, & qui ex illis ſuperioribus temporibus ad eam amiciſſimè ſe contulerint, longum quidem eſſet nunc recenſere: præſertim cùm oratio mea occupatiſſimæ Sanctitatis tuæ, & horum Reuerendiſſimorum patrum, atque omnium hic adſtantium ratione habita ea, quæ neceſsaria ſunt, carptim adſtringendo, ad breuitatem omnino ſpectare debeat. Reticendum tamen non cenſeo, mea memoria duos glorioſiſſimos Pontifices cum maximo Prælatorum agmine Ferrariam veniſ-

ſe, atque illic cum ingenti totius populi Ferrarienſis, ac Principum noſtrorum lætitia, honorificentiſſimè ſuſceptos fuiſſe. Hi âutem fuêre feliciſſimæ recordationis Eugenius ac Pius. Quorum Eugenius, Nicolao Marchione Principe optimo ac liberaliſſimo & huius Herculis, de quo loquimur, patre imperante, ad nos acceſſit: ibíque Italarum gentium, exterarúmque nationum publicum & generale concilium habuit. Cui etiam Ioannem illum Palæologum Cōſtantinopolitanum Imperatorem, cũ ingenti nobilium Græcorum multitudine, vixdum puer intereſſe memini. Atq; Pius, indicto Mantuæ concilio, cùm ab vrbe profectus Ferrariam diuertiſſet, à Borſio Duce, vt eius Principis mos & cōſuetudo ſemper fuit, in eũdo ac redeũdo magnificè ac ſplẽdidiſſimè acceptus eſt. De Borſij verò laudibus ſi pauca loquimur, neq; ſatis officio noſtro fecerimus, neque eius dignitati ac meritis, vt ęquum eſſet, paria rependemus. At multa dicere neq; locus, neq; tempus patitur. Quapropter ab illius feliciſſimis manibus venia petita, quod reliquum eſt in cauſa, nunc breuiſſimè peragemus. Horum Pontificum, quos modo commemoraui, ad vr-

bem noſtram aduentus, in rem inconſultam, ac penitus ab omni ratione alienam me penè impulit. Mecum enim tacitus animo voluebam, quod nunc palàm proferre conſtitui: num ſcilicet nobis optandum eſſet, vt maximus ille mundi atque omnium rerum conditor & moderator, pro ineffabili benignitate ſua hoc nobis munus elargiretur, vt tibi quoque Ferrariæ tuæ nunc videndæ ſumma cupiditas iniiceretur: vbi Ducis Herculis beneuolentiam in te ſingularem,& incredibilem obſeruantiam* pro ſpiceres: ac verè illius regiam cunctis in rebus magnanimitatem tua Sanctitas experiretur: cum non armis modo & artis bellicæ gloria inſignem iudicares, verum etiam pace plurimi faciendum, prudentiáque & iuſtitia, necnon pietate ac religione, multíſque aliis præſtantiſſimis virtutibus excellẽtẽ animaduerteres: dignúmque cenſeres, quem omnibus ma ximis beneficiis ob eius ingentia merita tua liberalitas proſequeretur. Hæc quidem mecum cogitabam: quę tu Ferrariã nunc accedens & ab omnibus intelligere & ipſe coram intueri potuiſſes. At per Deum immortalem, quorſum tam intempeſtiua & tam inepta cogitatio? quid

*perſpiceres.

ɔeto ? quid cupio ? nimirum ego parum
ɤenſi & conſiderationis habuiſſe iudica-
i deberem, ſi hoc in noſtris mentibus
onſilium nunc inhærere deſiderarem.
Non enim Beatitudinem tuam à ſatis
ɔnga & periculoſa ægrotatione vix-
um etiam conualeſcentem multíſque
c variis & vrgentibus negociis occu-
atam, ad vllam ex Vrbe profectionem
unc adhortari decet: quod poſteà rebus
ɔmpoſitis, & ad meliorem tranquillio-
:mque ſtatum redactis, à nobis erit ſum
ıo ſtudio atq; omnibus votis expeten-
um. Sed ne ſermonem meum latius va-
ari ſinam, præſertim cùm breuitati ſtu-
:re propoſuerim: vndè initium ſum-
erat, eò nunc reuertatur oratio. Gra-
lamur itaque tibi vehementer, ſum-
e atque optime Pontifex, te omnipo-
ntis Dei nutu, ac meritis tuis in iſta
nctiſſima & glorioſiſſima Sede collo-
tum: quæ non facilè iudicari poteſt,
plus tibi ſublimitate ſua dignitatis
ulerit, quam tu illi ob egregias virtu-
tuas addideris. Nihil enim tam præ-
rum, nihil tam ſingulare nobis pro-
nere valemus, quod ad doctrinam &
gubernandam rempubl. Chriſtianam
:ctet, quin id in Beatitudine tua plu-

rimum excellere, & copioſiſſimè ſupereminere videamus. Nec ſanè hoc de te immeritò dici poteſt: lucifer iſte matututinus mirificum ſplendorem ac cęleſte iubar ſecum afferens, radiis ſuæ claritatis ante oculos noſtros effulſit. Nobis quoquè plurimum gaudemus, cùm Dominus oues pacifico, fideli, prudentiſſimo ac vere innocenti paſtori cõmiſerit, qui eas diligẽter & egregiè cuſtodire ac regere ſciat, velit, poſſitq;. Quod cùm ita ſit, nemo profectò dubitare debet, Dei populũ his annis atrocibus bellis crudeliter agitatũ, conſilio atque opera & ope tua, placida poſthàc optatiſſimæ pacis tranquillitate fruiturum. & cùm vniuerſæ nationes & cuncti reges atque populi, Romanis legibus & maieſtati tuæ parentes, gratiam, honores, beneficia, commoditates omnes, ab iſta tua ſingulari & incredibili benignitate ſe facilè conſecuturos putent: vnus eſt inter cæteros Hercules dux, quem maiorum inſignis gloria, & (vt antè diximus) certiſſima ſemper erga R. Eccleſiam fides, quem ipſius plurima ac præſtãtiſſima pace & bello ſpectata virtus, necnon animus iuſſis tuis ſemper obſequentiſſimus, Beatitudini tuæ plurimum commendent. Eum nunc tibi perſua-

perſuadeas tuis ſacris genibus aduolutum, ac ſupplicem rogare, vt inter fideles ac deditiſſimos ſuos tua Sanctitas ipſum admittere, ac fouere & protegere dignetur. Quidquid per te opum, quicquid authoritatis, quicquid gratiæ, quicquid dignitatis, quicquid gloriæ conſequetur, cùm ipſe etiam tuus ſit, id omne rebus tuis acceſſurum certo ſcias. Hoc ſi feceris, quod te facturum omnino exploratum habemus: & ipſum Ducem Herculem cum magnanima & excellentiſſima coniuge, & eius liberos egregia quidem indole præditos, & iam nunc per paternæ virtutis veſtigia incedentes, atque omnem illam adeò illuſtrem familiam Eſtenſem, & illos qui ab ea nunc ſunt, ac poſteros eius omnes, ſimul cum Ferrarienſibus tuis, & cum vniuerſis populis Eſtenſi imperio ſubiectis, ac Beatitudini tuæ plurimùm affectis: æterna tibi obligatione deuincies: nec minùs tibi nos debere putabimus, quàm optimis ac obſeruandiſſimis dominis fideles ſerui, & quàm chariſſimis parentibus amantiſſimi filij debeant. Hunc igitur talem tantúmque Principem, atque adeò tibi deditum, Benigniſſime Pater, vt ipſe cõfidit, humanitate tua complectere: nec

paruæ gloriæ tibi futurum putaueris, te in eum tua beneficia cõtuliſſe, quem meritorum erga te tuorum nunquam aut immemorem, aut ingratũ fore eius nomine, Beatitudini tuæ pollicemur. Hæc coram Sanctitate tua in hoc clariſſimo tot illuſtrium virorum conuentu breuiter à me dicta ſint: quæ magnifici atque eloquẽtiſſimi collegæ mei, grauiore quidem & magis culta oratione facundiùs & elegantiùs explicare potuiſſent. Sed ego, vt antè dictum eſt, optimi Principis noſtri mandatis parens, ad hunc locum acceſſi: ne ſcilicet inobedientiæ crimen incurrerem, néve recuſatio mea laborem potiùs ſubterfugere voluiſſe, quàm vllam rei difficultatem pertimuiſſe iudicari poſſet.

AD ALEXANDRVM VI. Pont. Max. Iacobi Spinolæ I. C. Genuenſium nomine.

CVm ſæpenumerò mecum ipſe cogitãs animo repeto, hinc felicis & auſpicatiſſimi Pontificatus tui gloriam immenſam & admirabilem, hinc ſummum & incredibile gaudium, quod pro tanti numinis tui claritate patria noſtra Genuenſis vniuerſa concepit: non ſine du-

bia protinus & incerta ſententia diu volutás ac anceps exiſto, qui coram tot Semideorũ Reuerendiſſimorúmq; patrum cœtu, de vtroque tibi, Pater Beatiſſime ac Sanctiſſime, ſim verba facturus. Nam ſi ſupremum tui apicem Põtificatus intuebimur, quo cæteros vniuerſi terrarũ orbis Principatus exuperas: nedũ ipſi Rhetorum principes, eloquentiæ lumina, recenſendo deficerent, qui ſuperioribus ſeculis orandi copia & grauitate floruerunt, ſed nec minimam quidem portiunculam attingerent: ſi maximam populi Genuenſis lætitiam, ingentéſque acclamationes afferri voluero, nullis humani ingenij viribus, nullo labiorum motu, nulláque linguarum vi poterit explicari. Sed cùm primum officij noſtri vinculum & præcipuam Chriſtianorum omnium obligationem intueor, vt, quem ſibi Romana baſilica ſummum paſtorẽ aſſumpſerit, eum Chriſti Vicarium ſalutantes in terris veneremur: ídque nedum pietati & officio congruum, ſed etiam iuſtitiæ & honeſtati proximum, veteri conſuetudine ſeruetur: ſtatui potiùs vniuerſæ ritum obſeruantiæ pro ingenioli mei viribus adimplere, quàm aut gloriæ altitudinis tuæ neceſſaria non impendere, aut

omnium primatum procerúmque noſtrorũ votis aduerſari: qui profectò non tam rei magnitudine ac difficultate conterriti, pro qua tuæ clementiſſimæ Sanctitatis prudentiam & humanitatem expoſcunt, quàm feruore compulſi, tantæ gratulationis habendæ per hos præſtantiſſimos Oratores, méque inter eos minimum & iuniorem, decreuêre tuũ Sanctiſſimum ac Beatiſſimum numen ſalutari, ſupplicari, flexíſque ad terrã genibus adorari. Cùm itaque tam grauiſſimi muneris cauſam humeris meis imparem ſuſceperim, offeratúrque mihi tam latiſſimus dicendi campus, vt quocunque diuertã, maiores & vberiores progrediendi vias reperiã? tanti primò Pontificatus tui laudes, deinde tuiipſius, poſtremò gaudiũ noſtrum immenſum tenui hac oratione complectar, ea tãtummodo explicando, quę vel rerum nouitate attentam, vel breuitate clementem & beneuolam tuam Sanctitatem reddere poſſint. Proponuntur ergo imprimis hæ laudes referendæ: quæ cùm ſatis abundanter & copioſè videbuntur adductæ, tamen adhuc & numero maiores, & extraordinariores gloria ſupereſſũt. Quare vereor magnopere, ne tam graue, tam difficilem prouinciam

aggreſſuro mihi eueniat, quod diuo Auguſtino contigiſſe traditur: cui opus altiſſimum Trinitatis præmolienti, puer viſus exiguæ foueæ totam maris aquam admouere, facilius ſibi hoc opus, quàm Auguſtino, quod parabat, futurum aſſerens. Verùm ſi non ita pinguem, copioſam, & elegantem orationem habuero, vti rei magnitudo & excellentia poſtulat, glorioſiſſima tamen & clemẽtiſſima tua maieſtas, de qua *nuper agẽdum eſt, ardentiſſimæ potiùs voluntatis meæ ſibi gratulandi, & inclinatis genibus obſequendi, quam ætatis, animoſæ forſan & Phaëthonteo tramite procedentis, rationem habeat.

nunc per me.

Si igitur ad tantæ dignitatis magnitudinem primo loco exornandam, ipſius vim nominis conſiderare liceat: Pontifex, alio nomine Papa nũcupatus, vtriuſque vocabuli exitu, rei vehementiam ac poteſtatem indicat: tũ quod Papa *interiectionem papę admirabilem ſonet: tùm quod Pontifex, Max. Scæuola authore, à poſſe & facere, Iſidoro verò in vij. Etymologiarũ, quod ad cælum pontem faciat, interpretetur. Nec inconueniẽs aut abſonum putes, quandóque ab effectu dignitates aliquas nominari. Imperato-

*for. *, inſtar interiectionis, papæ, admirabilẽ.*

res enim ab imperando, Reges à regen-
do,Duces quoque à ducendo pariter de-
*κλῆρος. neniunt. ſicque Clerici à *cleros, quod
*Act.*1. eſt ſors,cùm ea Matthię ab Apoſtolis or-
dinando priori contigerit: Epiſcopi, à
ſubditorum cura: Metropolitani,à men-
ſura ciuitatum vocantur. Si eius origi-
nem & antiquitatem quærimus, anno
*Exod.*28. ante Chriſti aduentum M. D. X C V.inſti-
29.35.39. tutum fuiſſe comperimus, & iuſſu Do-
mini per Moiſen Aaroni fratri ſuo pri-
mùm fuiſſe collatum. Si dignitatē iſtam,
vel omnium potiùs dignitatum culmen
intuebimur, hæc ſupereminēs & glorio-
ſa maieſtas multipliciter decoratur. Ea
enim eſt, quæ paſtoralem dignitatem in
totum ac vniuerſum Chriſtianū gregem
gerit, quæ omnium Eccleſiarum prote-
ctionem continet,quę nullo prorſus im-
petu ac vi labefactari poteſt. Ea eſt, quæ
deuios & errantes ad veritatem reducit,
quæ ſubditos ad pacem & concordiam
dirigit,quæ pro nobis cogitat, vigilat, &
inſudat. Ea eſt,quæ ſanctiſſima & beatiſ-
ſima,nedum noſtro, verùm & cæleſti ar-
bitrio exiſtimatur: quæ tanta poteſtate
à Deo ſummo & optimo condonatur,
quæ Dei vices & omnipotentis conſi-
ſtorium ſortita denique nuncupatur. Si

excellentiam quærimus,quis in toto terrarum orbe vel ordinis dignitate, vel officij claritate, vel magiſtratus authoritate, ſummo Pontifici ſit adæquandus? Exurgat illa potens & egregia maieſtas, quæ cum tuo altiſſimo numine comparari temerè audeat. Qua vnquam præteritæ tempeſtatis memoria euaſit, qui aut comitatu potens, aut ducatu inſignis, aut domino excelſus, Beatiſſimæ huic Sedi non ſuccubuerit? Quid egregios Principatus, altiſſima regna, imperiáque totius terrarum orbis ingentia meminerim? Sileant Aſſyrij Ninum, qui primus omnium intulit bella finitimis: Cyrum Perſæ ſilentio tranſeant: conticeant Macedones Amyntam,Philippum & Alexandrum. Pœni Hannonem, Haſdrubalem, atque Hannibalem taceant. Siquidem hi aliqua regnandi gloria vel imperandi laude micuerunt:certè eorum nemo tam latum, támque propagatum imperium obtinuit, & id quidem vi aut aſtu occupatum,non tam ad ſubditorum vtilitatē & honeſtatē,quàm ad imperantis nutum & voluntatē regebatur. Tu autē virtute pręuia,Deo authore,omniũmque totius Eccleſiæ militãtis Cardinaliũ voto, ſingulorúmque ſuffragiis, ne vllo

quidem diſſentiente, ad tantæ gloriam Sanctitatis admitteris: qui totius Dominici gregis paſtor vnicus, cum ad honeſtatem, ad pacem, & ad gloriam æternam dirigas, inſtruas & promoueas. Si iuſtitiam inſpicimus, quæ firmum dicitur & immobile propoſitũ, cuilibet perpetuò ſua iura tribuens: quis non eam fruſtratoriam dubitet, ni foret, qui eius adminiſtrator in terris diceretur? Quid enim nuda eſſet voluntas, ſi ab omnibus eſſet incognita? Quid conſtantia, ſi iura & eorum diſpoſitiones ignorarentur? Quid perpetuum, ſi nullæ leges, nullæ conſtitutiones, nulla edicta, quæ Princeps omnium ſummus exequeretur? Eſt igitur Pontifex, qui Canones edidit, editos auxit, auctos confirmauit: Pontifex eſt, qui iura correxit, correcta promulgauit, promulgata ſeruauit: Pontifex eſt, qui lege, Canone, & propria conſtitutione Papali ſolutus, ea tamẽ viuere non dedignatur: qui Canon in terris animatus vocatur, qui deniq; omnium Principum, Regum & Imperatorum iudex legitimus appellatur. Eius enim ſententia, cæteris omnibus præferenda: eius, in alterius defectu iudicis, tanquam alicuius numinis imploranda: eius, tantummodò ipſi Deo

corrigenda. Cùm ergo vnum Pontificem iuſtitiæ cultorem, legum ſeruatorem, eundémque in terris animatum ius eſſe videamus: quid ei vel honoris addendum, vel gloriæ cumulandum, vel laudis ampliùs aggregandum, reperiri, inueniri, vel excogitari queat, quo gens hominum vniuerſa eum extollere, exornare, & magnificare æquè poſſit? Si poteſtatis plenitudinem meminerimus, quid eſt quod vis vlla mortalium aſſequi poſſe videatur, in quo ſuprema tua poteſtas non exuperet? Quis erit adeò temporariæ fortuna præditus, adeóque temerarius? Quis tam veſanæ mentis & vecordis animi, qui te primum Sacerdotem ac ſupremū Pontificem non agnoſcat? qui te Dominici gregis paſtorem, totiúſque nauiculæ Petri gubernatorē neſciat? eundémque Sacroſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ baſim & fundamentum, Petríque ſucceſſorem, ac optimi Dei Vicarium non honoret? nónne, cùm cætera deſint, hoc ſalutandi tamen & ſupplicādi munere, Beatiſſimóſque pedes tuos oſculandi, non modò idipſum penitus intelligunt, verùm & communi ore fatentur? Negabítne ergo quiſpiam, quòd gladij poteſtatem vtriuſque à vero Deo

demandatā non obtineas? quòd plenam in ſpiritualibus iuriſdictionem, ſupráque omnes Eccleſias non exerceas? quòd ſi cæteri ſolicitudinis in partem aduocentur: tu Dominatus excellentia, poteſtatíſq; plenitudine non decoreris? reſpuétne etiam, per te vouentium & peccātium caſus non abſolui? per te de gradu deiectos, ad priſtinę vitę ſtatum non reſtitui? per te ſolum, ſcripta omnia & *conſilia non approbari? Equidem hæc omnia liquidò vera eſſe cognoſcimus: quibus accedat, quod tuæ proprium etiam authoritatis exiſtit, templa erigere, clericos ordinare, Epiſcopos creare. Tuæ proprium authoritatis eſt, non ſolum mitras & annulos; verùm & baculos paſtorales cæteráque Epiſcoporum inſignia tribuere. propriúmque tuæ erit authoritatis, pallia poſcentibus concedere, cruces ante ſe portari permittere, omnéſque, totius terrarum orbis dignitates inſtituere. Ad te prętereà vacantis Imperij pertinet adminiſtratio, ad te Cæſaris electi conſecratio, ad te vnctione addita coronatio. & ſi Electores negligentia ducti, vel diſcordia impediti, Cæſarem non eligunt, vel indignum ex certa ſcientia decernũt: eo reiecto, alterius ad te Imperatoris ele-

*concilia.

ctio deuoluitur. adeóque *ſuorum defe- *illorum,
ctuum & vitiorum ad te magna ſpectat
caſtigatio, vt propter ipſorum iniquita-
tes, ſolus & ſine concilio, ab Imperij di-
gnitate eos deponere poſſis. Quid tan-
dem? quaſcunque dignitates & poteſta-
tes vnquam Patriarchæ omnes habue-
rint, ſolus habet Pontifex: qui ſolus lo-
cum Principis Apoſtolorum obtinet, &
in illa ſede, quam ſibi Dominus in B. Pe-
tri perſonam elegit, conſidet: cuius au- *Matt.16.*
thoritas ſanctorum omnium præſtat au-
thoritati Nec vllus, quãtiſcunque etiam
fulgens miraculis, pro ſancto debet ve-
nerari, qui non fuerit per ſummum Pon-
tificem approbatus anteà, canonizatus,
& in Catalogo ſanctorũ deſcriptus. Hæc
& alia permulta à me adduci poſſent, quę
penuria temporum, tanquàm omnibus
notiſſima, duxi omnino prætereũda fore
& in præſentia reſecanda, ne apud *tuam
quandóque Sanctitatem ſim lõgior ha- **tuã Sanctitatẽ ſim longior, quam.*
bitus, quàm propoſiti mei ducat intẽtio.
Ad te igitur ipſum, Beatiſſ. Pater, ſum de-
uenturus: qui adeò virtutum gloria &
diſciplinarum laude, & vitæ ſanctimonia
decoraris: & adeò ſingularum ac om-
nium rerum ornamento, dotaris, quę ta-
lem ſummam ac venerãdam dignitatem

præbeant, vt valde ab omnibus ambigendum ſit, túnc magis, Pontificatui, an illa tibi ſacratiſſima & glorioſiſſima Papatus dignitas offerenda fuerit. & ni eius decremẽto dictũm putetur, quod mortali cuiquàm aſſumatur comparanda, in hanc auſim profecto ſententiã deuenire, quod tu illi futurus & maiori ornamento & vſui, non ſolum exoptãdus & ad hoc promouendus eras, verùm & inuitus cogendus. Nam tibi vt ipſi * parum adiumenti parúmque gloriæ arbitror accreuiſſe, vt curarum pondus & laborum cumulum quàm maximum ſileam: ſiquidem ſatis conſtat, excelſis dignitatibus & magiſtratibus ampliſſimis ſæpenumero virtutem & excellentiam augeri, famámque & authoritatem in homine ſuccreſcere: tuæ tamen virtutis & gloriæ, iam diu liquidiſſimum & manifeſtiſſimum documentum extitit, vel quod adhuc adoleſcens inter reuerendiſſ. & excellentiſſ. Cardinales conſtitutus, vel etiam quod non multo poſt Vicecancellarij locum ſortitus, vtróque declaraſti te vnum quandoque non immerito futurum, cui totius Eccleſiæ gubernaculum demandandum & committendum foret. Quare his tantummodo dignitatem, non eos dignitati

*non parũ

contigiſſe putamus,qui Sedis eminentia *veris lar
euecti, habitúſque ſolius pulchritudine uati q̃ or-
induti,* & verius laruati progrediuntur. natiprogre
Eos vero magiſtratum geſſiſſe iudico, diuntur.
qui cùm authoritate,prudentia,ſapientia
& iuſtitia idipſum,cui præſunt, moderan
tur: qui pro rei dignitate,ſummo ſtudio,
ſumma diligentia à malis optima quæ-
que ſecernentes,adminiſtrant. Tu ergo,
qui horum omnium ſcientia præditus,
& experientia refertiſſimus haberis, ipſe
es, qui verè deſignandus & euocandus,
accurrere debuiſti, qui fluctuantem Petri
nauiculam gubernares, & totum ouile
Dominicumdeſtitutum cuſtodires.Cúm
que, Portio Catone ſemel à Prætura re-
pulſo, dici conſueuiſſet, non Præturam
Catoni,ſedCatonemPræturæ fuiſſe nega
tum:ſic in præſentia magnopere eſt exul
tandum,quod,vt aliâsRomano Imperio
Numa Pompilius obtigit,ita & tibi Pon
tificatus, & tu Pontificatui datus fueris:
tu inquam datus, qui, quanto maiora &
ampliora per ſuperiores Pontifices acta
reperiuntur;tanto & altiora cogitabis,&
longè magis admiranda perficies: quod
etſi tua tantummodò præſentis authori-
tas, & herilis ac regia ipſius faciei digni-
tas prę ſe ferre videtur, tamen imprimis

accedit nobiliſſimã natio tua Hiſpaniẽſis, inter cæteras vniuerſæ terræ prouincias, aëris ſalubritate temperata, omniũmque rerum copia & bonitate præcipua: viros progenerans, qui & corporis agilitate, & ingenij acrimonia, & omnium virtutum gloria ſummi clariſſimíq; ſemper extitere. Dehinc eximia tua Valentina ciuitas, quæ & ſui antiquitate, & ſitus pulchritudine, & virorum copia, &

Iberia. omnium mercimoniorum genere longè reliquas*Hiberiæ ciuitates antecellit: nec non illuſtris & excelſa illa Boriarum familia, quæ te nobis talem peperit, qui verè nationem, patriam, & familiam illuſtraſti, & recolendæ ac beatiſſimæ memoriȩ auunculi tui Calliſti ſemper æmulator, præclaris cum facinoribus ac virtute propria quamprimum non modo adæquabis verũ etiã nominis tui gloria lõgè ſuperabis. Adeſt tibi præterea morum probatiſſimorum qualitas, literalis diſciplinæ ſcientiarúmque omnium peritia ac optima viuendi ratio. Adeſt humanitas illa inclyta, cum tuæ tamen authoritatis ratione ſeruata: adeſt optimum & ſalubre conſilium, ipſáque liquida & aperta veritas, nulla plica, nulla fucatione nulláque verborum captione contecta.

adeſt & vitę ipſius ſanctimonia,& pietatis cultus, ac omnium eorum cognitio, quæ tam inclytę dignitati expedire, aut vſui eſſe poſſint. Felix igitur, qui tot virtutibus exornatus,tot laudibus cumulatus, in tam maximi altiſſimíque Magiſtratus culmine collocatus,poſt tot annorum interuallum,tot opera ſãctiſſima de ſummo & optimo Deo tam benè meritus,diu tibi & proximo,mox tibi& vniuerſo generi Chriſtiano profuturus euaſeris: & per rabidos itinerum anfractus, perque ſublimes & periculoſos ſcopulos deductus, ſemitam tandem affectatam feliciter occupaueris. Poſtremo ſupereſt, quoniam longiori admodum tuæ laudis commemoratione aures tuas defatigari quam meipſum ſatiari fortaſſe contigit, vt mentes noſtras exultantes,& non paruam animorum noſtrorum gaudentium vim atque alacritatem adducam: Quam quidem adeò magnam incredibilémque imprimis concepimus,quod cùm vniuerſum Reip. Chriſtianæ commodum & vtilitatem cernimus, eam expectationem præ te ferre, ſpémque ac certitudinem prębere exiſtimaris, quam quiſpiam vllo vnquam exacto tempore vel inſpectione ſpoponderit,vel re ipſa nunquam

feſellerit. Adeóque tuę ſplendor claritatis omnium mentibus affulſit, vt aurea illa, quæ à maioribus noſtris tempora Saturni vocabantur, eueniſſe profectò videamus, quibus Aſtræam ipſam in terras è cælo, tuæ maieſtatis fretam numine, rediiſſe conſpiciamus; pacem Chriſtiano generi ac concordiam attuliſſe concernamus, mutua propediem obſequia & humanę ſocietatis officia non deſitura: quibus minime diffidendum eſſe vaticinor: breui enim futurum, vt pudor, fides, mores, ſanctitas, ac virtutes omnes ita firmam, ita ſtabilem, ita immutabilem ſedē in terris ſtatuant, vt nullum vnquam argenteum, æneum, ferreúmque ſeculum, vel illo deterius incurſura*ſit. ſicque vniuerſalis Eccleſiæ lux ſplendidiſſima lucebit, non ſolum pace, vnitate, fide ac veritate, verùm adeò ſupra æternæ vitæ ſemitam ſplendeſcet, quòd cæci quoque viā veritatis adſpicient, & Chriſtiani nominis inſecuturos ad veri Dei cultum conuertentur. Deinde cùm primum publica animorum noſtrorum vota metimur, non poſſumus non ingenti lætitia exultaſſe, qui (quod nec propriæ iactantiæ nec aliorum dedecori adſcribendum putetur inter primos extitimus, qui in to-

*ſint.

ta

a Italia ſtatim poſt aduentum Chriſti Eccleſiaſtica ſumpſimus ſacramenta: qui nunquàm Romanæ Eccleſiæ aduerſati, ſæpiſſimè * & perpetuo, ſi auſim dicere, & fauentes, continuo Eccleſiaſticam libertatem ac dignitatē propugnauimus in poſterum longè recentiores, & ſingulis diebus audentiores ac procliuiores futuri. Quare ingenita nobis & huic ſplēdidiſſimo culmini fides aſſueta, nulla tēpeſtate vnquam defutura, intantum omnium Regum & nationum animis innotuit, quod, ne dicam negaſſe, qui eam diſſimulaſſe cogitaret, haud facilè * poſſet. Tibi vero ipſi potiſſimè ac libentiſſimè efficimur, quod, cùm recolendæ ac ſanctiſſimæ memoriæ Calliſto tertio protectori noſtro ſanguine fores coniunctus, qui nos apprimè diligebat, iuuabat, & tuebatur: idē quoque tu Cardinalis egeris nec ab incepto * deſiſtens, immò, ſi expediens aut oportunum erit, potiùs * forſan ducturus. Denique, Pater obſeruandiſſime, ſi tua iſta creatio ſplendidiſſima tanto animi gaudio, tantáque lætitia mentis affecit illuſtriſſimum ac præclariſſimum principem noſtrum, Ioannem Galeatiū Mariam Mediolani ducem, ac inuictiſſimum & excellentiſſimū Dominū D. Lu-

*for. * auxiliantes, & perpetuo (ſi auſim dicere) fauentes.*

** inueniri poſſet.*

** deſiſtes.*

** etiam augebis.*

douicum Sfortiam ducem Bari, totius Italiæ decus & ornamentum : quanto ex voti ſui ratione & maiorem voluptatem: & exultationem nobisquoque capiẽdam putabis? Nam ſi eos tantundem diliges, quantum ab ipſis lęta & hilari fronte exceptus & auditus fuiſti Papa creatus, non dubitamus eiuſdem quoque dilectionis partem conſequi. Cumque animorum noſtrorum fides eis perpetuo dicata ſit, & excellentiæ ſuæ ſtudium erga nos continuè magis indefeſſum videamus, eorũ gaudium & ſerenitatem nobis propterea communem fore putamus.

Nunc igitur, vt aliquãdo ea omnia perſoluantur, quæ tam per Illuſtrẽ Dominũ Auguſtinum Adornum Gubernatorem noſtrum, Illuſtriſſimi & excellentiſſimi Principis Mediolani Ducis, Locũtenentem digniſſimum, quàmper magnificum Senatum Genuenſem nobis iniuncta & expreſſè demandata fuere, horum omnium vice ac nomine tibi reuerentiam & obedientiam deferimus, quæ per cæteros Principes Chriſtianos & maiores noſtros, ſummis Pontificibus offerri ac impendi conſueuit : eámque nunc tibi perpetuam tradentes, pollicemur quicquid in nobis virium, fortunarum, aut

opis exiſtat, quod Beatiſſimæ Sanctitati tuę vſui expediens, aut vlla vnquam tempeſtate neceſſarium eſſe poſſit.

AD ALEXANDRVM VI.

Pont. Max. Iaſonis Maini I. C. Mediolanenſium Principis nomine.

PRiſcorum monumentis accepimus, Sanctiſſime, Maxime Pōtifex, & vos clariſſima mundi lumina, pleróſque diſertiſſimos forenſiū cauſarum patronos, nō quidē frequētibus comitiis, nō multo Senatu, nec pleno foro: ſed vnius aliquādo excelſi viri præſentia commotos, ſic expalluiſſe, vt & attoniti, & quaſi elingues redderentur. Magnæ apud Græcos authoritatis Demoſthenes, qui primas dicendi partes ſinè controuerſia obtinuit, Phocionem ciuem ſuum Athenienſem, non tam eloquentia quàm morum grauitate celebrem, ita metuebat ac venerabatur vt, cùm in Senatum oraturus accederet, coram eo eloqui pertimeſceret, ſubmiſſa ad amicos voce, Hic eſt nouacula ſeu gladius tōſoris verborū meorū. Curio pater pro Seruij Neuij in magna & graui cauſa

Ciceroni reſponſurus, eius præſentia & authoritate, quaſi Ticiniæ venenis, cre-ptam ſibi omnem dicendorum memoriam palam eſt atteſtatus L. Craſſus Romana facũdia diſertiſſimus, adeò Q. Scęuolam ſocerum veneratus eſt, vt, cùm ad petendum conſulatum circùm forũ ſupplex ire cogeretur, nunquam adduci potuerit, vt id præſente Scæuola grauiſſimo & ſeueriſſimo viro faceret: eum timorem non veſtis ſenatoria aut candida toga, ſed Scæuolę præſtantia Lucio inferebat. Idem L. Craſſus, paternam vlturus iniuriam, cùm apud Q. Maximum aduerſus Cn. Carbonem cauſam acturus foret: ſic eius præſentia turbatus eſt, vt totam cauſam oblitus perhibeatur. Cn.* Sicinius pro Seruio Neuio apud Pretorem Romanum, virum clariſſimum, dicturus, idem paſſus affirmatur. Omitto, quod M. Ciceronẽ, in cauſa Miloniana, illa tanta dicendi felicitas omnino deſtituit: Prætereo quod Demoſthenes apud Philippum Macedonum Regem orationem habiturus, ſic expauit & animo cõmotus eſt, vt paucis admodũ verbis expreſſis, obmutuiſſe feratur: item quod Theophraſtus Philoſophus alioqui eloquẽtiſſimus, apud Alexãdrũ Regẽ verba

*Siſinius.

factur⁹ maxima verecũdia ſuffuſus, nihil effari potuerit. Quòd ſi tales & tam ſũmi oratores, vnius viri præſentia commoti, defecerunt; nemini mirum videri debet, ſi mihi coram ſummo ſacrorum omniũ Antiſtite, qui Dei ſimul & hominis primum in terris locum tenet, coram excelſo Põtificiæ maieſtatis throno, quo nullus in humanis neque ſublimior, neque excelſior reperitur: in ſplendidiſſima Reuerendiſſimorum Cardinalium corona, in celebri tot Pręſulum conſeſſu, & tot illuſtrium ac clariſſimorum virorum cõuentu: tantæ rei nouitate & excellentia confuſo præcordia palpitant, caligant oculi, artus refrigeſcunt, gelidúſque coit formidine ſanguis. Sed me non parùm recreat ac reficit, cũ animaduerto, quòd eos maiori clementia inniti decet, quos maiora dignitatum culmina altiùs extollunt. Natura hoc in brutis animantibus oſtendit, vt, quæ cæteris præſtant, manſuetiores reddantur. Apes iracundiſſimæ ſunt, & graues in morſu aculeos relinquunt: earum tamen Rex caret aculeo. Præter naturæ legem, ex Saluatore noſtro, quem clementiſſimũ & ſuper omnes mortales mitiſſimum ſcriptura prædicat, clementiã diſcũt, qui eius in terris *Eſaia* 49. *Hiere.* 3.

vicem gerunt, & qui ipſius veſtigia ſectantur. nihil eſt, vt diuus Gregorius inquit, quod in Pontificali ceruice ſplendidius fulgeat, quam humilitas & clementia. Clementia, dos eſt prima Romanorum Pontificum: & nullos magis, quàm ſummos Præſules decet. Inde eſt, quod quæcunque Chriſtianorum Principum vota, quibuſcúnque verbis emiſſa, clementer & inoffenſa aure excipiunt: benignè admittant quaſcúnque ſalutantium & gratulantium voces: nec qua verborum pompa, aut quo orationis delectu, ſed qua fide & qua deuotione colantur, attendunt: non ex verborum inopia, ſed ex animi copia, vt par eſt, rem metiuntur nec minorem bonę voluntatis, quàm culti ſermonis, habent rationem. Quanto autem grauior eſt ſarcina, qua premor quanto maiori negociorum faſce vrgeor tãto maioris erit clemẽtiæ, mecum benignius agere.

Gratulaturi igitur, Pater Beatiſſime, tuæ maieſtati, tuæque felicitati, immò non minus nobis ipſis, quam tuæ ampliſſimæ dignitati, vel rectius communi vniuerſæ Chriſtianæ Reip. ſaluti, debitũ obediẽtię ac Canonicæ deuotionis officium abſoluturi, pro veteri fidelium inſtituto & pri-

catholicorũ Principũ conſuetudine,
a breuiter exequemur. Aperiemus im-
mis, quàm benemerita fuerit hæc tua
leſtis aſſumptio, immò quã neceſſaria,
qua Chriſtianorum omniũ animi ma-
nã ſpem conceperunt, vt læta proſpe-
q; omnia in tuo Pontificatu ſperanda
t: in eáq; haud multo minorem Ele-
orũ prudentiam, quàm electi meritum
endemus. Deindè, quia modeſtiam
am nouimus virtutis actione conten-
malle benè agere, quàm benè audire:
gloriã tuam potiùs factis, quàm vllius
ædicatione conſpicuam reddere: per-
ingemus aliqua de tuis laudibus, ne, ſi
eis diutiùs immoremur, pudicas aures
as offendamus potiùs, quàm oblecte-
us. Poſtremò, vbi Illuſtriſſimi Medio-
enſium Principis, & ſapientiſſimi eius
trui Ducis* Barri, quorum legatione *Bari,
ngimur, lætitiam immortalem, gaudiũ
credibile, & veras gaudij cauſas ſigni-
auerimus, extremum legationis no-
æ munus perficiemus.

Si vnquàm anteà Reuerendiſſimi mi-
antis Eccleſiæ Cardinales, diuino ſpi-
u afflati, puris mẽtib⁹ ac recto iudicio
ectionis ſanctæ myſteriũ abſoluerunt,
ac profectò tẽpeſtate, & ſinceriùs quàm

vnquàm, & candidiùs ac felicius officio functi ſunt: te ex ſacratiſſimo conclaui, omnium ſuffragiis, Pontificem maximũ declarârunt: te Dominici gregis verum & optimum paſtorem iudicarunt: tibi, vt legitimo Petri ſucceſſori, hanc glorioſiſſimam ſummi Apoſtolatus ſedem contulerunt: te idoneum decreuerunt, qui tanti regiminis molem ſuſtinere, & totius Catholicæ Eccleſiæ gubernacula moderareris. Tu verò optima eorum de te opinione, nulla ex parte inferior, eorundem grauiſſimis iudiciis non modò reſpondes, ſed etiam vincis, ſuperas, & excedis. In Romano Pontifice duo præcipua requiri, ex geminarum clauium traditione, ſacri Canones interpretãtur: quarum vna poteſtatem deſignat, altera ſapientiam: poteſtatem, ex fortitudine & animi magnitudine conſtare liquet, ne timore aut formidine à recto paſtoris officio declinet: ſed impauidus & conſtans, quibuſcunque refragantibus ſtrenuè fortitérque reſiſtat: circunfremen tibus vndiquè tempeſtatibus, non commoueatur animo, non concutiatur, ſed rectum in omnia conſtantémque vultũ proferat, ſit à recto immobilis, à iuſto inuiolabilis, à decoro inexorabilis ex ore

edentis in throno procedat gladius bis
cutus, ſicuti Ioannes in Apocalypſi ſcri-
tum reliquit. Sapientia verò tanta ſit, *Apoc.1.*
uæ non ſolùm literis & ſacra doctrinà
onſtet, ſed etiam longo rerum vſu, &
xperientia rerum magiſtra. Veriſſimè
Africanus poëta opinatus eſt, ſapientiã,
vſus & experientiæ filiam eſſe: propterea
quòd ei, qui ſapiens eſſe velit, non libris
olis neque diſciplinis opus ſit, ſed opor-
eat eum verſari, exercerique in rebus
ominùs noſcendis periclitandíſque, &
proindè ſapere atque conſulere ex his,
quæ acta & euenta, & ipſa rerum pericu-
la, docuerint. Ennius Tarentinus litera-
rum cognitionem mãcam eſſe aſſerebat,
ſi nulla actio, nulla experientia, nulla re-
rum expetendarum fugiendarúmq; ſciẽ-
tia ſequatur. *Plato* vir diuinus in Gorgia
ſuo monuit, diſciplinarum ſtudium ſine
actione & ſine experientia, ſoliuagum
acieiunum eſſe, niſi & ea quis ſapiat, quæ
rerum pericula docent. Inexperti nego-
ciorum minùs apti minúſque idonei ge-
rendis magiſtratibus ſemper habiti ſunt.
Vndè Cornelius Sylla Marij Conſulis iu-
uentam irridens, Remigem, inquit, priùs
eſſe oportere, quàm ad gubernacula ma-
nus admouere. Solõ Philoſophus Athe-

nienſibus ſuadebat, ne anteà Principatum aut Magiſtratum appeterent, quàm imperare aut magiſtratus gerere didiciſſent. Quòd ſi poteſtas fortitudine & animi robore conſiſtit, ſi ſapientia conſtat non ſolùm literis, ſed etiam multa experientia & longo rerum vſu: exactiſſimum fuit iudicium huius ſacri Cardinei Senatus in deligendo te ſummo Pontifice, qui & fortitudine præſtas, & magna ſapientia præditus es. Iam multis magníſque periculis apertè declaraſti, quàm ſis inuicta conſtantis animi magnitudine, & infracto ſolidiſſimæ mentis robore. Tu nec aduerſis deterreri ſolitus, nec ſecundis afferri: inflexibili rectitudine, incorrupto iudicio, & integritate incommutabili idem perſiſtis. In omni vitæ curſu, aduerſus quoſcunque fortunæ impetus eadem frons & idem vultus perdurat. Tibi illud Fabricij Romani Conſulis elogium meritò aſſcribi poteſt, te difficiliùs à recto, quàm Solem à ſuo curſu auerti poſſe. Nemo etiam literarum eruditione, cum longo rerum vſu, te doctior: nemo varia & multiplici multarum rerum experientia prudentior: nemo cõplurium negociorum adminiſtratione cautior: nemo longa & aſ-

ſidua diuerſarum gentium conſuetudine in noſcendis ac liberãdis hominibus callidior: nemo rerũ antiquarum ac nouarũ cognitione peritior: nemo morũ veterũ ac nouorum ſcientia præſtantior. Iam annis ſeptem & triginta ad Cardinalatus apicem euectus, & paulò pòſt in Vicecãcellarium aſſumptus, non ſolùm Romanæ curiæ mores ac ritus omnes percalluiſti, non ſolùm Eccleſiarum ac Eccleſiaſticarum perſonarum inſtituta cauſaſque didiciſti, verùm etiam ſecretiora quæque populorum, nationum, Principum, Regúmque negocia pertractâſti: Romanorum quinque Pontificum, qui te anteceſſerunt Calliſti, Pij, Pauli, Xyſti & Innocentij vitas & decreta omnia, coram & viuo in ſpeculo inſpexiſti. pro ApoſtolicaSede varia functus es legatione, præſertim Hiſpanienſi, Picentina, & Parthenopæa, non minùs ſapienter & proſperè, quàm glorioſè. Non eſt quòd ampliùs ex alio diſcas, quæ tuæ in hoc Pontificatu gubernando partes ſint futuræ: noſti, quid Chriſtiana religio requirat, quid fides, pietas, charitáſque velint, quid pręlatorũ officiũ poſtulet, quid Chriſtiani gregis tuæ curæ cõmiſſi neceſſitas exigat: noſti, quę Romano Põtifici

conducant, & quæ ſint neceſſaria: noſti, quid Romanum Põtificem deceat: quid ei liceat: quid expediat; noſti Romano Pontifici plenam adminiſtrationis poteſtatem nõ ſimpliciter & abſolutè fuiſſe attributam, ſed claue rationis & prudentiæ non errante: priùs didiciſti, quibus bonis artibus, qua induſtria, qua ſolicitudine, quo ſtudio paſtorale officium regi debeat, quàm ad illud adſpirare pręſumpſeris. Inſtructus regendi adminiſtrandíque peritia, priùs meruiſti ad ſummi ſacerdotij gubernacula aſſumi, quàm bene promeritus aſſumeris. Te ergò cõſule, te audi, tibi auſculta, tibi obtempera. Non eſt, in quo alterius conſilio tibi opus ſit. Te vnum tibi imitandum propone, quo nihil in humanis diuinius reperies. & qui cæterorum norma & verũ es exemplar, nunquàm aberrabis, ſi à teipſo nuſquàm diſceſſeris, ſi tuo acri ingenio parueris, & tuo grauiſſimo iudicio fueris obſecutus. nihil vnquàm deerit, quod vlla in re in conſummatiſſimo Põtifice exigatur. Quod ſi beatas eſſe Reſp. Plato non minùs verè, quàm eleganter monebat, ſi aut ſapientes imperarẽt, aut earum Principes ſapientiæ ſtudio tenerentur, Beatiſſima es vniuerſa Chriſtiana

Reſp. quæ tam ſapientiſſimi paſtoris regimini credita es. Nec multo minor veſtra laus eſt, ſacratiſſimi Cardinales, talem elegiſſe, qui ſapiētia ſciret, & authoritate poſſet tanti regiminis habenas rectè gubernare. Eum promouiſtis, qui gētium, Principum, morum, conſuetudinū, dignitatum, bonorum cognitione & experientia admodùm eſt eruditus: rectitudine verò, æquitate & iuſtitia inuiolabilis, animi fortitudine & conſtantia inſuperabilis: vt liquidò appareat, in eo poteſtatis & ſapientiæ cōiunctionem, ambarúmque clauium rectitudinem adeſſe. Quoties autem ſapientia & potentia in Romano Pontifice conſpirant, ibi mirabiles effectus expectādi ſunt, quales nūc Chriſtiani omnes prȩſtolantur. Non poteſtis, Reuerendiſſimi Cardinales, non optimi cenſeri, qui paſtorem vniuerſo gregi Chriſtiano optimum proſpexiſtis. Proinde cùm huiuſcemodi ſit, quem elegiſtis, vt non ſolùm ab omnibus eligi & ex omnibus meruerit, verumetiam omnibus anteponi & ab omnibus debuerit: immortales vobis & incredibiles gratiæ turmatim, cateruatímque per vniuerſum Chriſtianum orbem & habentur, & agūtur. Talem enim Pontificio ſolio præfe-

ciſtis, quo Duce, quo Pontifice, omnia læta, omnia felicia ſunt ſperāda. Omnes, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, eo gubernante, eo aurigante, in maximam tranquillitatis & proſperitatis ſpem ſunt animis erecti. Grex Dominicus, tāti paſtoris cuſtodiæ traditus, ad læta paſcua deduci ſperat. ſub tam conſummato Pōtifice, qui ab omnib⁹ virtutibus ſummitates apicéſq; decerpſit, omniū doctrinarum & omnium ingenuarū artium ſtudia florebunt: excitabuntur ingenia, & ſcientiarum profeſſores ad excolenda gymnaſia præmiorum ſpe propēſiùs accendentur. Qui doctrina & claris moribus præſtabunt, vel ad ſacra conſilia aduocabuntur, vel ad altas dignitates extollentur. Iamiam literarum ſtudia ſeſe erigere, & ſub tanto virtutum vexillifero altiùs efferri, & in aurea retrò ſecula reduci videntur. Tu autem Alexander Sexte Pontifex Maxime, ſuſcepiſti culmen paſtoralis faſtigij, locum ſummi ſacer-
Matt. 16. dotij, vicariatum Chriſti. Te Chriſtus non vni tantùm Eccleſiæ, ſed vniuerſis:
Eſaia 49. non in parte, ſed in plenitudine præeſſe voluit. Dedit te Deus in lucem gentium, vt ſis earum ſalus vſque ad extremū terræ. Vocauit te Deus in hunc excelſum

locum, vt lucernam operum tuorum homines viderent, & glorificarent patrem, qui in cælis eſt. Probitas & ſapientia tua gradu excellentiſſimo decorata eſt, & quaſi lucerna ſuper candelabrum in domo Domini poſita, vt omnibus non tantùm, qui in domo ſunt, ſed qui in mundo ſunt, eluceat, Refulſiſti quaſi lucidiſſimum ſidus, & quaſi ſtella matutina in medio nebulæ: quaſi ſol, rutilas in templo Dei. De te cùm Eccleſia verè dicere poſſumus: Ecce ſacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo: & inuentus eſt iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliator: nec eſt inuentus ſimilis ei, qui conſeruaret legem excelſi. Ideò iurejurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam. Fuit, Beatiſſime Pater, hęc tua cæleſtis aſſumptio Reip. Chriſtianæ non minùs neceſſaria, quàm ſalutaris: ſi quis publicas clades, horrendas Chriſtiani generis calamitates, conuulſa Orthodoxæ Religionis membra ſecum conſideret: ſi quis, quantùm barbaræ nationes aduerſus Chriſtianos populos non vno, ſed innumeris locis inualuerint, animaduertat Eo tēpore diuina bonitas te Eccleſiæ pa[...]ē dedit, quo Chriſtiana Reſp. bono [...]ectore, auriga peri-

Matt. 5.

Eccle. 50.

Eccl. 44.

to, & moderatore circunſpecto quàm maximè indigebat. Arbitrabantur Chriſtiani Principes, Mahumete Turcarum Rege validiſſimo vita functo, Baiſſetem filium maiorem natu, qui paterno Imperio ſucceſſit, deſidię ac turpi ocio vacaturum, & quaſi Domitianum alterum muſcis captandis, ſtylóque præacuto configendis incubiturum, ſed lõgè ſecus præter omnium opinionem ſucceſſit. Nam proxima æſtate maximas copias ex Helleſponto traiecit: ingentem ac potẽtiſſimam claſſem ad quamcunque expeditionem inſtructam & expeditam habet, maximo omnibus timori fuit, cùm incertum eſſet, quid moliretur, quorſum eius conatus tenderent. Non conquieſcet truculẽtiſſima bellua Chriſtiani ſanguinis ſitibunda, niſi eius impetus reprimantur, donec paterno exemplo ſuccẽſſus, aliqua graui & miſeranda clade chriſtiauos afficiat. Tu ergo, Pontifex Maxime, in paſtorem Eccleſiæ es aſſumptus vt gregi tibi commiſſo benè conſulas. Tuum eſt excubare, & vigilias agere ſuper gregem, & ex alto throni tui ſolio ſpeculari futuras clades. Tui muneris eſt procul arcere hanc immanem feram ab ouili Dominico, comprimere hoſtiles

barbarorum

barbarorum incurſus, & eorum ſæuitiam à Chriſtianorum ceruicibus amouere. Tuarum partium eſt, pro inſtauranda Eccleſiæ dignitate, omni ſtudio atque conatu intendere: laborare pro viribus, vt Chriſtiani nominis priſtinũ decus & Imperiũ tua opera reſtituatur. Iſta haud difficulter conficies cum* immortalis tui nominis gloria, ſi, vt eſt tui propoſiti, Chriſtianæ paci quàm maximè conſulueris: diſſidẽtes inter ſe Principes ac populos, authoritate tua compoſueris, & tua prudentia ad vnitatem concordiámque redegeris. Non poterat tanto negocio commodatior adhiberi. Tu non tam humano, quàm diuino conſilio aſſumptus, & voles, & ſcies, & poteris tanto diſcrimini prouidere. Quid enim non credimus poſſe Sanctitatem tuam ab immortali Deo impetrare ad noſtram incolumitatem? Quid non ſperemus virtute & prudentia tua poſſe inſtitui, magnitudine confici, conſtantia vigilantiáque obtineri? Quis non iuſſionibus tuis obſequatur? quis Imperia tua recuſet? certatim omnes contendent, vt quàm maximè dictis tuis audientes conſpiciãtur. Eſt tibi à DEO rerum omnium tributa poteſtas. Aſſecutus es, vt, quantum

*immortali.

anteà prodeſſe deſiderabas, tantum & nunc poſſis. Voluntati poteſtas acceſſit, & deſiderio tuo exequendi facultas eſt aſſociata. Occurrendum eſt in tempore imminenti periculo. Reſtinguendus eſt ignis priùs, q̃ magis inualeſcat. Admouẽda eſt in tempore medela: nec eſt procraſtinandum, quoad morbi vis ingraueſcens, ſera remedia aſpernetur. Non eſt tantum periculum negligendum, aut parui æſtimandum, propterea quòd nũc barbarorum conatus ex eorum ſententia non ſucceſſerint. Noſti, Sanctiſſime Pater, quantum ærumnarum, quantum detrimenti Chriſtiana Reſp. Principum deſidia, ex Pontificum negligentia ſit perpeſſa. noſti nimium, quæ commemorare nunc etiam animus horreat. Sæpenumerò anteceſſorum tuorum cunctationem indoluiſti, incuſaſti tarditatem, ignauiam & torporem es deteſtatus. Mahumetani, Scytharum populi, paruis primùm viribus vix breuem Helleſponti angulum aſtu & perfidia potiùs, quàm virtute bellica aut armis, occupauêre: Deinde creuêre viribus, & in dies non parùm incrementi ſuis rebus attulerunt, dum Principes Chriſtiani inter ſe diſſidentes, aliorum funeſtas clades, calami-

ratéſque negligunt, dum priuatis magis, quàm publicis commodis * ſtudere credunt: & ſuæ potiùs, quàm communi Chriſtianæ vtilitati* conſulere arbitrantur. Tandem eoúſque elati ſunt, & tantis ſecundarum rerum incremētis intumuerunt, vt vniuerſum propè terrarum orbem maxima trepidatione affecerint. Sic, qui negligitur, igne de magno cinis ſenſim vires tantas reaſſūmit, quibus poſteà haud facilè reſiſtitur. Quàm ſæpè ex paruis principiis, dum* res negligitur, grauiſſima mala proueniunt? Diximus, Sanctiſſime Pontifex, de tua felici neceſſariáque vocatione: non quantum pro rei dignitate & excellentia dici & potuiſſet & debuiſſet, ſed quantum temporis ratio & breuitatis inſtitutio præſcripſerunt. Iam virtutum tuarum præconia maiore voto, quàm ingenio paucis attingamus: quæ ſecundas orationis partes abſoluant. Nec eſt Beatiſſime Pater, quòd me pręſentia tua à dicendo deterreat. Magis me perſpecta animi tui modeſtia, quàm præſentia offendit: magis me anxium reddit, quòd eius non ſim ingenij, quo poſſim merita verbis adæquare, & diuinas virtutes æquo præconio celebrare. Nam & præſentis

** ſtudendū*

** cōſulēdū*

** modica res.*

laudes, quæ parcè & pudicè & ſine fallacia afferuntur, nec à ſapientiſſimis increpantur : & ſicuti non improbare vitia, maligni eſt, ita inuidi, non approbare virtutem. Indignum quoque eſt, non commẽdare & non admirari hominem, cõmendatione & admiratione digniſſimũ, propterea quòd præſens ſit: & eius gloriam præſentia, quaſi ſatietate, langueſcere. Veris laudibus præſentia conducit, cùm præſens eas viua atteſtatione corroboret ac cõfirmet. Hæc mihi etiam fœdæ aſſentationis nota obiici poteſt, cùm lõgè maiores ſint virtutes tuę, quàm mea ſit futura prædicatio. Quid igitur primùm aſſumam? quid auſpicabor? vnde ordiar? an à patriæ & generis ſplendore, qui nonnihil ad hominis felicitatem confert? Simonides poëta Lyricorum ſcriptor, nobilem patriam in non mediocrem hominis beatitudinem ducens, docuit beatè ſecundum perfectam rationem victuris, imprimis opus eſſe patriã habere glorioſam. patriæ ſplendor non in poſtremis habetur, ſi ſe quis tanta patria dignum præſtat. Thales Mileſius, vel, vt quibuſdam placuit, Socrates, ſua patria lætabundus, tribus de rebus gloriari, & Deo gratias agere ſolitus perhi-

betur: quòd homo eſſet, non fera: quòd vir, non fœmina: deinde, quòd Græcus eſſet, non Barbarus. Patriæ gloria generoſis animis calcar ad virtutem, ad res præclaras ſtimulum, & ad magna facinora incitabulū præbet. Patria tibi eſt Hiſpania, cuius orientale & ſeptentrionale latus Pyrenęi montes vndequaq; includunt: reliquæ partes vſque ad Herculeas Gades & Borealem Oceanū protenduntur. Quæ in eo montium & Oceani maris ambitu includuntur, quaſi alterū orbem facientia, ad Hiſpaniam ſpectant: cuius latitudo & longitudo tam multa, tam ampla, & tam immenſa eſt, vt plùs habeat admirationis, quàm credulitatis. Interfluunt complures fluuij, non ſolùm nauigabiles, ſed auriferi. Hiſpania nec æſtibus obnoxia, nec frigorib⁹ ſubiecta, media temperie confouetur. Ibi ſuaues Zephyri molles auras exuſcitāt: ibi Elyſij campi, deliciarum & omnis amœnitatis pleni ſunt, quos felices animas incolere Poëtæ decantârūt. Terra optima, ferax frugum, fructuum, & omnium optimarum rerum fertilis, gregibus armētíſque abundat. Hæc in omni virtutum genère viros præſtantes parit, qui & animi & corporis dotibus excellunt, Hæc

etiam Imperatorum & Romanorũ Pontificum mater, Neruam, Traianum, Adrianum ac Theodoſium, Hiſpanos tres Romanos Imperatores, tulit. hæc eadem Apoſtolicæ Sedi Damaſum, dehinc Ioannem xxj. deinde Calliſtum tertium, Hiſpanos ſummos Paſtores dedit. nouiſſimè te, Alexander Sexte, protulit: qui ſummi Pręſulatus faſcibus inſignitus, patriæ tuæ longè plus ſplendoris referas, quàm ab ea acceperis. Natus es è familia Borgia, heroica, vetere & honorata, quæ illuſtres maiorum ac progenitorum tuorum imagines præ ſe ferat. Sed non vacat ſtemmata generoſiſſimæ familiæ tuæ recenſere. Multi pręclaro ingenio præditi, in his celebrandis certabunt, & accuratiore ſtylo prolixiùs immorabuntur. Pręſtant, & pluris æſtimantur, quæ in teipſo ſunt, quàm quæ circa te exteriùs verſantur. Hęc propria & ingenita ſunt, illa externa & aliena habentur. Minùs quoque decorum eſt, ſolis maiorum laudibus cenſeri, & illuſtribus auorum monumentis vmbratilem gloriam venerari. Creuiſti tu virtutibus tuis: tuis meritis, tuis laboribus viam tibi aperuiſti ad iſtud faſtigium, quò nunc es eueƈtus. Talia tibi à puero fundamenta ieciſti,

quale ædificium in ſenectute excitandum conceperas. Neſcio an natura præſagiente, an diuino conſilio factum ſit, vt, quaſi ab incunabulis, ita vitam tuam inſtitueres, mores componeres, actiones tuas formares, vt dignus reddereris tanto ſolio, ad cuius regimen parari & ordinari videbaris. Vacaſti illis potiſſimùm virtutibus, illis diſciplinis incubuiſti, quæ ad tantum munus obeundum neceſſariæ videbantur, & ad reddendum te tanto ſceptro dignum eſſent accommodatæ. Per rectam artium bonarum ſemitam progrediens, & per aureos virtutum gradus aſcendens, ad felicitatis apicem es perductus. Acceſſit formę elegantia, quę virtuti ſuffragium addit, lata frons, regium ſupercilium, facies liberalis, & tota maieſtatis plena, ingenuus & heroicus totius corporis decor: vt appareat, naturam quoque formę dignitatē indulſiſſe, quæ tibi primùm multum gratiæ & venerationis acquireret, & nunc Apoſtolicā Sedem hac tua diuina forma, quaſi numinis vice, decoraret. Poſt prima literarum rudimenta, depoſita prætexta, virilem togam induiſti: petiiſti Bononiam bonarum doctrinarum altricem, pro aſſequendo ingenij

cultu & ſapientia capeſſenda, ciuitatis fama allectus, & ob Hiſpanorum Academiam ibi ſitam, quæ collegiali ſodalitate, ſcholaſticóque contubernio complures Hiſpanos in ſola literarum palæſtra nutrit: vacaſti Pontificiæ Imperatoriæq; cenſuræ, vt, quæ à Romanis Pontificibus decreta, quæ à ſacris cōciliis ſancita eſſent, tu futurus Pontifex Max. non ignorares. Raris conceſſum eſt, vt qui ☞ ingenij acumine excellunt, tenacis memoriæ fœcunditate lætentur. Sed in te* adeò cumulatè cōcurrunt, vt, * quo magis præſtes, alacriori ingenio, an tenaciori memoria, non ſit facile iudicare. Intra ſeptennij metam peracto celebri ſtudiorum curſu, doctoris infulas ſuſcepiſti, quoddam futuræ felicitatis prælu-dium. Intereà Calliſtus auunculus tuus in ſummum Eccleſiæ paſtorem aſſumptus, te poſt aliquod tempus in ſacrum & glorioſiſſimum Cardinaliū ordinem cooptauit, cùm præſentiret te Dei iudicio ad maius tribunal deſtinatum: te in Eccleſiæ cardinem felici ſidere conſtituit, quem futurum totius Eccleſiæ ſummum columen præuidebat: collocauit te in ſolidam Eccleſiæ columnam, quæ poſteà altiùs ſupra montem Domini ex-

* *hæc duo adeò.*
* *vtro*

celſum erat erigenda. Nec cuiquam admirabile videri debet, à Calliſto ſummo Chriſti Vicario de te diuinatum, quod de altero Hiſpano apud gentiles à fatidica nympha ante ducentos annos pronunciatum, Galba de ſe vaticinatum voluit: oriturum quandoque ex Hiſpania Principem, Dominúmq; rerum. Per annos multos, quibus Cardinalatus & vicecãcellariatus officio functus es, nemo tuam opera requiſiuit, cui non prõptiſſimam exhiberes: nemini vnquàm iuſtum patrocinium denegaſti: nemo calamitate affectus aut iniuria laceſſitus, fruſtrà tuã opem implorauit. Fuit tibi familiare, non ſolùm petentibus ſubuenire, ſed etiam non petentibus vltrò ſuppetias ferre. Faciles ſemper ad te aditus patuerunt: nec maximis aliquando negociis implicitus, vnquàm es de occupatione cauſatus. Conſuetudo modeſta & familiaris, quam comitas non ſine ſeueritate, cum ſeueritate hilaritas, cum grauitate benignitas pari libra condirent. Sermo liberalis & compoſitus, & adeò ſuauis, vt tanquàm Euripidis, à melle & Sirenibus profluere videatur. Tua grauiſſima reſponſa inter Catoniana apophtegmata numerari poſſunt. Quoſcunque te ad-

euntes, non ſolùm benignè excipiebas, verùm etiam ſuauibus verbis, familiaribúſque blandimentis demulcebas. Exẽplo Titi Imperatoris, neminem vnquàm abs te triſtem abire patiebaris: & diem perdidiſſe exiſtimabas, qua nihil cuiquã præſtitiſſes. Liberalitatem & munificentiam tuam largitiones ſplendidę, ſumptúſque magnifici apertè cumulatéque oſtenderunt. Infinitum eſſet ſingula recenſere, quibus dinumerandis, non dicam exornandis, nec tempus lege Pompeia pręfixum ſufficeret. Iam ergo vela contraham, aut canam receptui: &, quod poſtremò expediendum propoſui, confeſtim abſoluam.

Inclytiſſimus Mediolanenſium Princeps, & ſapientiſſimus eius patruus Dux Bari, vt primùm te ad Apoſtolicum culmen euectum intellexerúnt, conceperunt animis lętitiam ſingularem, gaudiũ incredibile, voluptatem incomparabilem. Gaudent, non quantum cęteri, ſed quantum rari admodùm Sanctitatis tuę deuotiſſimi: nec quantum dici vel cogitari poteſt, ſed quantum nec dici nec cogitari fas eſt. Si enim quiſquam gaudere meritò debet, (& debent omnes) Illuſtriſſimi Principes noſtri, qui obſeruantia in

Apoſtolicam Sedem, cultu & deuotione in ſanctitatem tuam nemini cedunt: imprimis gaudent & exultant, & tanta lętitia afficiuntur, quantam maximam humani ſenſus cōcipere poſſunt: cuius magnitudo humanā credulitatem & fidem exuperat. Nihil enim iucundius eis nunciari, nihil gratius aut ſalubrius afferri poterat, quàm te Pontificale faſtigium aſcendiſſe, in quo neque probitatis, neq; ſapientiæ, neq; poteſtatis, neque eorum omnium, quę in conſummatiſſimo Pontifice exiguntur, pars aliqua deſiderari poteſt. Felix fauſtúſque illuxit tuæ ſublimationis candidiſſimus dies, qui te Pontificio ſolio inaugurauit, & Principes noſtros maximi voti compotes reddidit. Sed cùm mentis gaudia exprimere, & cauſas explicare arduum ſit, animorum ſenſus oratione adęquare difficilimũ habeatur: imitabor in hac parte. Timanthē pictorem egregium, qui in depingenda Iphigeniæ immolatione, cùm paterni mœroris acerbitatē dignis ſatis affectibus exprimere non poſſet, velauit eius caput, & ſuo cuiq; animi iudicio reliquit exiſtimandum. Exiſtimarunt excellentiſſimi Principes noſtri, nō aliter meliùs poſſe debitũ gratulationis officiũ imple-

re,nec aliter efficaciùs poſſe pium humilis & deuotæ obediētiæ obſequium præſtare, quàm ſi ad hoc munus obeundum eos legatos deſtinarent,qui eſſent Ducalis ſanguinis neceſſitudine coniunctiores. Hoc officium per ſeipſos expedire, non minoris fuiſſet diſcriminis, quàm difficultatis. Illuſtrem itaque fratrem & nepotem Hermetem Sforciam Vicecomitem Marchionem ſtrenuum,præſtantiſſimum Heroem Ioannem Franciſcum Sanſeuerinatem Caietę Comitem,& inuictum militarium copiarũ præfectum, inſignem Comitem, Franciſcum Sforciam Ducalem conſanguineum,Magnificum procerem Nicolaum Corrigienſem, non minùs Palladis quàm Martis artibus excultum, méque apud eos minimum & indignum delegerunt. Venimus eorum legati, tuæ Beatitudini & Apoſtolico throno omnem venerationis & reuerentiæ cultum præſtituri. Eorum nomine & præcipuo mandato deuotiſſimè impartimur, quæcunque à Chriſtianis Principibus erga ſummum Dei Vicarium præſtari conuenit. Tuæ ſanctitati perpetuam obedientiam & ſincerã deuotionem cum humili reuerentia exhibemus. Te ſummum Sacerdotem,Ponti-

ficem Maximum, patrum Patrem, ac paſtorum Paſtorem profitemur: te indubitatum Petri ſucceſſorem, legitimũ Chriſti Vicarium, & clauigerum regni cæleſtis atteſtamur. Tibi tuęque ditioni Principes noſtri deuouent ac prædicãt, quicquid opibus valent, quicquid facultatibus poſſunt, quicquid viribus pollent. fortunas omnes, copias, claſſes, exercitus, vniuerſum Ducale imperium, & ſeipſos ac liberos in quemcunque rerum euentum, promptiſſimo animo & conſtantiſſima fide exponunt, & ante ſanctitatis tuæ deoſculatos pedes deponunt. His omnibus tuo iure vtere, pro tuo arbitrio diſpone: non ſolùm pro militantis Eccleſiæ dignitate, pro ſolij Pontificalis amplitudine, verùm etiam pro tuis priuatis & familiaribus cõmodis. Quid enim illi aut facere promptiùs, aut libentiùs pręſtare, & maiori cum deſiderio vel debẽt vel poſſunt, quàm tibi & huic glorioſiſſimæ Sedi ſua omnia dicare, qui vices in terris tenes omnipotentis Dei: à quo, quicquid publicè vel priuatim poſſident, precariò recognoſcunt? Vtere, Beatiſſime Pater in quamcunque catholicam expeditionem firmiſſimo Vicecòmitum exercitu, vtere Sforcianis victri-

cibus copiis, vtere Ducalibus Inſubrium ſignis: quæ quocunque ſe conferunt, certam victoriam ſpondent. Illuſtria Sforcianorum Principium facinora, celebres victorias, parta toties ex hoſtibus trophæa, non ſolùm Latium, ſed vniuerſus orbis & prædicat, & admiratur. Peculiare illis & hæreditarium eſt, ſeſe acerrimos & aſſiduos Apoſtolicæ Sedis defenſores, & indefeſſos propugnatores præſtare. Excipe Sanctiſſime Pater & toto animo ac tota charitate complectere hos inclytiſſimos Principes, Sanctitati tuæ obſequentiſſimos: quos ſemper non minùs re & opere, quàm verbis & oratione promptos, paratos, expeditóſque inuenies: nec minùs memores, quàm gratos, omnia æuo experieris.

AD ALEXANDRVM VI. Pont. Max. Gentilis Epiſcopi Aretini, Florentinorum nomine.

VEnimus, Beatiſſime Pater, accepturi primùm in Pontificem, quemcunque ſacer iſte Senatus dediſſet: mox Sanctitati tuæ, quam dedit, ſolitam obedientiam promiſſuri: alterum debitæ, alterum deuotæ Florentini populi erga

Romanam Sedem obſeruantiæ. Ex quo enim Gerardus Florentinus, & quidem Epiſcopus, Nicolaus ſcilicet ſecundus, ius eligendi Pontificis ad Cardinales reduxit: obligauit nos reliquos Chriſtianos eum in paſtorem accipere, quem Patres ipſi ſua creatione dediſſent. Paruimus hactenus religioſiſſimè tam ſanctæ conſtitutioni: à nulláque vnquam huius Apoſtolici collegij electione ciuitas Florentina deflexit. Hanc verò, quam modò feciſtis, Reuerendiſſ. Patres, tam libenter accipimus, vt & gratias agamus Reuerendiſſ. Dominationibus veſtris, & omnem illis Domini retributionem ſupplicemus. Cupiebamus enim vel vltimũ veſtri ordinis: dediſtis primarium. nolebamus aliquem, qui ſal ab aliis eſſet empturus: dediſtis eum, qui poſſit illud vendere & ſapiẽtibus. Cupiebamus Pontificem, qui compati poſſet infirmitatibus noſtris: dediſtis eum, qui clementia bonus Chriſti vicarius, qui liberalitate magnus nobis Alexander ſit futurus. Nolebamus gubernatorem, qui aut fluctuante nauicula dubitaret, aut dormiret tranquilla: dediſtis eum, qui & in fluctibus manum vnam ad clauum, alteram ad remum teneat, & in portu ſua ſit ſemper *Hebr. 4.*

tetia refecturus:declaraſtis denique omnibus, quàm Domini ſint Cardines ter-
1. Reg. 2. ræ,qui poſuit ſuper eos orbem:*verę co-
** vere.* lumnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & fundamenta æterna ſupra ſolidam petram, qui obliti omnis veſtri priuati ędificij, communi Chriſtianorum Eccleſiæ ſubueniſtis. Licet enim è tam ſancto collegio nihil non ſanctum eligi poterat: ſiue tamen quod in eo vota omnium veſtrûm cernimus, ſiue quod illum in omnibus vobis arbitramur: vtiliorem dari nobis Pontificē his temporibus potuiſſe non credimus. Non alia valebat eſſe rerum experientia, non minor animi magnitudo. talem decebat moderatorē eſſe
Luc. 16. eum, qui ſoli Deo eſſet ſuæ villicationis rationem redditurus. Empta profectò non fuit in templo columba, quæ tam ſanctè vos inſpirauit: ſed volitans, orantibus vobis, venit ex alto. ſpiritus enim
Sapient. 1. ſanctus diſciplinæ *effudit fructum: &, quod noſtris manibus fabricatum in Dei templo quandóque putamus, illius ſtru-
Ioan. 3. ctura eſt, qui ſpirat vbi vult, qui per nolentes etiam operatur miniſtros: qui non
Ioan. 14. eſſet is, qui datus eſt patribus veſtris, vt maneat vobiſcum in æternum, ſi conclaui veſtro in tanta electione defuiſſet. Pro
tam

tam vera igitur Spiritus Dei Canonica ac cæleſti electione, Reuerendiſſimi Patres, filioli illi veſtri, qui nos miſerunt, ſi referre non poſſunt, ſupra vires ſe tamen debere fatentur, & ſanctum hoc opus veſtrum, quantùm in eis eſt, extollunt, venerantur, adorant.

Ad te verò conuerſi, Beatiſſime Pater, hæſitamus, an communem illam aſſumptionis gratulationem imitemur. nouimus enim Sanctitatem tuam hoc oneris, ad communem vtilitatem, non priuatam laudem, ſuſcepiſſe. Adeò prætereà veremur, ne hæc plenitudo poteſtatis, curarum plenitudo ſit: vt condolendum potius quieti Sanctitatis tuæ, quàm poteſtati gratulandum quandóque putemus. Vincit tamen priuatam ſolicitudinẽ publica ratio, nec ſinit nos non lætos videre thronum Chriſtianæ gloriæ plenum maieſtate ſua. Ingenium illud ad omnia ſumma natum, illa mentis & in gerendis rebus felicitas, peculiares affectus noſtros non recipiunt. Vox enim in terra noſtra audita eſt: Exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitię. Sanctitati quoque tuę qui dixit, Tu paſces populum meum, & tu eris princeps ſuper eum: is eſt, qui dat

Cant.2. *Ioël.2.* *2. Reg.5.* *1.Cor.10.*

Pſal.68. etiam cum tentatione prouentum. Veniſti enim in altitudinem maris:non diſ-
Matt.14. fitemur. at ſuper illud Petrus præceſſor olim tuus ſiccis pedibus, cùm iam ampliùs non dubitâſſet,ambulauit. Ingreſſus es fluctuantẽ nauiculam, non negamus,ſed quæ mergi nõ poſſit,& cui præſit,qui imperat ventis & mari. Fidem in fidelibus plenam in cuſtodiam ſuſcepi-
Luc.22. ſti:pro illa orauit Saluator noſter,vt non deficeret.Mortales artus immortali ſarcinæ ſubmiſiſti:at huic labori miniſtri ſunt cæli, & corona aurea ſuper mitram eius. Fuiſti denique hactenus homo diuinus,
Philip.2. eris poſthàc Deus humanus.Tenes enim
1. Tim.6. vicem in terris eius, cui flectitur omne
Apoc.17. genu eius, qui eſt Rex regum & Domi-
& 19. nus dominantium: qui aufert ſpiritum
Pſal.75. Principum,& miniſtros ſuos facit ignem
& 103. vrentem. Habes ſedem, de qua Domi-
Hebr.1. nus: Locus ſolij mei & locus veſtigio-
Eze.43. rum pedum meorum,vbi habito in æter-
Ezech.21 num. De qua rurſus: Nónne hæc, quæ humilem exaltauit & ſublimem humiliauit?cuius,inquam,proprium eſt,vt tũc vincat,cùm læditur: tunc ſecura ſit, cùm
Exod.3. ſuperata videtur.Locus certè,in quo ſanctus ſtas, Beatiſſime Pater, terra ſancta eſt: locus Petri Principis Apoſtolorum,

vbi ſteterunt pedes eius, Locus illius quē conſtituit Dominus Principem omnis poſſeſſionis eius. Stat inconcuſſum priuilegium tuum tibi. Tu ſolus hamo piſcari, tu in altum potes retia laxare, tu hæres Apoſtolorum, tu viua lex, tu ſpecula, tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Non potes non trahere plenum magnis piſcibus rete, cùm Dominus ſit, qui in altum mittere iubeat. Non potes non aperire cælos aliis, qui illos tibi tam nolentes aperuiſti. Non potes non diuinè diuinam ſedem tenere, qui terrenum nihil in illam contuliſti. Exultat igitur meritò vbique & gloriatur in Domino omnis Eccleſia ſanctorum, quia ſuſcitauit illi Dominus paſtorem, qui gregem ſuum paſcat in herbis virentibus ſuper montes Iſrael: cuius virgo corruerat, & non erat qui ſubleuaret eam. In tempore opportuno aperuit manum ſuam, parauit ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, in medio neceſſitatis noſtræ recordatus eſt miſericordiæ ſuæ. Concipe modò tu, Beatiſſime Pater, fortitudinem ad ſaluandas gentes: concipe, ſupplicamus, per eas æternitates, ad quas fulgebunt tanquam ſtellæ firmamenti, qui erudiunt alios. Timeat omnis po-

Pſal. 131. & 104.
Luc. 5.
Matt. 16.
Ioan. 21.
Luc. 5.
Eze. 34.
Amos 5.
Iſaia 52.
Dan. 12.

populus ſacerdotem Domini, audiens ſapientiam Dei eſſe in illo: & ſciant gentes
4. Reg. 5. prophetam eſſe in Iſrael. Erue à framea
Pſal. 21. & de manu canis vnicam Domini. Dona,
Ioan. 10. ſiquid laboris iſti Atlãtis humeri ſubituri ſunt, ouibus illis, pro quibus primus paſtor bonus animam ſuam ponere non dubitauit. Aut enim ſui ac tot Martyrum ſanguinis obliuiſcetur Dominus: aut eccleſiam, pro qua crucifixus eſt, tecum ſuſtinebit. Vnum eſt, vnum, Beatiſſime Pater, quod ab humeris Sanctitatis tuæ excutere non poſſum: hoc illud vnum eſt, quod nihil ignorantiæ, nihil impotentiæ, nihil fortunæ condonabitur. Quicquid erit ouibus tuis, à ſola voluntate Sanctitatis tuæ reputabitur. Quam tamen bonam & ſecundum gloriam Pontificatus ſui ſperamus non minùs, quàm optamus. Quid enim illi nunc ſupereſt aliud ad ſummum humanæ conditionis euectæ, niſi vt cælo viuat, ac nomen Rodorici Alexandri diuinis operibus faciat immortale? Sed hæc omnes tangũt, Beatiſſime Pater: hæc vniuerſis fidelibus lætitiæ cõmunis eſt ratio. Nos verò, quantulacunque pars ſimus Chriſtiani gregis, qui ex oleis facti oleaſtri, eramus (non diu eſt) tanquam oues errãtes, quomodo

nunc conuerſi ad Paſtorem & Epiſco- *1.Pet.2.*
pum animarum noſtrarum, poſſumus
non lætari? Quomodo præuenti benedi-
ctionibus dulcedinis, hanc mutationem *Pſal.20.*
dexteræ excelſi ſine gaudio poſſumus in- *& 76.*
tueri? Spectamus nunc in matris noſtræ
ſinu patriæ noſtræ delicias. Videmus pri-
mariæ familiæ hæreditatis noſtræ funi- *Pſal.112.*
culũ ſedere tandem cum Principibus po-
puli ſui. filiíque iam nobis omnes in ſagi-
natum verſæ ſunt: nihil non priſtinum,
nihil non maternum experimur. Calliſti
ſanctiſſimi auunculi ac præceſſoris tui, ea
ad Coſmum Medicem primum patriæ
noſtræ patrem, vox fuit: Oſtenſurum
illi ſe eſſe Vicarium Chriſti, cui tot Eccle
ſias fabricauit: nec paſſurum, illum aut
populum eius, ſedi Apoſtolicæ charós
non eſſe, quos nouerit ſapientia & diui-
tiis Domino ſuo Chriſto fore chariſſi- *Pſal.130.*
mos. Cogitet modo Sanctitas tua, an a-
blactatus ſuper matrem ſuam, lætitiæ la- *Pſal.29.*
chrymas queat continere. Conſolatus *Tobiæ.13*
eſt certè Dominus populum ſuum Flo- *Cant.4.*
rentinum: conſcidit ſaccum eius, lætitia *Iſai.5.*
circundedit: per omnes vicos noſtros
Alleluia cantatur. Hortus concluſus am-
plius non diſſipabitur: vinea Domini Sa-
baoth ſpinas vltrà non feret: ager Domi-

nicus non ſylueſcet in poſterum. Ponet
Iſaiæ 51. deſertum eius Dominus quaſi delicias, ſolitudinem eius quaſi hortum irriguũ: gaudium & lætitia inuenietur in eo. Hæ ſunt gratulationes noſtrę, Beatiſſime Pa-
Pſal. 15. ter: propter hoc lætatum eſt cor noſtrũ, & exultauit lingua noſtra. In medio enim Italiæ poſiti, iuncti non minùs finibus quàm animis rebus Eccleſiæ, nõ poſſumus fortunam eius non ſentire: non poſſumus non angi * ſecum, non lætari. Pars non parua Romanæ curiæ, quomodò columbam Domini gementem, quomodò Petrum de fluctibus tendentem brachia, ſine dolore ſpectare poſſemus? Cantantem pariter alteram, exultantem alterum, vt nunc, ex nouo paſtore, quomodò ſine gaudio intueri? Tã multa eſt certè affinitas togæ cum tunica, q̃ nulla caſſidi cum tiara. & mirantur quidem, ꝙ primi voluimus obedientiam profiteri? Nunquã fuimus ſecundi, Beatiſſime Pater, in his, quæ ad huius tuæ ſanctæ Sedis
Mat. 20. reuerentiam pertinent, ſed primi omniũ ſemper, qui in vineam Domini venerimus. Vtinàm modò parem ſaltem cum vltimis mercedem recepiſſemus. Illi tamẽ ſumus, qui à Lino cœpimus ſuperędificari
Eph. 4. ſupra fundamentũ Apoſtolorũ, &

* *cum ea, non poſſumus non lætari.*

primi huius tuæ ſanctæ Sedis eſſe dome-ſtici. Siquidem Chriſtus è cælo, Petrus è Galilæa, Linus è Tuſcia noſtra originem ducens, primus Italorum omnium, primus earum nationum, quæ nunc Chriſtianæ ſunt, hanc tuam Sedem gubernauit, vbi tu nunc ſedes, Beatiſſime Pater & ipſe primus poſt Petrum ſedit. Illi, inquam, ſumus, qui ſanguinem noſtrum contra Henricum tertium, contra Corradinos, contra Manfredos pro Eccleſia fudimus. Illi ſumus, qui, non dicam Eugenium IIII. eiectum Roma, ſed Petrum ipſum Apoſtolum, ex Antiochia in Italiam venientem, primi excepimus, fouimus, nutriuimus, non crucifiximus. ad Arni ripã, Beatiſſime Pater, nõ Tyberis, nõ *Hiberi, non Padi, Petrus apoſtolorũ princeps primum altare Chriſtianorum extruxit, Clemens, Iſidoro teſte conſecrauit. Plura non referemus, ne videamur veniſſe huc (vt multi) explicatum merita noſtra in Eccleſiam. hæc tamen pauca tetigimus, vt videat Sãctitas tua, quã merito gratulemur, quã innata nobis ſit huius tuæ ſanctæ Sedis reuerẽtia, quã trita pedibus noſtris via illi⁹ in ob ſequiis eius. Tuos igitur religione, tuos iure, tuos cõſuetudine, tuos fide, tuos vo-

*Iberi.

luntate ſuſcipe, Beatiſſime Pater, Florentinos, & ea manu, quo ipſi te genu, in paſtorem accipiunt, animas & corpora Sanctitati tuæ commendant: quicquid habent, ante ſcabellum pedum tuorum exponunt. Vtinam modo videre potuiſſet Sanctitas tua, aut quibus hæc animis Patres illi nobis mandata dederunt, aut quibus vocibus populus ille frequens nos ad te venientes ſequebatur: iudicaret Sanctitas tua, non dubitamus, iudicaret nos elingues fuiſſe in exprimenda populi illius ſpe, deuotione, lætitia. Nos te indubitatum Chriſti vicarium, verum Petri ſucceſſorem, ac Romanum Pontificem confitemur. Tibi Chriaſtianorum Principi ac vniuerſali Domino Spirituali, obedientiam pollicemur. vicem quam geris in terris, pro diuina ſalutamus, veneramur, adoramus.

AD ALEXANDRVM VI. Pont. Max. Angeli Politiani, pro Senenſium oratoribus.

ETſi Chriſtiana omnis Reſp. electione Romani Pontificis, quemcunque cum tandem eſſe contigerit, gaudere ſemper iure ac lætari debet, quoniam ſin pa-

ſtore grex Domini periclitatur, tamen hoc tempus eſt, Beatiſſime Pater, in quo profectò redundantem lætitiam ſuam cohibere homines nequeunt, quod is tu nobis Pontifex Maximus contigiſti, cuius & prudentiam, & virtutem diù Roma Reſp. Eccleſiáque maximis arduíſque in rebus experta, admiratáque ſemper eſt. Verùm Senenſi ciuitati, hoc eſt, Reip. noſtræ, ad communem hanc omnium Chriſtianorum, propriæ quoque & peculiares accedunt lætitiæ cauſæ, ſic, vt penè à ſedibus cômmouere ſe ipſa, & ſua quadam voce gratulatum venire ad te, tuíſque ſe aduoluere ſanctiſſimis pedibus velle ac geſtire videatur. Sed quoniam hoc facere eam natura nõ ſinit, nos ad te ciues ſuos, Beatiſſime Pater, publicæ gratulationis oratores miſit, qui ſcilicet in hoc celeberrimo gratiſſimóq; nobis munere vicem totius ciuitatis impleremus.

Gratulamur igitur tibi, Alexãder Sexte, Romane Pontifex, quod ad rerum humanarum faſtigium ſubuectus, immo addiuinitatem ipſam planè ſublatus, omnia præter Deum, minora inferioráque te videas, ſic, vt Reges etiam ipſi & principes adorare ſubmiſſi veſtigia tua, & puluerem pedum tuorum lingere non modo *Eſaiæ. 49*

non dedignentur,ſed loco etiam pręclari muneris concupiſcant. Gratulamur & Chriſtiano gregi, cui tu videlicet is paſtor diuina prouidentia datus es, vt illum facilè tutum ſecurúmque præſtiturus, & à furum inſidiis, & à luporum incurſibus videare. Gratulamur quoque nobis ipſis,hoc eſt, Senenſi ciuitati, priuatis quibuſdam gratulandi cauſis, quas proximè ſuo loco commodius attingemus. Poſt hoc autem obedientiam tibi humilem, ac deuotum obſequium vero Chriſti in terris vicario, quanta maximè poſſum⁹ veneratione exhibem⁹:paratóſque ſemper fore pollicemur vſque, etiã vitam ipſam & ſanguinem, vbi opus ſit, pro incolumitate & dignitate Sanctitatis tuæ, Romanæque Eccleſiæ profundere. tum iidem & ſentimus, & clarè profitemur, hoc obedientiæ officium.non ad gratiam vllam, ſed ex debito,tibi eſſe offerendum ſic, vt à quoquam mortalium ſine ſummo ſcelere,ſine grauiſſimo periculo,prætermitti neque poſſit,neque debeat. Nam ſi rerum natura ordine quodam miro, & pulcherrima varietate diſtincta eſt ſic, vt à ſummo ad imum per medios quoſdã gradus, diuinitatis imago refulgeat:quãto hic ordo magis, atq;

hæc varietas nexa inter ſe, apta & congruens, in Eccleſia ipſa conſpici atque eminere debet, quæ prorſus naturā tranſuolat, omníque impetu conatúque ſuo tendit ad gratiam? An verò triumphans illa in cælis Eccleſia, ordine miro fulgebit Angelorum, quorū alij aliis præfecti ſubiectíue ſint: hæc vero militans Eccleſia, ad illius exemplar in terris inſtituta, incondita erit, & carebit ordine? Et quo pacto igitur terribilis erit, vt caſtrorum acies ordinata? aut quomodò omnino acies, niſi in ea ad vnum quaſi Imperatorem diuerſi quidam ordines, aliis alij gradatim vel parentes, vel imperātes redigantur? Siquidem vnitatis ipſius, quę maximè in Eccleſia quæritur, congruentior cauſa eſt, vnus quàm multi. Quocirca ille etiam rerum naturæ ſagaciſſimus interpres Ariſtoteles, vbi diutius optimā præſtantiſſimámque regendæ ac gubernandæ vniuerſitatis rationem quæſierat, ſic Homericis tandem verbis exclamauit Rex vnicus eſto. Rex autem & Princeps noſter haud dubiè Chriſtus eſt: cuius in terris locum vertex Apoſtolorū Simon obtinuit, etiam Petrus ob id appellatus ꝙ ſuper eū dn̄s, quaſi ſuper petram, Eccleſiā ſuā fuerat ędificaturꝰ. Huic & claues

Cant. 6.

Matt. 16.

cæleſtis terreníque regni, & poteſtatem Chriſtus illam immenſam tradidit, vt,
Ioan.21. quod ligaret in terris aut ſolueret, ligatũ ſolutúmque etiam foret in cælo. Hic eſt, cui cælum aſſenſurus mandauit, vt oues paſceret ſuas: quo verbo vicarium ſucceſſorémque eum ſibi & inſtituit & conſecrauit. Hic eſt etiam, quem venire ad ſe
Matt.14 ſuper mare ipſum, relicta nauicula, iuſſit: quia non nauem, hoc eſt Eccleſiam vnã ſicuti alij ſuam quiſque, ſed mare hoc eſt ſeculum ipſum, ſuſciperet gubernãdum.
Ioan.21. Hic eſt etiam, cui dixit vni, vt ſe ſequere-
Act.10. tur. Hic idem vnus linteum illud è cælo demiſſum vidit, quadrupedibus omnigenis, ſerpentibus, volatilibúſq; refertum, ac ſurgere, occidere, & manducare inde iuſſus eſt: vnde etiam merito de illo mater decantat Eccleſia: Tu es paſtor omnium, Princeps Apoſtolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi. Vt igitur hæc omnia in pauca conferantur, & ordinem habere militans Eccleſia debuit, & is ordo ad vnum quaſi caput fuerat referendus, & totius Eccleſiæ caput ac fun-
Matt.28 damentũ Petrus eſt Apoſtolus. Sed quãdo Eccleſiã ſuam Chriſtus ità inſtituit, vt non protinus euaneſceret, ſed ad conſummationem ſeculi vſque perduraret:

dubitandum non eſt, quin poteſtas illa tanta in ipſius quoque Petri ſucceſſionẽ quaſique è poſteritate deſcenderet. oportuit enim vt Paulus inquit, tandiù hanc durare poteſtatem, quandiu Eccleſia ipſa ædificatione indigeret. ædificatione autem ad finem vſque ſeculi indiget, in quo electorum numerus cõplebitur. Iure igitur pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, canimus in Eccleſia: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Neque enim fas erat, vt ordo ille Apoſtolicus, à ſapientiſſimo IESV CHRISTO inſtitutus, in ſui ſtatim primordio deficeret. Sed quis, rogo, verus Petri ſucceſſor? an alius quàm Romanus Pontifex? non enim Epiſcopi ſedes eſt, in qua primò, ſed in qua poſtremò ſederit. Petrus autem, Hieroſolymis Antiochiáque relictis, Romam, iubente Domino, Romam, hoc eſt in locum paſcuæ ſuæ properabat, ibi ad extremum vſque vitæ ſpiritum paſtoris functurus officio. Quod ſi Petrus loco Domini ſemper, ſi Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius in terris eſt: profectò iure diuino caput omnes tibi, Sancte Pater, & genua inclinamus, omnéſque tibi tanquam ipſi Domino IESV CHRISTO obtemperamus, tan-

1. Cor. 15.

Pſal. 44.

támque tuam, Beatiſſime Pater, eſſe poteſtatem fatemur, vt iudicia quoque tua firma immobiliáque permaneant, quaſi Deus ipſe per te iudicet. Nec autem poteſtas iſta conferri homini ab homine tanta potuit: ſed ille ſolus contulit, qui Romanam Eccleſiam ſolus fundauit, & ſupra petram fidei mox creſcentis erexit quíque beato Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſit. Quapropter Apoſtolicæ Sedis iura priuilegiáque ſic altè radices, atque ita in ſolidum egerunt, vt transferri commouerique non poſſint. Trahere fortaſſe tentabit quiſpiam, ſed eas non viribus vllis rumpere, nec duro poterit conuellere ferro. Si autem in veteri lege tantus Pontifici honos diuino Imperio habebatur, vt, qui iuſſa illius detrectaret extremo ſupplicio afficeretur: quid nobis faciendum Chriſtianis, nomen illius gerentibus, eſt? qui ſic Vicariis ſuis locutus eſt: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Lęſæ profectò diuinę
Luc. 10. maieſtatis crimē incurrit, quiſquis, dum Chriſtianū ſe aſſerit, Sedi iſti Apoſtolicæ obedire cōtemnit. Verū ſit aliis cōmunis hæc & publica, nobis autē, hoc eſt, Senenſi ciuitati, priuatæ quoq; ſunt & propriæ

huius præſtandi officij cauſæ. Nam & Romana ſemper ità nos Eccleſia protexit, vt illi vni libertatem, dignitatem, incolumitatémque noſtram debeamus: & tuus ille ſecundum carnem patruus, cuius in Pontificatu es ſucceſſor, ſanctæ immortaliſque memoriæ Calliſtus, eius nominis tertius, toto eam ſui Pontificatus corpore, atque omnibus Eccleſiæ Romanæ viribus Eccleſiæ Romanæ viribus, auxiliante etiam diuinæ virtutis Principe Franciſco Sfortia, ab Iacobi * Picinini incurſu impreſſionéque defendit. Idémque Æneam Piccolomineum, noſtræ ciuitatis hominem, doctrina & nobilitate præſtantiſſimum, Præſulem tunc Senenſem, in ampliſſimum Cardinalium collegium cooptauit. qui quidem poſt eius obitum ſtatim ſucceſſor eidem in Pontificatu electus, & Pius verè nobis, & ſecundus fuit, quippe qui Rem. noſtrã penè ab interitu ad vitã reuocauit, viribus firmauit, authoritate muniuit, dignitate auxit, opib' honeſtauit: vt ne plura quidẽ aut maiora optare à ſuperis noſtra ciuitas auderet, quàm quot in eam Pius ille Pontifex, quantáq; contulit. Enimuero, ſi referri omnia ad ſuas cauſas debent, ſicuti certè debent, profectò ꝙ

viuimus,quod libertatem noſtrã tuemur quod dignitate, gloria, diuitiis aucti Senenſes, decoratique ſumus, nulli poſt Deum neque magis, neque prius, quam patruo illi tuo adorandę nobis memoriæ calliſto,acceptũ referimꝰ,à quo videlicet tãq̃ à fõte quodã perenni, tãta illa in nos tanque affluens omnium rerum felicitas redundauerit.Nec verò ingratus, aut immemor accepit à Calliſto beneficij Pius fuit, ſed expeditionem, quam ille aduerſus immaniſſimum Turcarum tyrannum ſuſceperat obitu interpellatam, ſtatim vt ipſe ad Pontificatum adſcitus eſt, ita gnauiter continuauit, vt in ipſo molimine apparatúq; rerum vitam efflauerit, nihil ſibi neque ad ſalutem certiùs, neque ad laudem maius exiſtimans, quam ſi ſanctiſſimi illius ſapientiſſimíque Pontificis promotoris prædeceſſoríſque ſui veſtigiis inſtitiſſet. Cæterum illis forſitan importuna mors tantum illud decus ob id ipſum inuidit, vt hæc ad te laus integra illibata,indefloratáq; deſcenderet. Nam & ſapientia ſingularis, cuius tam multa experimenta tot annis ſacri Princeps Senatus dediſti, & præſtans animi magnitudo,qua mortales crederis omnes antecellere,& ętas ipſa pariter authoritati retinendæ

tinendæ laboribúſque ferendis, idonea, & vigor iſte tuus oculorum, ac vultus, plenáque dignitatis, plena maieſtatis facies, ac totius corporis viuida quædam vis & ſolidum robur, tum iſtud ipſum Alexandri nomen, omnibus Orientis populis formidabile, quod tibi credo non fruſtra, ſed diuinitus adoptaſti: magna quædam de te nobis, rara, ardua, ſingularia, incredibilia inaudita pollicentur. Non enim dubitatur, quin receptura, retenturáque ius, maieſtatémque ſuam Romana Eccleſia ſit: quin virtuti & bonis artibus honos, te Pontifice, ſit habendus, ac viri docti diſciplinarúmque omni genere ingeniíſque florentes, præmia laborũ ſint vigiliarúmque laturi: quin Principes omnes Chriſtiani arma, quibus inter ſe nunc impiè ſæuiunt, contra Mahumeticam potius rabiem, impulſu authoritatéque tua, conuerſuri ſint. Tibi enim, tibi laus hæc verè Alexandro debetur, non magno, ſed maximo: non Regi, ſed Pontifici: tunc autem verè, tunc Paſtori, cùm belluas illas teterrimas, tot annos Chriſtianorum, hoc eſt, tui gregis cruore & cædibus paſtas, totíq; quotidie Italiæ, atque adeò Sedi iſti tuæ ſanctiſſimæ rabidis faucibus inhiantes,

baculo iſto diuinæ poteſtatis repelles, abiges, contundes. Quod vt fortiter aggredi conſtaniérque non dubites, en ipſa tua te patria pulcherrima illa Hiſpania nunc maximè adhortatur: quæ quaſi rebus tuis præludens, Regem Reginámque ſuos diuinis honoribus efferendos, alacri ſtudio in bellum ſecuta maximis quidem laboribus & periculis, ſed maiore profecto laude gloriáque barbariem illã truculentam & fœdam, noſtris toties cladibus triumphantem, Europę tandem finibus exturbauit. Sed quid ego hæc apud te ſumme Pontifex? quaſi verò aut meæ partes ſint tui adhortandi, ac nõ potius adorãdi: aut tu ſtimulis indigeas vllis incitandúſque cuiquam ſis, qui tua ſponte nihil vnquam niſi arduum, niſi excelſum, niſi ſingulare, vel cogitas vel moliris

Quare finẽ dicendi faciam, ſi prius Rẽp. noſtram deditiſſimam deuotiſſimámque tibi, Sancte Pater, cunctis animi & cordis viribus ſuppliciter cõmẽdauero: quæ non minus Alexandro Sexto Pontifice Maximo nunc exultat, quàm olim Alexandro tertio ciue ſuo, Romano item Pontifice, exultauit, illo, qui Friderici Imperatoris veniam petentis, ceruicem pede calcauit: Nã neque dubitamus, quin tuti

ſemper ſub vmbra alarum tuarum Senenſes futuri ſimus, ſicuti ſub aliorum Pontificum præſidio fuimus hactenus: & beneficia, commodáque, nec pauciora abs te, nec minora prorſus expectamus, quã olim à patruo illo tuo Sanctiſſimo Pontifice acceperimus. Reliquũ eſt, vt Deum optimum maximúmque precemur, vt felix fauſtúmque tibi ſit ſemper, quidquid agas, quicquid cogites: vtq; in iſta ſublimi cathedra ſedens atq; imperãs, annos Petri procul excedas, quo videlicet oues tuæ vocem agnoſcentes tuã tutæ, vndiq; ſub tanto paſtore, & ſaturæ diutina ſecuritate perfruantur.

AD ALEXANDRVM VI. Pont. Max. Nicolai Tygrini, pro Lucenſibus.

VEreor, Beatiſſime Pater, ne, dum ciuitatis noſtræ mandata exequimur, parum debitè Sanctitati tuæ, & huius auguſtiſſimi loci amplitudini, & Lucenſis populi deſiderio ſatisfaciamus: qui vniuerſus ſine ſexus, ætatis, ordiníſque diſcrimine, ad deoſculandos Beatitudinis tuæ pedes, ad ſigna veræ obedientiæ gratulationíſque præſtanda, ſi fieri poſſet, acceſſiſſet. Dabis, vt es in omnes

humanus, pro tua Beatitudine, Pont. Maxime, veniam: & animum Lucenſium, ſi non potentia magnum, fide obſeruantiáque nemini ſedentem, non verba, penſabis. Exiſtimet Sanctitas tua, Lucam ipſá nũc loqui, ſed magis ornate: exiſtimet Lucenſem populum, ipſam, quam eius nomine præſtamus, obedientiam, ſed efficacius promptiúſque: præſtare quam ſemper incorruptam, perfectam, inuiolatámque ſeruauit, ſeruaturúſque eſt, ex quo Beatus ille Paulinus, præſul & martyr, ab Apoſtolorum Principe miſſus, primam Hetruriæ vrbem Lucam, ad veram Chriſti fidem ab idolorum cultu reuocauit, eáque iecit in iſtam ſanctiſſimam Sedem deuotionis conſtantiæque fundamenta, vt nec tempore, quod omnia conſumit, nec vi vlla vnquam dirui, aut labefactari potuerint, poſſintve. Quantum vniuerſo populo Chriſtiano lætandum ſit, quàm maximæ Deo immortali gratiæ agendæ, qui talem ac tantum Paſtorem gregi ſuo præficere dignatus ſit, nemo eſt qui neſciat. Quid innumerabiles virtutes tuæ cũcto orbi notę? quid maxima doctrina cum longa rerũ experiẽtia coniũcta? quid religio à teneris annis imbuta, ad hãc vſq; perfectiſſi-

mam ætatem continuata? quid naturalis bonitas & liberalitas polliceri aliud debent aut poſſunt, quàm cum ſupremæ dignitatis cumulo ea omnia ſuprema, cumulatáque in religionis Chriſtianæ capi te futura? Quid iſtud Alexandri diuinitus impoſitum nomen, & animi tui magnitudini conueniens, nónne victoriam aduerſus omnes catholicæ fidei hoſtes promittere videtur? Nam quanto ſuperat Alexander Maximus magnum, quantóque mai us eſt, Romanorum eſſe Principem, quàm Macedonum: & quãto excellentius eſt, Dei omnipotentis Vicarium, quàm hominum Regem eſſe: quantóque dignior eſt Pontificalis à Deo poteſtas quacúnque terrena dignitate: tãto magis ſperandũ, immo credendũ, Chriſtianorũ Imperium, Religionémque ipſam non ſolum firmam ſolidámve futuram, ſed omnes Orientis populos, ſub Alexandri Maximi Pontificis ductu atque auſpicio ad Sacratiſſimã, Sanctiſſimámque fidem noſtram redituros. Quid iſte tuus diuinus & maieſtate plenus adſpectus? quid vultus & facies venerabilis? nónne omnes, qui intuentur, ad quæque maxima capeſſenda incitare videtur? Si enim C. Iuliũ Cæſarem Hiſpaniæ quæſtorem, vn-

dè tibi origo eſt, Beatiſſime Pater, ſola Alexandri Magni vel ſtatua, vel inanis pictura apud Gades conſpecta, ad eius magnifica geſta imitanda commouere potuit: quid, non effictam, ſed veram, viuámque Alexandri Maximi effigiem, effecturam credimus? Iamiam, audito * ſolo nomine, totius Italiæ, Hiſpaniarum, Germaniæ, Galliæ, Britanniæ, Pannonięque Principes & populi commouentur, incitantur, inflammantur, omnes ſeſe præparant, vt debita reuerentiæ ſigna Chriſtianorum patri, & Principi auguſtiſſimo exhibeant. Alexandri nomen quàm CHRISTO Deo noſtro gratum ſemper fuerit, vel hoc vnico argumento comprobaſſe ſatis ſit, quod nec Tiberium de cultu eius cogitantem, nec Traianum Chriſtianis placidum, & magnæ virtutis virum, nec Adrianum, qui ei quoque templa conſtruxit: ſed ſolum Alexandrum Mammeæ filium, primum à claroꝝ Romanorum Imperatorum, à quo inter Deos referretur, & honore diuino coleretur, elegit. Quid non perfectum ſperare poſſumus ſub tuo Imperio, Beatiſſime Pater, cùm ita omnia conueniant? Senarius numerus, qui Alexandri nomini additur, & in muſicis, & Arithmetica, &

ſacris literis perfectionem tenet:&,vtPlatonis inTimæo ſententiam prætermittã, diuíque Gregorij in aureo Moralium libro verbis vtar. Senarius numerus idcirco perfectus eſt, quia primus in numeris completur ſuis partibus, id eſt, ſexta ſui parte, tertia,& dimidia, quę ſunt vnum, duo,tria:quæ in ſummam ducta,ſunt ſex. nec ante ſenarium numerum alius reperitur,qui ſuis partibus dum diuiditur,tota eius ſumma compleatur. Senarius quippe numerus in ſcriptura ſacra perfectus eſt:quia in mundi origine Dominus quæ primo die cæpit,ſexto opera impleuit. Optimi ac ſupremi Dei voluntas, à quo cuncta procedunt, Eligentium dignitas & excellentia, totius ampliſſimi ordinis conſenſus,Electi merita,nomen, numerus,ita concordãt,tam dulcem ſuauémque ſonum mentibus omnium reddunt,vt harmoniam,ex qua mundus ipſe conſtare dicitur, in ipſius mundi à Deo conſtituto Vicario tam optimam perficiant,quod nihil diſſonũ, nihil incõcinnũ,nihil diſcrepãs inueniri poſſit. Quãtũ gaudij,lætitię,ſpeíq; deuotiſſimi tuiLucẽſes ex vniuerſali bono percipiãt, quíſque facile cogitare poteſt:ſed eſteis peculiare ꝙdã ex obligatione ꝓcedẽsvinculũ,quo

ita alligantur, ita adſtringuntur, vt ne diſſolutum quidem non ſit, ſed ne diſſolui poſſit, haud cupiant: tam dulce & ſuaue eſt. Quo fit, vt proprios animi affectus exprimere nequeamus. Tantus eſt enim beneficiorum cumulus à Pontificibus maximis in Lucenſes profectus, vt nec enumerari, nec referri poſſit. Plena eſt ciuitas noſtra priuilegiis ampliſſimis, cùm in Epiſcopum, Canonicos, Abbates, Priores, Eccleſiaſticóſque omnes: tum in ipſos ſeculares magiſtratus, ciuitatémque vniuerſam: pleni libri Decretalium Lucenſibus. Quòd libertatem retinemus, quod centum vigintitribus annis nulli extero ſeruimus, beneficio Sedis Apoſtolicæ factum quis ignorat? Recẽs eſt Vrbani v. Lemouicenſis liberalitas, inaudita Pont. Max. magnificentia, qui miſeratus vrbem Eccleſiæ deuotiſſimam ſeruire, accito Carolo IIII. ex Germania, erogatis quinquaginta millibus aureorum, nos à duriſſima & immaniſſima ſeruitute eripuit. quod Vrbanus vi. paulopoſt confirmans, vt ad libertatis quoque & iuſtitiæ, ſine qua libertas ſtare non poteſt, inſignia adderet, dũ Genua Romã peteret, nocte natalis Domini diuinis peractis, ſupremum ciuitatis noſtræ ma-

giſtratum enſe & pileo, gemmis,auróque ornato, donauit: quæ hodie ad Apoſtolicæ Sedis reuerentiam, publicè deferuntur. Calliſti II. Lucij III. Gregorij IX. Benedicti XII. Nicolai V. Pij II. reliquorúmque ferè omnium Pontificum beneficia innumerabilia omittamus:ad Alexandros feſtinat oratio.Breui perſtringam,quàm benignum, quàm munificum,quàm liberale Alexandri nomen in Pontificibus Lucenſibus fuerit. Primus ille Romanus, qui cum Pontificatu martyrij quoque coronam meruit, corpus ſuum in noſtram ciuitatem deferri dignatus eſt.vbi in templo marmoreo,altero etiam prius eius in honore cõſtructo, Canonicorum collegio & priore ornato, ſepùltus honoratur & colitur: ſingulíſque annis V. Nonas Maias maximo populorum concurſu martyrium eius,quod cum Euentio & Theodoro ſub Adriano paſſus eſt,religioſe piéque celebratur, multíſque & maximis miraculis quotidie eius ſanctitasrefulget.Alexãdri II.Mediolanenſis,Epiſcopíque Lucenſis immẽſa in filios ſuos beneficia tanquam notiora prætermittam: Matildíſque nobiliſſimæ fœminæ, in Apoſtolicam Sedẽ deuotionẽ,præſidiáque à Lucenſibus cõ-

tra Cadulum miſſa tacebo. Illud duntaxat amoris ſignum referam, quod exiſtēs in Pontificis Maximi dignitate, nunquā dedignatus eſt ſe Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſulem, & LucenſemEpiſcopum appellare: magnū quidem dilectionis in patriam noſtram monumentum. ad Alexandrum III. venio, quem patria Sena à natura nobis amiciſſima cùm ſatis conciliaret, deuotionis tamen noſtræ in Eccleſiā Ro. conſcius, poſt multa veri amoris ſigna, AlderigūAlucingū nobilem Lucenſem, Cardinalem creauit, quem ſibi ſucceſſorem in Pontificatu faceret: Lucius III. appellatus eſt. Quarti Alexandri tempore quanta fuerit Lucenſium fides bella illa pro Apoſtolicæ ſedis defenſione contra Manfredum Regem ſuſcepta ſatis declarare poſſunt: In quovno prælio apud Arbiam facto, quinque millia Lucēſium deſiderata ſunt: & cum poſt cladē illam, immo ſtragem cæteræ Hetruriæ ciuitates Pōtificis partes deſeruiſſent, ſola Luca in fide permanſit, omnéſque Eccleſiæ fautores à propriis ſedibus eiectos recepit & tutata eſt: obſidionem duriſſimam, famem, incendia, rapinas, cædéſq; conſtantiſſimè pertulit. De Quinto Alexandro, viro quidē & doctiſſimo & ſan-

ctiſſimo, cùm antea morte præuentus fuerit, quàm qualis futurus eſſet, mundo oſtendere potuerit, pauca referri poſſunt: Piſis tamen Piſtoriũ, & deinde Bononiã petiturus, per agrum noſtrum iter fecit, Lucēſibus ſatis in illo rerũ turbine fidẽs: vbi benigne habitus, &, vt Pontificem decebat, cum veneratione acceptus, optimè nobis affectus diſceſſit.

Hæc attigiſſe iuuat, Beatiſſime Pater, non quo te Alexandrorum exempla in Lucenſes moueant, qui ſatis abundè domeſtica virtute, propria liberalitate, & animi magnitudine ſuffultus es: ſed vt intelligeres, quantum poſt Pontificalem dignitatem, poſt naturalem bonitatem tuam, in iſto etiam nomine, pro ſuæ libertatis conſeruandæ & ciuitatis amplificandæ deſiderio, fidei ſpeíque reponant. Tutos enim ſe futuros tuo ſub iuſtiſſimo imperio confidunt. Sanctitas tua deuotiſſimos Lucenſes ſuos, quorum omnium ſeruitutem, deuotionem, animóſque ante eius pedes conſpectúmque offerimus, in eam protectioneu recipiat, in quam omnes, quibus diuinitus datum eſt in iſta Sanctiſſima ſede ſedere, recipere dignati ſunt. ita rogamus, ita precamur, ita toto mentis annixu petimus.

ſummus ille miſericordiarum Pater, vt te verum IESV CHRISTI Vicariũ credimus,veneramur& colimus,id tibi Beatiſſime Pater, dum vita ſupererit, quam quidem longiſſimam optamus, tribuat, quod optimo Dominici gregis paſtori iuſtum,conueniens,piũ ſit: & * cęli reſeret limina poſt obitum,ita oramus.

* *vt ei cæli*

AD FRIDERICVM IMperatorem, & Maximilianum Regem Romanorũ, Hermolai Barbari.

POSTQVAM literę tuæ, Sacer Imperator, iucundiſſimum Reip. noſtræ nuncium attulêre, Maximilianum Celſitudinis tuę filium, Principem celeberrimum & fortiſſimum, admirabili populorum & Optimatum conſenſu, delectum & ſalutatum eſſe Regem Romanorum: ſenatus & vniuerſa ciuitas noſtra, non contenta id per epiſtolam feciſſe, congratulatum vtrique nos miſit: & in mandatis adiecit, vt magnitudinem gaudij ſui, quod pro tanta re meritò cõcepiſſet, non duobus modò vobis, Principes inuictiſſimi,ſed Galliæ,ſed Germaniæ,ſed omnibus gentibus, omnibus nationibus teſtatiſſimam & conſpicuam

faceremus: tum quia nihil tam amplum, tam glorioſum ſacratiſſimæ Maieſtati veſtræ poteſt contingere, quod ſibi quoque pro ſua in vos obſeruantia, fide, beneuolentia commune non putet: tum verò maximè, quia cùm Chriſtianum nomen & Romanum Imperium hoc altiſſimo prouidentiæ veſtræ conſilio diuinitùs amplificatum ſit, hoc tãto & tam communi bono ſic afficitur vniuerſa noſtra Reſp. vt ſolicita ſit admodùm, ne lætitiam incredibilem ſuam oratione conſequi valeamus. Quanquàm enim, Cæſar glorioſiſſime, vt à te primùm incipiã, nihil eſt ferè, quod vel à natura, vel à virtute, vel à fortuna ſit expectandum, quin cumulatiſſimè conſecutus eſſe videaris: & iampridem eas res geſſeris, artibus pacis & belli, quæ nomen tuum æternitati commendare poſſint: hinc tamen opinione noſtra fructum omnis anteactæ vitæ tuæ maximum cepiſti, quòd filium generoſiſſimum, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, belliciſſimas nationes non minùs armis, quàm ſapientia viciſſet, Regem Romanum, te viuo, renunciari permiſeris. Multa ſunt Maiorum tuorũ Cæſar egregia cùm bello, tum pace monumenta, quorum perſe-

cutio neque loci, neque temporis huius eſt. Sed omnia ea, vt per ſe magna ſunt, & immortali memoria digna, ita cum hoc vno tuo facto comparata, multò reperiuntur eſſe minora, quàm præ ſe ferunt. Ac geſſerunt quidem illi rem Romanã tam pręclarè, vt nihil addi potuerit: ſed quandiù vixerunt, ſibi tantùm vixerunt: tu autem, filio tuo ad gubernacula tantarũ rerum promoto, poſteritati quoque conſulis, & pluribus in futurum ſeculis prouides, ratione inuenta, quemadmodum curam publicæ ſalutis retinere videaris etiam poſt mortem, ratus id, quod eſt, Imperatoris eſſe boni, proſpicere, ne poſſit eſſe malus Imperator: Principem eſſe malum, quem vitia ſucceſſoris commendent, & bonum videri faciant. Nam quotuſquiſque Princeps non bonus ſit, ad alterum collatus? Congratulatur ergo tecum ſibi, & ſecum tibi, Princeps eminentiſſime, non reſp. modò noſtra, ſed Chriſtianus orbis vniuerſus, quòd Principem eum, quem certatim omnes efflagitabant, & tibi facere, & ſibi habere contigerit. Rara & viſenda felicitas tua, Cæſar beatiſſime, filium genuiſſe, quem Galliæ, quem Germaniæ, quem Barbari, quem Romani, quem po-

pulus Chriſtianus Imperatorem optare, te viuo, te reluctante, non erubeſcunt. Dixi, te reluctante: nam hæc tua, Diue Friderice, propria laus eſt, non minùs tibi, quàm cæteris moderari. Verebaris, audio, modeſtiſſimus & grauiſſimus Imperator, ne, ſi precibus populorum & Principum omnium protinùs annuiſſes, aut charitati patris in filium, aut ambitioni datum eſſe iudicaretur. Parùm tibi videbatur, præſtare Cæſarem in alios, niſi aduerſus teipſum quoque præſtitiſſes? immò, qui clementiſſimus, humaniſſimus, & facilimus es in cæteros, (id quod ego non famæ credo, ſed expertus loquor) in te parum æquus & duriuſculus eſſe voluiſti. Nihil erat apud te fuga voluptatum & continentia, quas virtutes vno te nullus ante te magis commendauit, niſi & paternum affectum, quo nihil eſſe conſtat in homine potentius, nihil tam legitimum, caſtigâſſes & compreſsiſſes. Nec enim vitium erat in Cæſare, liberos ſuos, qui & ipſi ſunt Cæſares, protinùs quàm naſcuntur, Reges eſſe cupere: quandoquidem non magis honeſtum eſt, Regem vocari, quàm Cæſaris eſſe filium. Iam patris in filios indulgentia, popularis &

plauſibilis quoque ſolet eſſe, nedum vt vel inuidioſa ſit, vel probroſa. Nam in Cæſare commendabilis ſemper fuit: in te verò etiam expetitur quaſi debita: nec iam indulgentiæ nomen habet, ſed iuris & æquitatis. Quis enim eſt filio tuo vel bello, vel pace clarior? quem res aduerſæ magis exercuêre? Quis proſperis & ſecundis minùs intumuit? Quis in vtraque fortuna conſtantior*? in labore pertinax? in remiſſione diligens ac præcinctus? Mitto bellicas virtutes, quæ vt in eo pręſtabiles & eximiæ, ita nec temporum ſunt omnium, neç locorum. Attingantur pacis artes, quæ ſemper & vbique ſunt vſui, ſapientia, temperantia, placabilitas, innocentia, religio, frugalitas. Hæ in iuuene vno tam præclaræ, tam eminentes eſſe perhibentur, vt ne in ſene quidem Imperatore maiora deſiderari poſſe videantur: futuræ prorſus incredibiles, niſi eum ex* Auſtria gente celebratiſſima, & filium tuum eſſe meminiſſemus. Quæ cùm ita ſint, immortales tibi gratiæ prouinciatim, oppidatímque habentur, & ſemper habebuntur, Imperator conſultiſſime, quòd pro communi bono verecundiam & modeſtiam tuam expugnari paſſus es. Ergo bis te ipſum

**, in labore magis pertinax, i remiſſione magis diligens.*

** Auſtriaca.*

vicisti,

vicisti, Cęſar inuictiſſime: primò, cùm oblatum filio tuo Regnum, minimè diſſimulāter auerſatus & deprecatus es, naturalémque patris in filios pietatem virtute pluſquàm heroica, immò diuina quadam mentis & animi magnitudine, ſuperâſti: ſecundò, cùm hanc ipſam virtutem, qua modò te viciſſes, vtilitatis publicæ contemplatio peruicit: & impetrauit à Cæſare, quod impetrari non potuiſſet à patre. Sed iamdudū mihi Cæſar innuit, Maximiliane Auguſte Princeps generoſiſſime, vt à ſe digreſſus, orationem ad te conuertam. Obtemperabo lubens atque lætus: cùm quia laudes tuas pater æquiore animo, quàm ſuas, audit: tum quia per hunc modum imperio Senatus & deſiderio Reip. meliùs & vberiùs ſatisfecero. Ergò maieſtatis tuæ nomen apud nos tam celebre ſemper fuit, vt ad diligendum amandúmque te propēſos, etiam ad colendum & obſeruandum impulerit. Eſt hic mos Reip. noſtræ peruetus atque ſanctus, pernicioſos & improbos tyrannos exitialiter odiſſe: Principibus bonis & fortibus non ſolùm fauere, ſed etiam obſequi: dignitatem eorum & amplitudinem omnib⁹ modis iuuare, tueri, defendre. Ætate porrò noſtra ne-

mo de Regum & Principū numero fuerit, quem collidi tecū & comparari poſſe iudicemus. Omninò talis & tantus es apud nos, in quo vel plura, vel maiora, quàm præ te feras, optare, comminiſci, deſiderare pudor ſit: vt nemo mirari debeat, ſi lætitiam immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incomparabilem, quā te Romano Rege declarato cōcepimus, dicēdo repræſentare nullo modo poſſumus. Enitent ac prælucent in vno te, ſed iuuene, (mirum dictu) virtutes omnes imperatoriæ: iuſtitia, liberalitas, animi magnitudo, clementia, placabilitas, abſtinētia voluptatum omniū: & vt complectar vno verbo multa, quàm immaturum æui te cernimus, tam maturum Imperij te cognoſcimus. Peruidit hanc indolis altitudinem Carolus* rex Belgarum, experientiſſimus belli dux, & acerrimi vir ingenij: qua vſque adeò exarſit, vt nihil prius habere videretur, quàm vt vnicam ſibi filiam, virginem magnæ ſpei, fœminam lectiſsimam, hæredem multarum gentium nationúmq; futuram, & omninò quam multi reges appeterent, obſeruarent, ambirent: tibi vni ferè pueto, nec vxorio, nec quærēti, deſponſare poſſet. vndeuigeſimo autem

*dux Burgūdionum

ætatis anno, cùm Princeps ille, cui mox adſciſcēdus gener eras, ab Leucis & Heluetiis interceptus eſſet, ſoceri tui regnū à Gallis occupatum, ingreſſus, parua manu fuſis & trucidatis ingentibus hoſtium copiis, ſeruitute liberaſti: vxorem defuncti Ducis, & filiam, fortunatiſsimas modò fœminas, tum miſerrimas & exāgues, nec magis mœrore, quàm metu confectas, omni diuina & humana ſpe deſtitutas erexiſti, ſubleuaſti, redemiſti: vitam earum & dignitatem & pudicitiam conſeruaſti. Hoc mater, hoc prouinciæ tanto & tā immortali beneficio deuinctæ, virginem ope tua recreatam, virtute tua defenſam, tuis armis inimicorum ereptam iniuriæ, deſpōſatam à patre priùs animo, tunc certatim opere tibi collocant: videlicet vt eundem generū atque virum haberent, quem habebant & aſſertorem & vindicem. Hactenus rudimenta virtutis & fortitudinis tuę diximus. Quid illa, quę mox egiſti? quàm famigerata? quàm mira? quàm viſenda? nato tibi filio, ciuiles ortæ ſeditiones ſunt, Morinis autoribus: quorum opera factū eſt, vt chariſsimum tibi pignus, neſcio quo prętextu, cuſtodiendum & aſſeruandū eriperetur. Fuit hoc corū nō perfidia, non defe-

ctio, Princeps glorioſiſſime, ſed fati vis hoc agentis, vt per inteſtina quoque bella clarior & celebrior fieres. Nec enim plùs eos amat fortuna, quos indulgenter habet, & quibus parcit, ſed quos iactat, quos exercet: alioqui clari nec bello, nec pace duces intelliguntur, quibus omnia proſperè cedunt: ſed quibus contingit per labores, per ærumnas, per incommoda ſplendeſcere. Nam vt ſecundę res felicem, magnum certè faciunt aduerſæ. Alexandrum illum Macedonem ſunt qui minùs egregium bello ducem fuiſſe prædicent, quòd ei nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit, quódque in ipſo rerum incremento, nondum vertentem fortunam expertus, vita deceſſerit. In te verò, quem certa ſiderum decreta ſceptro patris & ſolio deſtinauerant, quid mirum, ſi aliqui operam dederunt, vt triſtiora tibi tempora inciderent, ne aut virtus quiete langueſceret, aut parùm dignus imperio fuiſſe videreris, qui omnino futurus eſſes Imperator? Itaque continuos nouem annos in caſtris agẽs, difficilima quinq; bella profligaſti, Gallicum ſiue Francicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicum, quod quidem poſtremum haud facilè

iudicari poteſt, vtra tibi re glorioſius fuerit, cóne, quòd filium tamdiu tibi ademptum, auulſúmque recepiſti: an eò, quòd nobiliſſimas gentes, ſcientiſſimos bellicæ rei populos, vrbes opulentiſſimas, ad deditionem & pœnitentiam compuliſti: id quod nec Carolus ſocer, nec proſocer Philippus excellentiſſimi Duces, hic bello, ille ſapientia, conſequi potuiſſe memorantur. Non cogito panegyricum, Rex clariſſime: non laboro verborum ambitu: nihil amplifico, nihil alleuo: ſed decurro per capita, & nudas rerum à te geſtarum ſummas attingo. Mirantur tamen hæc omnes, mirantur etiam citra fucum & negligenter effuſa. Plus mirentur, ſi qui te propiùs introſpicerent, & virtutes eas intuerentur, quarum præſidiis munitus, tot inſignes victorias, tam multa belli decora conſecutus eſſes. videretur iſtud os tam probum, tam facundum, hæc tracta de cælo ſpecies, iſta lacertorum & pectoris firmitas, hic totius corporis vigor, hæc animi tempeſtiuitas & * volucritas, hic Imperatorius *alacritas.
ardor oculorum: præterea quam ferox in prælio, mitis in contubernio, effuſus aliis, tibi parcus, in caſtris non veſte, non menſa præcipuus. Aguntur hyemes cum

cætero milite ſub pellibus: ſudantur æſtates æqualiter, epulæ modico & caſtrenſi cibo contentæ. Iam quis te ſolertius caſtris locum capiat? commeatus expediat? hoſtem ludificetur? pugnæ tempus eligat? aciem inſtruat? vrbes obſidione cingat? neque verò partes Imperatoris & optimi Ducis imples, militis non imples. nullum tibi caſtrenſe munus ſordet, non ſtare pro ſignis, non excubias ſorte agere, non vallum ferre, non ſpeculatum egredi, primus inire prælium, poſtremus excedere: vtrunque iuxtà doctus, opere militem, & conſilio ducem agere. nullam tibi vel principalis fortuna, vel maieſtas Imperij functionem remittit. Nihil tibi parcis, nihil blandiris: indulgentiſſimus cæteris, tibi parum lætus: & omninò nihil gregario plùs habes, niſi quòd plùs laboras, ratus id, quod eſt, non tam honorem, quàm onus eſſe, quòd regnas: Imperatoris hoc eſſe munus, vt opes & magnitudinem ſuam non ad ambitum aliquem priuatum, ſed ad ſalutem & commoda reip. conuertat: vtque non Imperium ſibi, ſed ſeipſum Imperio dedititium faciat. Sed & illa tibi peculiaria feruntur: diligere quidem omnes, ſed amicos etiam deligere, non obla-

tos iſtos & paſſim obuios de palæſtra, de ſphæriſterio, de fritillo: ſed quos ad innocentiam, patientiam, continentiã, ad algores, ad æſtus, ad opera militaria ſæpiùs exploraueris. Nec enim amici ſunt, quicunque vos ſequuntur: alioqui tam multi, quàm ſunt (vt Plutarchus inquit) in culina muſcæ, quę cum ipſo nidore confluunt & recedunt. ſed quos amicitia dignos eſſe iudicaueritis, eos debetis vos vltrò ſequi. Itaque cum iis, qui ſe tibi aliquando virtute commendauiſſent, conſuetudine delectâſſent, vtilitate demeruiſſent, in omnia familiaritatis officia deſcendis, & Cæſarem obliuiſceris, vt amicũ præſtare poſſis. Neq; verò poſtremum inter laudes tuas poſuerim, quòd literas & ingenia, ſicut audio, tam impẽſè diligis: quódque bonas artes non foues modò, ſed alis atque promoues. Imperatoriũ & hoc decus: tum quòd in nullo plus emicat hic nitor, & hoc lumẽ doctrinæ, quàm in Regibus: vnde natum ſit illud ex Homero, Platonis interpretatione, Diſcipulos Deorum non alios eſſe, quàm Reges: tum verò maximè, ꝙ præcepta ſapientiæ non habentibus modò proſunt, ſed in alios etiam (ferè dixerim) plus redundãt. Quis ignorat Anaxagorã

in Pericle, Platonem in Dione multos inſtituiſſe? Non nauigâſſet ab exercitu Cato Rhodon, vt Athenodorum audiret: nec Panætium Scipio videre concupiſſet, niſi tantum in ea re vel ornamenti, vel fructus ineſſe iudicauiſſent. Prætereo multa prudens atque conſcius. nihil me fugit, quàm religioſè, quàm innocenter, quàm ſanctè iuuẽtutem tuam exigas. Patet omnibus, obſequentiorem te patri filium nec eſſe, nec fuiſſe quemquam. Scio quàm præclaræ, quàm magnificæ cogitationes tuæ ſint omnes. Non ignoro, quæ pridem vota conceperis, nuncupâríſq; digna Principe Chriſtiano, digna maioribus tuis, digna Cæſare, digna te ipſo. Hæ virtutes illæ tuæ ſunt, Imperator vnice, propter quas ducem ſuum te bellicoſiſſima terræ Galliæ pars Belgæ non modò non dedignantur aduenam & Germanum: quibus alioqui tam ſunt infenſi, quàm proximi, lingua, cælo, moribúſque diſiuncti: ſed appetũt vt indigenam, venerantur vt Principem, diligunt vt parentem. Hæc ingentia tua merita, propter quæ Fridericus pater, innocentiſſimus & grauiſſimus Imperator, adduci perſuaderique potuit, vti te Regem Romanum, ſe viuo, renunciari pa-

teretur. Ac differebat quidem ille primùm & cunctabatur, ſimul vt verecundiam & modeſtiam ſuam, quemadmodum prædiximus, ab omni labe ſuſpicionis aſſereret: ſimul vt exploraret, aſſentarentúrne patri, qui pro filio tam enixè laborarent: an conſultum ſaluti ſuæ vellent. Sed exemplo patuit, acclamationes illas atque preces, non adulantium voces fuiſſe, ſed ſtudentium. Nam adulatio ſemel eliſa, protinus frangitur atque langueſcit. ſtudia quo plus arcentur, eo magis gliſcunt & exardeſcunt. Quanto nunc, Diue Friderice, gaudio perfunderis, quòd filius tuus, te incolumi, placere poteſt Imperator? quàm iucundum tibi, quòd te comparari filio tuo ſentis? &, quoniam cõtrouerſa res videtur, modò vincis, modò vinceris? Cæterùm quid prouidẽtia tua dignius, amplitudini glorioſius, clementiæ, pietati, felicitati conuenientius facere potuiſſes, quàm, vti, quem ex vtilitate publica fuit vt genuiſſes, eidem quoque per patrem, & decus & nomen Imperatoris accreſceret? Macte ingenti vtroque in Remp. meritò: etiam ſi difficilè percipitur, vt inquit ille, pulchrius & honeſtius fuerit, genuiſſe talem, an cooptâſſe. Non multo minor

tamen veſtra laus, Germani Principes integerrimi, quorum ius id eſt, Regem Romanum, mox futurum Imperatorem, eligere. Nec enim poſſunt nō optimi cenſeri, qui Principes ſibi optimos proſpiciunt. Proinde cùm talis & tantus eſſet is, quem legiſtis, vt & omnibus anteponi meruerit, & ab omnibus: ſcitote vos vtrunque cumulatiſſimè cōſecutos fuiſſe, & vt gratiæ vobis ab omnibus immortales & incredibiles haberentur, & vt nomen veſtrum æternitati commendatum & conſecratum eſſet. Etenim vt nomine Vitelij vel Othonis ſubinde admoneremur eorũ, qui faces illas atq; peſtes ad diſſipandum & incendendum orbem intuliſſent: ita hæc optimi Principis electio, nunquàm memoriæ hominum ſine vobis recurret. quotiéſque poſteri veſtri res ab illo fortiter geſtas recognoſcent, toties laudabunt, qui talem Imperio præfecerint. Sed redeamus, vnde nos contemplatio patris & eorum, qui te legerunt, abduxit. Magna per ſe res erat, omnibus punctis, omnibus ſuffragiis, & vt ita dicam, tributim, centuriatímque declaratum eſſe Regem Romanorum, ſed fecit occaſio maiorem. Ea ſunt enim Reipub. Chriſtianę tempora, is ha-

bitus Imperij, vt non tam ſpecioſum fuerit te Regem creari, quàm neceſſarium:nec ad futura modò, ſed ad pręſentia rerum momenta ſalutare. Omitto ſingulatim enumerare publicas clades. omitto percenſere, quàm luxata, quàm conuulſa ſint omnia religionis Chriſtianæ membra. omitto bella, quibus Imperium hoc diſtringitur. Sit enim piaculum,in tam feſta pręſentium gaudiorum luce miſceri triſtia. Illud ſine periculo violatę publicę lætitię dicetur,hoc,quod Principes Germani de creando te ſibi Rege cogitauerunt, non tam conſilium fuiſſe, quàm remedium. Ergo non ad otium, non ad remiſſionem, nō ad quietem, alioqui tibi debitam poſt tam multos labores, ſed ad nouas expeditiones, noua bella, nouas difficultates, Imperium tibi traditur. omninóque per hoc non ſolatium tibi,ſed aliis quæritur. Nihil enim aliud cogitaſſe video ſummos viros, qui te patri tuo Principi nobiliſſimo,ſed annorum pleno,ſocium addidêre,quàm vt ille conſilio Remp.tu laboribus & operibus adiuuare poſſes? Quid illud?quàm glorioſum tibi,quàm lætum patri,quàm omnibus in tempore, vt Regem decerni tunc demùm te cōtingeret,

cùm opem tuam non Imperium, ſed Imperator: nec Imperator, ſed pater, expectaturus eſſe videretur? Acceſſit hoc ad cumulum amplitudinis & fortunæ tuæ, Rex præſtantiſſime, vt, qui filium infantem è penitiſſimis hoſtium munimentis eripuiſſes, apud eundem patris quoque recreati gloria ſtaret. Duos omnino legimus cognomento Pios fuiſſe: nec argumentum ignoratur, vnde ſic appellari meruerint. In te poſteritas ambiget, vter euentus hoc nomen tibi conciliauerit, quod pius in parentem, an quod pius in filium apparueris.

Sed iam tempus eſt, vt vela retraham: neû longiùs me, quàm volo, aut quàm partes Legati ſunt, laudum veſtrarum ſplendore, numero, magnitudine detineri patiar. Quamobrem, ſi nihil eſt in rebus humanis Principe Romano maius & auguſtius: ſi talis & tãtus eſt filius tuus Cæſar, vt ab omnibus legi debuerit & ex omnibus: denique ſi nihil vel nobilius ad gloriam, vel certius ad ſalutem excogitari poterat, quàm vt ille Remp. difficilimo tempore capeſſeret: nemini mirum videri debet, ſi, quod per initia teſtatus ſum, ad huius magnitudinem lætitiæ nullius hominis facundia, nullius

is ingenij peruenire poteſt. Sed hæc
ranſlatitia ſunt, communia ſunt omni-
us. Illæ peculiares Veneto cauſæ, quod
eque gens eſt vlla, neque natio, abſit
erbo inuidia, cuius vel plura, vel maio-
a & in Chriſtianam Rempub. cuius vos
aput eſtis, & in Romanum Imperium
rgumenta beneuolentiæ, fidei, pietatis
ppareant. Non auderem iſta profiteri,
æſar optime, niſi & vera eſſe conſtaret,
tu vera libẽter audires:*alioquin ſcie- *alioqui.
am ſcelus eſſe, coram te parùm certa di-
re, nedum falſa. Sunt & illa nobis pro-
ia, Maximiliane Rex fortiſſime; quod
ariſſimũ nomen *Auſtriæ familiæ, qua *Auſtriacæ.
lla fuit vnquam Regum, Imperato-
mque fœcundior, religioſũm & vene-
bile ſemper habuimus: quòd Friderico
tri tuo Principi ſaluberrimo, quæcun-
e ſe res tulerũt, enixè ſtuduimus, qui-
ſcunque eum locis & temporibus ſin-
lari ſignificatione voluntatis & ob-
uantiæ proſecuti ſumus: quod ipſum
ſemper à teneris vnguiculis, inductio-
quadam animi non occulta, impen-
imè coluimus, authoritati tuæ faui-
us, amplitudinem, quantum vires fuẽ-
defendimus. Iam qui Principibus Lu-
niæ nobiliſſimis & fortiſſimis, vnde

maternum tibi genus eſt: qui ſocero tuo Carolo Duci generoſiſſimo, qui Philippo eius patri ſapientiſſimo Principi, chariores vnquam fuêre, quàm Veneti? Tot modis copulati cum ſublimitate veſtra ſumus, tam multiplici nexu vincti, vt, qui hæc non videt, nihil omninò videat: qui plus deſiderat, nihil omninò deſideret. Gratulatur ergo prorſus in vobis ſibi, & in ſe vobis Senatus & vniuerſa ciuitas noſtra, non quantum cæteri fecêre, ſed quantum nulli: nec quantum dici vel cogitari poteſt, ſed quantum nec dici, nec cogitari fas eſt: & quoniam ambo vos, celeberrimi Principes, hinc pater, inde filius, ita mutuò creuiſtis, vt neque tu maior, neq; tu felicior eſſe poſſis: reliquum eſt, vt Deum Opt. Max. conditorem huius & ſeruatorem Imperij, publica vice comprecer & obteſter, vt, quandò rem Romanam Principum duorum, patris & filij, huius maturitate ſenioris, illius virtute iuuenis, florentiſſimam eſſe voluit: beneficio ſuo foueat, pietatémque ſuam & voluntatem conſeruandi per optimos Principes generis humani, ſanciat & perpetuā eſſe iubeat: Poſtremò, vt Illuſtriſſimum Ducē noſtrū, & inclytam Remp. incolumitatis & gloriæ veſtræ cupidiſſi-

mam, quæ te, Cæſar, ſemper & Patrem & Principē Chriſtianæ religionis agnouit, coluit, & ſuſpexit: Sacroſanctæ Maieſtati tuæ, quanta maxima poſſumus, veneratione, religione, deuotione commendemus: opes noſtras omneis atque vires, ad ornamentum & incrementum Imperij, dignitatem & amplitudinem Sacratiſſimi nominis veſtri, promptas, expoſitas & dicatas eſſe*doceamus. *docemus.

AD LVDOVICVM GALlorum Regem Hieronymi Donati Patricij Veneti.

SI cum vniuerſa Rep. Senatus noſter, Chriſtianiſſ. Rex, affectum animi erga te ſui coràm explicare atque effundere potuiſſet, id profectò nulla mora interpoſita, abſque nobis internunciis non minus faciliùs, quàm libentiùs egiſſet: ſicut enim ea, quæ corpus afficiunt, nemo melius explorata poteſt cęteris facere, quàm qui proprio ſenſu premitur: ita ea, quę intimam animi ſedem attingunt, nemo apertiùs effuſiúſque poteſt præ ſe ferre, quàm is, ad quem primo loco pertinet vniuerſa ratio, qua impellimur, ſiue ea ad dolendū, ſiue ad gratulandū accommo-

danda ſit. Sed cùm nulla vnquam neque nationi, neque Principi maiore nexu ciuitas noſtra ſeſe coniunxerit, eo qui cum tua Celſitudine Chriſtianiſſima nobiſcum intercedit: quod re exequi non potuit, id in animo habuit, & ex abundantia quadam beneuolentiſſimæ erga te mentis optauit. Ea nanque natura eſt concitati & vehementis affectus, vt plus concipiamus animo, quàm educere in opus plerunque poſſimus: atque ob id ſæpenumerò idem in officio, atque in artificio ſumma diligentia ſolet efficere, vt, dum cæteris ſatisfacimus, ipſi nobis ſatisfacere non valeamus. Ferunt Apollodorum ſtudij exactioris artificem, crebrò abſoluta & perfecta vel inſignis elegantiæ ſigna fregiſſe, cùm artis cupiditatem ſatiare non poſſet: ita propè Senatus noſter, dum diutiùs in beneuolentiſſimo & pleniſſimo obſeruantiæ ac fidei officio verſatur, & ſub huius noſtræ legationis perſona, ardentiſſimum ſuum & totius ciuitatis erga te animum, minùs æquari poſſe animaduertit, re longiùs, quàm par erat, tempore ſenſim obrepente, protracta, cupiditatem beneuolentiſſimi animi atque optimæ mentis ſatiare non potuit: vt iam miſſio hæc ad te noſtra,

ſtra,non ſerior,ſed quæ finem diligentiæ
& ſtudij vix habuerit,videri poſſit. Tam-
etſi intereà, dum itineri accingimur,
mora quoque aliquanto longior acceſ-
it obitu Ducis noſtri: quæ quanquam
nihil, quod ad Rempub. attinet, turbare
ut impedire ſolet, id tamen efficere po-
eſt,vt,dum in ſubrogando optimo Du-
e,optima pars Senatus intenta eſt,cæte-
a,quæ momento non vrgeant, legitima
pud nos excuſatione differri poſſe iu-
icent.

Adſumus itaque, Rex Chriſtianiſſime,
quod Maieſtati tuæ ſatis (vt credimus)
turum eſt, ipſam tibi Senatus noſtri
enam ſinceriſſimæ voluntatis mentem
ferimus, eiúſque penetralia, quantum
oſſumus, explicamus, quæ alioqui non
plicari ſolùm, ſed in manus tuas Sere-
ſſimas ac Chriſtianiſſ. deferri,& collo-
ri idem Senatus exoptat. Hoc deſide-
o immenſo, hac cupiditate incredibili
te mittimur: hæc Legationis noſtræ
mma prouincia eſt: quæ proculdubiò
axime ardua, atque inexhauſti pelagi
agna ope & cultu orationis egeret, ſi
c in parte eas res Maieſtati tuæ expo-
re atque attollere verbis vellemus, qui-
s explicãdis vix ipſa cogitatio ſatis eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Verùm eò creuit magnitudo obſeruantiæ erga te noſtræ, id in beneuolentia ac fide ſtudium, in fœdere certus ac confirmatus animus, & pertinax fides atq; cõſtantia: vt, ſicut iis re ipſa nihil addi poteſt, ita verbis quicquid additur, ſemper minus eſſe neceſſe ſit eo, quod animo recẽſetur. Scimus difficilimum factu ſemper extitiſſe, vehementiſſimis affectibus vim orationis parem aptare, quando in vultu & fronte faciliùs & meliùs ſæpenumerò reddi poſſunt: minus tamen negocij nobis eſſe videmus agentibus apud Celſitudinẽ tuam, quæ noſtram erga ſe fidem, beneuolentiámque commodiſſimè poteſt, nõ tam ex ipſa rerum occaſione, quàm ex ſuo erga nos amore metiri. Igitur Deo Opt. Max. qui nos cũ Maieſtate tua ab ipſis regni tui feliciſſimis auſpiciis, perpetuo atque inuiolabili fœdere coniunxit, noſtri Senatus nomine coràm tua Celſitudine gratias agimus ſempiternas atque immortales, quod te Rex Chriſtianiſſime, (id quod omnibus horis optamus) corporis animiq; ſoſpitate incolumem, ſumma amplitudine ac gloria incredibili auctum ornatúmque cernimus, & digniſſimũ inſuper propria virtute, cui tot honores & cõmoda pro-

perè eueniant. Neapolitani regni ade-
ptam tua vel abſentis virtute poſſeſſio-
nem tuis titulis, & noſtris religioníſque
Chriſtianæ commodis acceſſiſſe,ex eiuſ-
dem Senatus animo, enixiſſimè gratula-
mur & gaudemus. Præterquàm enim,ꝙ
in cenſu noſtro ponimus, quicquid rem
tuæ Maieſtatis Chriſtianiſſimæ meliorẽ
efficit: nihil ſanè nobis optatius accide-
re poterat, quàm rebus tuæ Celſitudinis
incrementa ibi potiſſimum accedere,vbi
contra peculiares noſtros & communes
hoſtes Chriſtiani nominis, cuiuſtu pri-
uato titulo & hæreditaria prærogatiua
inſigniris, maximè opportuna ac neceſ-
ſaria viderentur. Ceſſat iam tuo munere
infamis ille ac periculoſus rumor, qui
non ſolùm per Italiam, ſed per omnes
Chriſtianas regiones vagabatur, ingreſ-
ſuros iamiam, atq; ex ea parte impetum
facturos perfidiſſimos hoſtes Chriſti ad
Romanam Eccleſiam euertendam, fun-
ditúſque delẽdam accinctos. Ceſſat,ceſ-
ſabítque(vt ſperamus)in dies latiùs:pro-
ſpectum ea parte diuino conſilio immi-
nentibus præſentibúſque rei Chriſtianæ
periculis, cum tuæ Celſitudinis gloria,
quantũ poſſumus,lætamur.Reliquũ eſſe
videbatur ad amplitudinẽ tuæ Maieſta-

tiſ augendam,quò res tibiChriſtiana expeditior fieret, poſt res plurimas diuina ope & tua virtute,bello atque armis pręclarè geſtas,togæ ac pacis artes aggredi, conciliare finitimos, eóſque tibi beneuolentiæ atque affinitatis vinculo copulare.Id ſubinde effectum eſt glorioſo cęlitúſque demiſſo connubio, quod inter Chriſtianiſſ. tuæ Sublimitatis filiam, Illuſtriſſimíque Principis Philippi Archiducis filium,diuina nuper accedente bonitate,contractum eſt:quod Senatus noſter ex eodem priuato amoris atque obſeruantiæ ſuæ inſtituto, & ex publica rei Chriſtianæ cauſa pariter gratulatur,præſertim, quod ex ea re indies ampliores atque vberiores tranquillitatis, pacíſque Chriſtianæ prouentus expectare conuenit. id ſimul proli, ac vobis vtrinque parentibus felix, fauſtum, & ſine querela Deus optimus omnium bonorũ author efficiat.Quanquam verò in re vtraq;, vt primùm nobis nũciata eſt, gratulationis officium viro clariſſimo & Senatori probiſſ. Frãciſco Phoſcharo oratori apud te noſtro Senatus iniunxit,ídq;(vti non dubitamus) pro eius virtute atque prudẽtia exactiſſimè abſolutum eſt:noſtræ tamen in Maieſtatem tuam obſeruantiæ atque

mori maximè conuenire cenſuimus, vt
s vtraque per proprios, atque ad id im-
imis deſtinatos oratores ageretur, vt
otimæ noſtræ mentis affectus, propen-
ſimúſque animus, licet Maieſtati tuæ
rſpectiſſimus, vniuerſo etiam orbi ter-
rum nobis teſtibus oſtenderetur. Solēt
ofectò, qui ſecundioris nuncij aut rei
iuſpiam alacritate tanguntur, non tan-
m intra domeſticos parietes indulgere
nio, & lætitiam continere, ſed prodi-
ſæpiùs in publicum ornatiores, & po-
lo frontis hilaritatem exponere. Idem
runque euenit in Rebuſpublicis, vt
lta alienis oculis, atque alienis auri-
s, & omninò iis, ad quos etiam res non
tinet, deberi videantur. Perſpectiſſi-
m enim atque exploratiſſimam Ma-
ati tuæ mētem noſtram eſſe non am-
imus, indiſſolubilis atque æterni fœ-
is beneuolentia coniunctam: quæ vt
pſis Regni tui primordiis, vſui atque
ori rebus tuę Celſitudinis ſemper af-
, ita cum tua gloria atque amplitudi-
res quoque noſtras locupletiores fa-
s eſſe arbitramur: neque tātùm nobis
ibus obſeruantiam erga te noſtram,
ctis gentibus ac populis latiſſimè pa-
cupimus, ſed vbicunque ſeſe occaſio

obtulerit, re ipſa quibuſuis argumentis ac documentis ſemper oſtendi: vt ſciant omnes quicquid ad gloriam tuæ Celſitudinis pertinet, id omni ex parte commune nobiſcum haberi, & iure beneuolentiæ ac fœderis ſtatutum, & certum apud nos eſſe, vt ſemper è re noſtra ducatur, quicquid Chriſtianiſſimæ tuæ Maieſtatis dignitatem amplitudinémque fortunet. Hæret proculdubiò imis firmiſſimíſque radicibus animorũ vtrinque ſocietas, quæ nullis concuti flatibus, nullis auelli viribus poſſet, dum mens Deo benè iuuante, mutuò manet immobilis, & quicquid incaſſum malè obſtrepere poteſt, non ſolùm ſurda aure vtrinque præteritur, ſed prorſus reiicitur & profligatur. Quas ob res liceat nobis, Rex Chriſtianiſſime, ob feliciſſimos tuos ſucceſſus non ſolùm Maieſtati tuæ gratulari, ſed etiam nobis ipſis gaudere: quod ſanè facimus, quantum poſſumus, effuſiſſimo mentis affectu. Sed tu pro tua erga nos beneuolentia in hoc propenſiſſimæ voluntatis officio, non tam ea quæ dicimus, quàm quæ dicere optamus, animaduertes: & ſi quid ad culmen hoc tuæ Celſitudinis & gloriæ, noſtri Senatus Reíque publicę opera poteſt accede-

re, cum hac ipſa ardentiſſimi animi gratulatione, quantum mentis obſequio ac viribus valemus, id Maieſtati tuæ iamdiu oblatum dicatúmque eiuſdem Senatus nomine, amantiſſimè & conſtantiſſimè pollicemur.

Supereſt, Sereniſſime & Chriſtianiſſime Rex, vt, quos tibi gratulamur ſucceſſus fortunatiſſimos, tua hac probitate Regia & inuicta animi magnitudine diligentiùs ponderes, penſitéſque: eóſque in Maieſtate tua rectiſſimè collocatos putes: teipſum in hac tanta gloria conſpicias, parémque (vt facis) diuinis iis muneribus reddas, quibus (vt cœpiſti) non ſolùm ad Chriſtianę religionis defenſionem, quà nunc maximè opus eſt, ſed propagationem atque incrementum vtaris. Profectò, Rex Chriſtianiſſime, ſi quis exteriùs fortunæ tuæ gloriam attentiùs intueri voluerit, ſi interiùs ingentes animi tui præclaráſque virtutes inſpexerit, facilè comperiet hæc omnia, non tam diuini eſſe muneris, quàm prouidentiæ. Nam ſi rerum tuarum glorioſiſſimos euentus cum hac ipſa temporum cõditione conferimus, id de te cogimur ſentire atque proferre, quod de electiſſima opportuniſſimáque illa Dauidis Regis vnctione *Pſal.* 88.

ſacra recenſet hiſtoria, inueniſſe ſibi Deũ virum ſecundum cor ſuum, qui dubiis iis, grauiſſimíſque Reip. Chriſtianę temporibus, ſternẽtis populantíſque omnia Philiſthæi rabiem percutiat, atque proſternat. Tribuit tibi Deus optimus hæc ipſa prænoſcens, Chriſtianiſſimi atq; latiſſimi huius regni ſolium, non tam ſucceſſione legitima, quàm (quod maius eſt) virtutibus tuis debitum, qui tua probitate Rex fueras antè, quàm fieres. Contulit Regalem hanc ſpeciem, atq; oris habitum regno digniſſimum, vires corporis heroicæ virtutis ac roboris, mentem in proſperrimis iis rebus æquiſſimam, in qua ſemper ratio arcem principatúmque poſſideat. quibus ſingulatim enumerandis extollendíſque tempus terere ſuperuacuum exiſtimamus: quandoquidem tui inſtituti eſſe ſcimus, malle te Regem bonum eſſe, quàm dici: & libentiùs facere, quàm audire præclara: quæ vt maximè omnibus perſpicua ſunt, ita minimè egent, vt à nobis promoueãtur in lucem, præſertim quod fax iſta tuæ virtutis & gloriæ ſeſe iam altiùs erexerit, atque (vt videre videmur) accenſa, & ſuper candelabrum fidei poſita, omnibus qui in domo Chriſtiana ſunt, lucidiſſimum ſplen-

Matt. 5.

dorem, cæteris verò terrorem atque incendium grande portendit. propediémque omnis tua laus breuiſſimo vnius periodi ſpiritu, à Chriſtiana religione perorabitur, quum te præſidem, cuſtodem, propugnatorem, conſeruatorémq; glorioſiſſimis titulis nuncupabit, vbi conuerſis iam in Chriſti hoſtes mucronibus, immenſam Sereniſſimorum maiorum tuorum Chriſtianiſſimorum Regũ gloriam non ſolùm pari metro æquaueris, ſed cumulatiſſimè excellueris. Præter regnum ipſum Neapolitanum, ac nuptias, hanc quoque ſpem (in qua iam maius aliquid & præclarius diuiniúſque cernimus) gratulatur tibi Senatus noſter, qui hunc tot felicitatum in maieſtate tua cumulum, in cenſu Reipublicæ Chriſtianæ computat, vt demùm de medio ſublatis is, quæ ſancto eius expeditionis propoſito ſiue obfuerant, ſiue obeſſe poterant; ipſos (quod reliquum eſt tuæ gloriæ) Chriſtiani nominis euerſores Rex Chriſtianiſſimus & feliciſſimus, Chriſtianiſſimis & feliciſſimis armis vincas, Sereniſſimos maiores tuos rebus pro fide glorioſiſſimè geſtis excellas, te ipſum gloria ſuperes, hac vna mercede tot à ſummo largitore munerum Deo in

tuam Maieſtatem rectiſſimè collocata beneficia, tuis operibus ac meritis æquaturus. Hoc de te, Rex Chriſtianiſſime, cæteri autument, ſperéntque: nos vt rem certiſſimè futuram expectamus, ita & gratulari tecum in ea re, & conſummatiſſimam atque omnibus numeris abſolutam gloriam optamus.

AD FERDINANDVM Hiſpaniæ & vtriuſque Siciliæ Regem, Marci Danduli Patricij Veneti.

SI Veneta Reſpub. Sereniſſime Rex, ſummo amore & beneuolentia ſingulari Catholicam Maieſtatem tuam ſemper proſecuta, optare gratularíque ex animo ſemper ſolet incolumitatē, atque proſperrimos quóſque feliciſſimóſque ſucceſſus amplitudinis tuæ: quanto nunc maiori ſtudio & pleniori, quoad fieri poteſt, animorum ſignificatione, pro huiuſcemodi declarationis officio vti nos decet, non tantùm apud Maieſtatem tuam, cui iam diu exploratiſſimus eſt animus Veneti Senatus, ſed & apud ipſum etiam terrarum orbem? quandoquidem diuina prouidentia id certiſſimè factum eſt, vt regnum hoc opulentiſſimum con-

ſecutus, glorioſiſſimè adiêris, ſuſceptúſque honorificentiſſimè fueris ſummo procerum incolarúmque cuiuſuis generis conſenſu. Pro cuius rei magnitudine maximum ciuitatis noſtræ gaudium, id quod tunc à Veneto Senatu præſtari poterat, cùm primùm eum iucundiſſimum accepiſſet nuncium, ſignificauit prꝗſtantiſſimus hic Orator noſter apud Celſitudinem tuam aſſiſtere ſolitus, ex veteri ciuitatis inſtituto, id eſt, pro illa ſumma beneuolentia, quæ ſemper viguit, viget, ac perpetuò vigebit, Deo benè iuuante, inter Catholicam Maieſtatem tuam & Venetum Senatum. Qui non contentus huiuſcemodi declaratione, nunc vberiori animorum ſignificatione, & pleniori teſtimonio tecum agit, nóſque miſit ad te legatos, qui teſtes fidei, amoris & obſeruantię in Maieſtatem tuam, ſummum gaudium atque incredibilem lætitiam vniuerſæ Reipub. noſtræ declararemus. Quare ſicuti proculdubiò atteſtari poſſumus atq; debemus, nullam vnquã amicitiã firmiorem conſtãtiorémque quandóque cõſtitiſſe inter aliquos Reges aut Principes, quàm inter Celſitudinẽ tuam & nos: ita ſanè ſumus conſtantiſſimè aſſeueraturi, ex Regibus aut Principibus

Chriſtiànis nullum eſſe, qui ex hac tua feliciſſima opulentiſſimi huius Regni adeptione, aduentúque tuo in hanc ampliſſimam ditionem, maiori lętitia atque vehementiore animi hilaritate fuerit affectus, quam Illuſtriſſimus Princeps Venetus atque Senatus, & vniuerſa denique Reſp. noſtra. ꝙ profecto gratulationis officium pro voluntate ciuitatis noſtræ, Amplitudini tuæ verbis implere atque oratione complecti, difficilimum ſanè exiſtimamus. quis enim exprimere ſatis digne poſſit, quam incredibilem conceperit inde lætitiam ciuitas noſtra? cùm videamus te Regē optimum, Venetæ Amplitudinis ſtudioſum, ac præſertim de Chriſtiana religione optimè meritum, in ampliſſimo hoc regno collocatum eſſe: quem, cuiúſq; maiores Veneta Reſp. ſane ſummoperè ſemper dilexit, atque coluit ex animo qui, cuiúſque maiores contra, nos maioréſque noſtros amore incredibili, ſingulari beneuolentia, eximia charitate ſunt ita ſemper proſecuti, vt nulla coniunctior conſtantiórque amicitia vnquam viguerit inter aliquos Principes, quàm inter te maioréſque tuos & Venetum Senatum: quos idem ſemper ſtudium, eadémque animorum con-

ſpiratio conciliauit. Quid dicam de inuictiſſimo Alfonſo Rege, vt alios omittam, patruo tuo excellentiſſimo? Qui opulentiſſimum hoc regnum in maxima illa tunc temporum difficultate glorioſiſſimè conſecutus, qua ſumma beneuolentia, neque ſolum beneuolentia, ſed & arctiſſimo quoque fœdere maiores noſtros noſtrámque Remp. ſibi conciliauerit, conciliatóſque reddiderit ſibi ſemper, beneuolentiſſimos, quoad vixit, ac veluti hæreditariam illam nobiſcum beneuolentiam poſteris reliquerit, pro communi Italiæ pace atque concordia, nemo eſt qui neſciat. Sed illud imprimis exploratiſſimum ſemper fuit, nullum ſanè aut Regem aut Principem vnquam dilexiſſe magis ciuitatem noſtram, quam Catholicam Maieſtatem tuam. cuius rei rariſſimæ profecto inter Principes (vera fateri liceat) ob humanarum rerum viciſſitudinem inconſtantiámque fortunæ, quid ſit, fueritque in cauſa, planè compertum eſt, inter nos præſertim, quorum par eadémque viuendi ratio à ſanctiſſimo pacis ſtudio profecta, nihil vnquam potuit optare, quod non paci, concordiæ amoríque videretur conducere. ídque peculiare ferè vtriſque, atque ab ipſa na-

turaináitũ honeſtiſſimum propoſitum, vt ad decus & amplitudinem Chriſtianæ religionis, neque tu maioréſque tui perpetua plenáque ſummo diſcrimine certamina,ac denique maxima quæque pericula ſtrenuè fortiſſiméque obire vnquã dubitaueritis: neque ipſa Veneta Reſp. noſtríque maiores aduerſus barbaras nationes bella pugnáſque vnquam detrectauerint:quinimmò nulla vnq̃ communis facta eſt aduerſus infideles Chriſtiana expeditio, cui Ciuitas noſtra ingentes nauales copias,maximáq; auxilia alacri animo non contulerit: cùm nullũ vnquã iuſtius duxerit bellãdi genus, quã aduerſus barbaras & perfidas nationes: atq; cùm primùm ea opibus pollere cœpit,domeſtica ferè Ciuitati noſtræ huiuſcemodi bella ſemper fuêre pro Chriſti fide:ita vt nulla penè ſint maria, nulla Gaditanum intra ſinũ ora,quæ barbaricis in prælijs Veneto ſanguine nõ ſit adſperſa.

Vndè igitur exordiar?dicámne celeberrimæ patriæ tuæ laudes? eas carptim etiã recenſere ſi vellemus,neq; id ingenio verbíſque aſſequi poſſemus, neque dies ipſe ſatis eſſet magnitudini rei.Id dixiſſe cõtenti erimus,nullam ſanè toto terrarũ orbe regionẽ eſſe,quã vberiori laudare ſer-

mone poſſimus: nullam prætereà vnquã legiſſe alacrioribus incolarum animis contendiſſe pro Sacroſanctæ Catholicæ fidei dignitate, geſſiſſéque diuturniora bella cum perfidiſſimis Christi hoſtibus, plura denique de illis gentibus trophæa erexiſſe, quàm Hiſpanias ipſas. Quid, quòd tot præclariſſimos imperatores ac Reges protulerunt, qui Romano Imperio & ipſi ferè terrarum orbi diutius glorioſiſſimè præfuêre, Traianum, Hadrianũ Antoninos, Theodoſios Honorium, Archadiũ, cõpluréſque alios Principes excellentiſſimos, omni laudum atque virtutum genere ita ornatos, vt exquiſitiſſima etiam Romanorum ingenia, quibus ea tempora feliciſſimè floruêre, in decantandis ſummis ſuis laudibus maiorem in modum defatigauerint? Omitto ex gentibus tuis Regibus Principibúſque excellentiſſimis, quos Hiſpaniæ quoq; ipſę peperêre, Pelagium illum Regem præſtantiſſimum, qui fortiſſimus veluti athleta Christi, Mauritanorum impetum egregiè, ſtrenuéque ſuſtinuit, ac fortiſſimè denique eos profligauit, qui iamiam Hiſpanias ipſas occupauerunt. Ramirium prætereo: qui eoſdem Mauritanos Hiſpanias ipſas lõgè latéque deuaſtãtes,

auſpiciis præſertim atque apertiſſimis monitis ipſius Diui Iacobi Apoſtoli, inferioribus longè viribus aggreſſus repreſſit, deuicit, debellauit, ac penitus ad internecionem proſtrauit, haud inferior Conſtantino ipſo glorioſiſſimo Imperatore, qui cum perfidiſſimis Chriſti hoſtibus, duxe Maxentio aduerſus fidelesmilitantibus, confidentiſſimè vt congrederetur, ſimiliter monitus: ſigno & ipſe inuictiſſimæ Crucis cum vniuerſo exercitu munitus, glorioſiſſimam illam victoriam ſumma Dei clementia conſecutus, fidei decus & amplitudinem toto terrarum orbe exaltauit. Præterea Ramirium alterum, qui & ipſe in manu Domini potenti valde atque terribili ſuper omnem terram, ad Tagum fluuium innumeros penè fidei hoſtesprofligauit, attriuítque. Quid dicam de Alfonſis Regibus clariſſimis & ipſis gentilibus tuis? ex quibus ille ſenior, Catholicus & ipſe rex iure optimo ab omnibus nũcupatus, Luſitaniam ipſam & eam omnem regionẽ quæ inde ad Pyreneos vſque ſaltus protenditur, ab infidelibus liberatam, Chriſtianorum ditioni glorioſiſſimè reſtituit. Quid dicam denique de Ferdinandis ipſis quoque maioribus tuis, Regibus

religioſiſſimis ? quorum ille antiquior
Cordubam,Hiſpalim,Carmonam,nobi-
iſſimas primariáſque totius Hiſpaniæ vr
bes,ac eam denique omnem oram,à per-
fidiſſimis fidei hoſtibus occupatam, glo-
rioſiſſimè ſubegit, Chriſtianóque nomi-
ni immortali ſua gloria vindicauit. qui
denique omnes, præter rariſſimas cuiuſ-
uis generis virtutes ſuas ac præclariſſima
facinora,quantum deChriſtiana religio-
ne promeruerint, norunt adhuc Afri-
cana littora, norunt barbaricæ Libyæ
nationes,quibuſcum perpetuo bella geſ-
ſere, fuſis, fugatis, pulſis ac deletis pe-
nitus infinitis penè barbarorum gẽtibus,
quæ diutius fuerant barbarico furore
in Hiſpaniis debacchatæ. Quo conſultò
prætereo, cùm præſertim te proculdubio
omnes illos non æquauiſſe modò, ſed &
lõgè quidẽ ſuperauiſſe intueamur admi-
rabili tua animi magnitudine,immortali
tua gloria, maximis denique ac propè
diuinis cùm corporis, tum animi virtu-
tibus tuis:quæ ſicuti rariſſimæ ſunt, in v-
num quempiam præſertim congeſtæ,
ita ſanè in te mira ſummi Dei clementia
collocatæ,te ſumme ornatum inter Re-
ges ac Principes, lucidiſſimum veluti ſi-
dus inter reliqua micantia ſidera, red-

dunt, atque ſummoperè illuſtrant, adeò vt præſtantiſſimæ hæ virtutes tuæ ita ferè inter ſe contendere videantur, vt neque bona ipſa corporis, animi virtutibus ſubeſſe, minus vero ipſe animus corpori patiatur non præeſſe. Speciem hanc in te verè regiam quis non miretur? oris leporem ac venuſtatem quis nō ſummoperè laudet? ſplendidiſſimos hos tuos oculos, præfulgentia veluti lumina, valetudinem proſperam, ſenſuum omnium vim & integritatem, cæteráque ipſius corporis bona, quæ ad decus & dignitatem præſtantiſſimi cuiuſuis Principis plurimum ſanè conducere videntur, quis non ſummis efferat laudibus? Quæ tametſi magna ſint, & ab omnib' peroptanda, maiora tamen me abducunt, quæ in te admiranda magis quàm laudanda ſeſe offerunt, quæ Regem te omni laudis atque virtutum genere ornatiſſimum reddunt. Non dicam de fortitudine, continentia, temperantia, comitate, cæteríſq; huiuſmodi virtutibus tuis, ex quibus id ſanè ſpecioſiſſimum conſpicitur, quòd iſta admirabilis manſuetudo tua atque facilitas, adcò grata omnibus populaŕíſque ſit, ſempérque fuerit, vt viciſſe ferè cæteras videatur, atq;, cùm clemen-

tiſſimus ſis,minimè tamē à ſeueritate ip
ſa, grauitatéq; recedis:affabilis præterea
cùm natura ipſa omnibus exiſtas, neque
tamen abes à tibi inſita Maieſtate. Iuſti-
tię amor in te immēſuserga omnes,haud
ſæuienstamen abſque animi moderatio-
ne:miſericordia denique,ſed minime ma
gis quàm expediat,parcens.Quibus rariſ
ſimis virtutibus quantum commodo vti-
litatíque populorum tibi ſubiectorum
ſemper contuleris, vel ex hoc etiam
coniecturari facile poteſt, quod per
quadraginta ferè annos ampliſſimis
his tuis regnis tāta iuſtitia præfuiſti,ad-
mirabilíque clementia, ea præterea in te
populorū obſeruantia,eóque amore, vt
vehementiſſimū ſupra quàm dici poſſit,
ſui deſiderium omnibus illis nationibus
populis reliqueris. Quid dicam de ipſa
religione in Deū Opt. Max. tibi ſanè ab
cunabulis(vt aiūt)atque ipſa natura in-
ſita? quæ profectò inter cæteras virtutes
tuas,ſplēdidiſſimū veluti ſolare ſidus in-
ter minora ſidera ita fulgeat, ſempérque
fuerit,vt adoleſcentiā vix ingreſſus, id
cùm primùm illud abs te Sacroſanctę
Catholicæ fidei præſtari licuit, eam o-
mnémque ætatem tuam barbaricis bellis
conſecraueris, ſempérq; cū fidei hoſtibus

bellum habueris indictum, vt ue paterna auitáque veſtigia imitaturus, vires, opes, authoritatem, vitā denique ipſam dedicaueris huic ſanctiſſimo propoſito, ſumma tua laude & gloria immortali. Atque vtinam ſatis dignè carptim etiam recenſere poſſimus, quam glorioſiſſimè ad hanc vſque ætatem vixeris: pacis artes quanto ſtudio excolueris: cùm vero ocium ad negocia reuocaueris, id eſt, in bellorum cauſas incideris? qua diligentia qua animi magnitudine conſtantiáque bella ipſa confeſſeris: victorias deinde vel terra, vel mari quàm ſtrenuè prudentérque partas reportaueris: quàm longè deniquelatéque regnorum tuorum fines propagaueris ad fidei decus & amplitudinem. Sed quis iure optimo non admirabitur, nuſquam ſanè potuiſſe te aut rerum multitudine opprimi, aut negociorum varietate confundi, aut agendorum magnitudineſuperari? magnum profecto illud eſt, ſapiētiſſime Rex, vrbanas res vnū quempiā adminiſtrare. nónne difficilius bellicas? quàm magnopere verò admirandū erit vtráſque? ſed quid vnquā admirabilius, ita vt pene miraculo haberi debeat, quàm ſi contingat, vnum eundémque præcellentiſſimū Principem tot

vrbes, tot regna, tot prouincias, tot exercitus, tot denique res támque varias mẽte concipere, ratione diſponere, diligentia obire, ſapientia gubernare? quod in te ipſo ſemper extitit perſpectiſſimum. Sed nihil eſt profectò tam arduum, glorioſiſſime Rex, quod magna tua ſapientia cum admirabili iſta animi magnitudine non poſsis efficere: qui priùs penè, quàm opus exigat, omnia excogitas: priuſquàm cogites, diſponis: priuſquàm diſponas, ferè efficis: ita tamen, vt neq; celeritatem ordo finíſque: neque ordinem aut finem, operis celeritas impediat: quæ omnia quàm fortiter, ſtrenuè, prudentérque pręſtiteris, teſtis eſt celeberrima illa victoria, tuæ gloriæ atque ſplendori potiſſimùm reſeruata, atque tibi relicta à maioribus tuis: ſplendidiſſimúſque triumphus ille, ac nobiliſsimum trophæum, quo glorioſiùs nullus vnquàm Principum pro Sacroſancta Catholica fide excitauit: quando tu immaniſſimos Chriſti hoſtes * Bæticam ipſam, quam Granatam appellant, incolentes aggreſſus repreſſiſti, repuliſti, deuiciſti, atque ad internecionem penitùs deleuiſti. Quod bellum tanta alacritate ſuſcepiſti, tanto animi ardore geſſiſti, tanta prudentia, ca

* *Bethycã*

animi magnitudine, felicitatéque confeciſti, vt tandem hoſtes fidei acerrimos attriueris, caſtris exueris, intra mœnia compuleris, caſtella expugnaueris, vrbẽ denique ipſam regiã ampliſſimam ambitu, opibus refertiſſimã, toto terrarũ orbe celeberrimã, ſummis viribus obſeſſam, tametſi egregiè ſtrenuéque defendebatur ad deditionem coegeris, diſſipatis his, qui fidei lumen ſuſcipere recuſarunt. ſicque glorioſiſſimè expuliſti ex Hiſpaniis id eſt, ex amœniſſimo illo Europæ angulo, perfidas illas barbaras nationes, quæ aſſiduis incurſionibus atque incõmodis finitimos infeſtantes, regionẽ illã per octingentos ferè annos incoluerant. Id egregium atque de fidei hoſtibus pro religione Chriſtiana ſpecioſiſſimũ trophæũ erigi: hoc holocauſtum Deo Opt. Max. acceptiſſimum, à te potiſſimum Rege glorioſiſſimo, de Orthodoxa fide Catholica optimè merito perſolui, offerríque debuerat: tibi immortalis iſta palma debebatur: de téque iure optimo illud Prophetæ perpetuò dici poterit, quod dederit te Deus in lucem gentium, vt eſſes illis ſalus vſque ad extremum terræ: quippe qui non contentus religioſiſſime Rex, tanto tamque glorioſo

facinore fidei decus & amplitudinem extuliſſe, non deſtitiſti, quoad in extremas quoque ipſius orbis partes, quin potiùs extra ipſum ferè orbem, idem fidei lumẽ extenderes. Diſperſas nánque ipſas inſulas, & omnibus hactenus incognitas, maioribus, quàm exprimi poſſit, difficultatibus exquiſiuiſti: perquiſitas, inueniſti: inuentas denique, eáſque incolentes, belluas veluti, ad Sacroſanctæ fidei cognitionem ac veri luminis claritatem deduxiſti: redemiſtíque tam innumeras perditorum animas, in acceptabile ſacrificium Chriſto Domino. Neque tamen ſatis fidei, ſatis immortali tuæ gloriæ, ſatis tuo deſiderio & propenſiſſimę voluntati, ad decus & dignitatem Chriſtianæ religionis pręſtitiſſe viſus tibi es: niſi nuper quoque in Africam ipſam nobiliſſimam orbis partem, ſumma indignitate Chriſtiani nominis iam diu ab immaniſſimis eius hoſtibus occupatam, potentiſſima claſſe, validiſſimáque manu traiiceres: fidei hoſtes propriis etiam laribus expelleres: portus ac litora longè latéque vaſtares: Mazachabir munitiſſimum oppidum, celeberrimúmque apud omnes barbaras nationes, ſtrenuè, egregiéque defenſum, deuinceres, tamẽ, expugnares,

& in poteſtatem redigeres, impoſito munitiſſimo pręſidio, id eſt, nobiliſſimo vexillo fidei in mediis ipſis Africanis oris: quo faciliùs adiacentia cætera, Africámque ipſam quandoque conſequereris, Chriſtianis Principibus exemplum præbiturus, quibus in bellis eos deceat vires ſuas experiri, in quem hoſtem gladios diſtringere, pro quo gloriæ nomine opes, vires, authoritatem, vitam denique ipſam exponere. Senſiſſent profectò nõ ſolùm Africâna littora, verùm etiam ipſas incolentes arenas Libycæ nationes, quàm facilè, quámve celeri curſu, pro tibi ingenita religione, admirabilíque iſta tua animi magnitudine ad ipſas quoque, quinimò & ad Auroram ferè ipſam, & Gangem vſque fuiſſes Crucis vexillum prolaturus: niſi zelus quoque Chriſtianæ fidei & pacis ſtudium, indè te ad opulentiora hæc regna diuertiſſent. Quòd ſi inter Catholicam Maieſtatem tuam, & Venetam Rempublicam, clariſsime Rex, ea vis amoris ſummáque beneuolentia perpetuò viguit ità, vt nil ſanè potuerit quãdoque contigiſſe ſeu Ćelſitudini tuæ, ſiue Venetæ ciuitati, quod non communi ſemper ferendum fortuna iudicauerimus, quanuis ipſe tantùm à nobis abe-

ras in ea ampliſſima ditione tua,id eſt, in extremis etiam Hiſpaniis ipſis: quanto coniunctioribus nunc animis, propenſioribúſque animorum affectib⁹ (ſi quid tamen mutuò inter nos ac vetuſtiſsimo amori addi poteſt) ſumus conſtantiſsimè perſeueraturi cum Celſitudine tua,in hoc ampliſsimo regno iure optimo collocata? quandoquidem pari eodémque auſpicio atque communibus viribus, pro communi quoque noſtrorum ſalute & commodo, vtpotè qui expoſiti magis periculo, propinquiores etiam Imperiis conſtituti, ſumus perfidiſsimorum communium hoſtium iniurias propulſaturi: tu,qui Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, pro religione Chriſtiana ſtrenuè ſemper fortiſsiméque contenderis,indéque Catholici Regis nomen tibi iure optimo glorioſiſſiméque vendicaueris: nũc Hieruſalem quoque Rex declaratus, quaſi tibi præ cæteris huiuſcemodi palma debeatur, iſti tuo tam ſanctiſſimo propoſito tibi ab ipſa natura inſito minimè ſis defuturus. neque nos etiam ſimus in poſterum deſituri ab eodem religioſiſsimo animorum noſtrorum inſtituto, qui cũ perfidis nationib⁹ ſemper certauerimus, atque imprimis cum potentiſſimo illo

acerrimóque Christi hoſte, diſſidentibus quandoque inter ſe principibus Christianis, minúſque conſiderantibus, quanto magis eos decuiſſet, omnéſque Christi fideles, cõmunibus armis & coniunctioribus inter ſe animis occurriſſe communi hoſti, qui tot oppida, tot vrbes, tot populos, tot prouincias, tot regna, tot imperia, maximam denique atque præcipuam ipſius orbis terrarum partem ab ouili Dominico emancipauerit, ſubegerit, proſtrauerit, ac denique in miſerrimam captiuitatem abegerit innumeros populos Christianos, qui ex truculentiſſimis cædibus ſuperfuerant, in contemptum & dedecus Christi fidei. Quam miſerrimam gregis Dominici conditionem triſtiſsimámq; memoriam, quia animus horret meminiſſe, ſilentio præterire conſilij eſt. Reliquum eſt, vt Reipublicę noſtræ nomine plurimùm condoleamus, Philippum Regem præſtantiſſimum generum filiúmque chariſſimum Celſitudinis tuæ, immatura morte pręreptum obiiſſe: cuius eximiæ excellentéſq; virtutes, illa magnitudo animi, munificentia, clementia, pietas, religio, cæteráq; id genus, ea de ſe polliceri humano generi videbãtur, ad fidei quandoque decus & dignita-

Is fuit Ma*ximiliani Cæſ. filius, Caroli V. pater.*

tem, quæ de quouis religioſiſſimo Rege aut Principe expectari exoptaríque contingat. Sed cùm mors ipſa, id eſt, naturæ lex, nec virtutis ſpecie, nec gloriæ ſplendore, nec potentiæ magnitudine aut flecti aut terreri poſſit: tua illa admirabili fortitudine animi, quam ſępiſſimè in aduerſis immortali tua gloria conſtantiſſimè præſtitiſti, ſapientiſsime Rex, æquiori hanc iacturam vt feras animo, hortamur plurimùm atque precamur, quò nõ ereptus tibi, ſed in ſpectatiſſimæ indolis filiis reſtitutus idem rex reſeruatúſque videatur: quos Deus Opt. Max. ſicuti ad iucundiſsimum ſolatium Amplitudinis tuæ, clementiſſimè pientiſsiméque protuliſſe conſtat: ità, vt eos protegat, tueatur ſub vmbra alarum ſuarum, ſeruétque incolumes benigniſſima ſua miſericordia & clementia, cupimus maiorem in modum ac peroptamus.

Qui poſtremò, vt, quod in mandatis habemus, tandem exequamur, glorioſiſſime Rex, Veneti Senatus ac Reipublicæ noſtræ nomine offerimus ad decus & amplitudinem Catholicæ Maieſtatis tuæ, quicquid aut terra, aut mari, aut copiis, aut opibus, ſiue authoritate, ſiue viribus poteſt Veneta Reſpublica.

His omnibus, propriis veluti commodis, vtere pro arbitrio, clemẽtiſsime Rex, hoc à te petit atque magnopere exoptat Leonardus Lauredanus, inclytus Princeps noſter, atque Senatus. Inueniet profectò, periculum ſi faciet, ampliſsima Maieſtas tua vniuerſam Ciuitatem noſtram ita propenſiſsimi in te ſemper animi, vt nunquàm ſanè ſit defutura commodo, dignitati, & amplitudini Celſitudinis tuæ: quam Deus opt. max. vt diutiſsimè protegat & tueatur, ad ſplendorem præſertim & gloriam Orthodoxæ fidei, ſummoperè cupimus atque precamur: vt & tu opulentiſsimo hoc, cæteríſque tuis ampliſſimis regnis feliciſſimè frui valeas: & nos tecum tua iſta felicitate & gloria, quoad vixeris, iucundiſsimè, communíſque voto gaudere poſsimus. quod & Catholicæ tuæ Maieſtati, & Venetæ Reip. noſtræ felix, fauſtum, fortunatúmque ſit.

AD MARCVM ANTONium Triuiſanum, Venetiarũ Principem, Cynthij Ioannis Baptiſtæ Giraldi, Ferrarienſium Ducis nomine.

SI QVANTVS eſt, Sereniſsime Princeps, dignitatis tuæ ſplendor, & quã-

ta eſt, clariſsimi Patres, auguſti huius ordinis Maieſtas, tanta mihi quoque ineſſet dicendi vbertas & copia: ſperarem eã, quam excellentiſsimus Princeps noſter mihi impoſuit, prouinciam, lætitię ſcilicet teſtificandæ, quam ipſe animo concepit, pro ſublimi hoc gradu, ad quem, Sereniſsime Princeps, ſapientiſsimus hic Senatus te euexit, magnificè ac luculenter abſoluere. Verùm cùm videam ea omnia, quæ ad dicendum attinent, in me eſſe admodùm exilia, vires, ingenium, facundiam: hîc verò nihil eſſe, niſi excelſum, ſublime & eximium, ſeu in te, Princeps, oculos conuertam, ſiue clariſsimos hos Patres, qui tibi aſsiſtunt, intuear: hęret ferè faucibus vox, vixq; verbum verbo nectere audeo, nedùm rem tantam, pro dignitate ac pro magnanimi Principis noſtri voto, oratione conſequi. Nec vlla planè mihi ad hoc munus obeundũ daretur facultas, niſi tua huic dignitati, Sereniſsime Princeps, coniuncta benignitas, & horum Patrum amplitudini addita humanitas, tantum mihi virium adderet, quantum ademit tantæ maieſtatis imago. Poſtquàm igitur benigniſsimus ac iucundiſsimus hic veſper adſpectus me torpentem excitat, ac fractum

propemodùm reficit ac recreat: veſtra cũ
venia ad delatum mihi mun⁹ aggrediar.
Illud omnibus exploratum eſſe arbitror,
inter eos omnes, qui rem Italam ſaluam
atque incolumem cupiunt, neminem eſ-
ſe, qui ſummo ſtudio id magis affectet
excellentiſsimo Principe noſtro, qui & ſi
eo eſt excelſo inuictóque animo, vt eius
mens ſit ſemper in rebus arduis, & nun-
quàm ſit in ocio ſine negocio: tamen,
cùm ipſum non lateat, pacem, rem planè
diuinam ac omnium maximè ſalutarem
eſſe, virtutéſque omnes ac omnia mor-
talium bona, illius ope ac munere flore-
re: ipſáque ſublata, peſſum ire: id opti-
mi potiſsimùm Principis munus exiſti-
mat, optare, daréque operam, vt, qui in-
ter Chriſtianos Principes rerum ſumma
potiuntur, odiis extinctis, ſic in fœdus
coëant, vt inter eos pax perennis exiſtat.
& mediusfidiùs, ſi Principis noſtri ſtudiis
ac conatibus res & fortuna reſponde-
rent, non modò Italia vniuerſa, ſed to-
tus Chriſtianus orbis pace & tranquilli-
tate honeſto in ocio frueretur: neque in-
ter potentiſsimos Reges tanto cum Ita-
liæ diſcrimine ac iactura, de rerũ ſumma
dimicaretur: quin ipſi, ſimultatibus depo-
ſitis, in atrociſsimos ac teterrimos Chri-

ſtiani nominis hoſtes arma conuerterēt. Cùm verò ipſe huius voti hactenus compos eſſe non potuerit, licet diu multúmque hoc ſaxum voluerit, diem noctémq; hanc incudem tundere non deſierit, neſciúſque non ſit in huius optimę ac benè inſtitutę Reipublicæ ſinu ac potentia, vniuerſam Italiam, veluti in tutiſsimo portu ac perfugio recumbere, quòd ipſa ob horum patrum prudentiam, integritatem, iuſtitiam, &* maximarum omniū rerum, & prę ſertim Reip. gubernandæ, reíque militaris ſcientiam, contra exterarum gentium impetum, totius Italiæ firmiſsimum ſit vallum, & communis ſalutis arx munitiſsima: nō ſumma ipſum lętitia afficere non poſſunt, quæcunque huic nobiliſsimę ac pręſtantiſsimæ ciuitati fauſta, felicia & fortunata eueniunt. Verùm cùm inter tot ac tanta ampliſsima dona, florentiſsimę vrbi Venetę hac longa ſeculorum ſerie diuinitùs conceſſa, nihil ipſi vel felicius, vel auſpicatius vnquàm à diis immortalibus datum ſit bono Principe, quòd ipſe iuſtitiam ſeruet, ciuium commodo conſulat atque vtilitati, & vniuerſum ciuitatis corpus tueatur: nō poteſt nūc non ſummoperè lętari Princeps noſter, ꝙ tu optimus ab

* *maximū*

optimo Senatu, maximo omnium conſenſu, huic Reipublicę præfectus fueris: & eo maiori etiam perfunditur gaudio, quòd, cùm ea ſit toti⁹ huius ordinis amplitudo & prudentia, ea probitas & vigilantia, ea rerum adminiſtrandarum ratio & fortunę euentorum experientia, vt nemo inter hos Patres exiſtat, qui ad hoc dignitatis faſtigium iure ac meritò promoueri non poſsit, Princeps noſter te deorum potiùs diſpenſatione, quàm humanis conſiliis omnibus pręlatum arbitratur, his pręſertim miſeris temporibus, quibus omnia concuſſa armis & bello labefactata ſunt: quibus Italia eò calamitatis redacta eſt, vt ob accepta vulnera, grauia illa quidem ac multa, non valdè ab interitu abſit. Te enim cenſet, Sereniſsime Princeps, non modò Reip. tuę, ſed labenti Italiæ ſignum quoddam erectum, non ſolùm optimæ ſpei, ſed certiſſimæ ſalutis. & mehercle non iniuria. Quis enim, Princeps optime, iuſtus rerũ æſtimator, abs te omnia bona nõ ſperet? de te ſibi omnia ſumma non polliceatur, ſiue genus, vndè originem ducis, ſiue maiores tuos, ſiue parentem, aut teipſum ſibi proponat? Primùm Triuiſanorum familia inter omnes alias, quæ in hac ci-

uitate

nitate floruerunt,celebris ſemper ac nobiliſſima habita eſt. ex hac enim plures omni virtutum genere illuſtres exierũt, quàm ex equo Troiano præſtantiſſimi Duces. & licet omnes maiores tui inter tantorum virorum ſplendorem tũm bello,tum pace tantopere claruerint,vt magno in anguſtis rebus,ſemper animo fuerint,in ſecũdis verò modeſto ac temperato, nihílq; vnquàm prætermiſerint, quod ad decus, nihil quod ad gloriam pertineret: eorúmque hac de cauſa omnium quidem ſeculorum poſteritas immemór non ſit futura: tamen inter eos Dominicus pater tuus, ſanctum omnibus gentibus & ſeculis nomen,cuius hac in vrbe ſemperviuet authoritas,non modò doctrina & eloquentia, quæ ſemper primas tenuit in libera ciuitate:ſed in regenda tractandáque Republica illuſtris, omnes obiit magiſtratus,quos vel domi, vel foris hic Senatus,optimus hominum æſtimator,principibus Reip. viris decernere conſueuit:eóſque omnes tanta cum laude geſſit,vt illi ſapiẽtiſſimi ac prudentiſſimi viri nomen & hæc ipſa ciuitas, & maximorum regum conſenſus attribuerit. Bellicis verò in rebus omnibus, & præſertim maritima in ratione atq; mu-

nere, adeò excelluit, adeò omnibus præſtitit, vt totius Venetæ claſſis Dux ac præfectus declaratus fuerit calamitoſis periculoſiſſimíſque illis temporibus, quibus immaniſſimus Turcarũ Imperator Rhodum obſidebat, eáque illius fuit hac in re prudentia, alacritas, induſtria, atque contẽtio, vt cum omnibus omnium ætatum eximiis imperatoribus conferri potuerit. Nihil enim in ipſo deſideratum eſt, quod in optimo eſſe debeat Imperatore: ſiue ſcientiam rei militaris, ſiue virtutem, ſiue authoritatem, ſiue felicitatem ſpectare voluerimus. Tu verò ex hoc genere ortus, ex his maioribus, ex hoc parente, qui ſic omnium inuidiam ſuperauit, vt orbis ipſe terrarũ de illo ſemper locuturus ſit: etſi pulchrum duxiſti, tot tibi, tantorúmque virorum virtutes, veluti faces accenſas, præluxiſſe: tamen non alienis veſtigiis nixus, ſed tuopte ingenio, te ab incunabulis vſque talem præſtitiſti, tale magni ac generoſi animi ſpecimen dediſti, vt omnes te tanto genere, & tanto ac tam celebri parente filium dignum iudicauerint, viderintque aliquando eam eſſe naturæ ſolertiam, vt cùm ſumma atque excelſa, variis ac diuerſis temporibus vna in familia ſparſe-

rit, ea ſtudeat nō modò in poſteros propagare, ſed vni tātùm, quæ omnibus anteà præſtiterat, concedere. Hinc tuam fidem, modeſtiam, conſilium, probitatem, religionem, animi præſtantiam & fortitudinem hic Senatus admiratus tibi Cyprum ac Cretam, opulentiſſimas illas quidem ac nobiliſſimas inſulas, regendas ac moderandas dedit. Qua in re ea tua fuit ratio & prudentia magiſtratus illius gerendi, vt (cùm multo plura, quàm omnes de te ſibi polliciti eſſent, præſtiteris) ab eo vſque tempore tacito ciuium tuorum conſenſu decretum fuerit, nihil in hac Republica tam illuſtre, tam magnificum, támque excellens eſſe, quo tu quidem non poſſes te dignum præſtare. Quare ab eo magiſtratu cum ſapiētiſſimis publici huius conſilij principibus adnumeratus es, in Decemuirûm collegium cooptatus, in ædis Marciæ procuratorum albo ſæpiùs adſcriptus. Et cùm omnibus his in muneribus obeundis te eo vitæ inſtituto, atque ea ſemper animi moderatione vſum fuiſſe prudentiſſimi Patres animaduerterint, vt nulla vitæ tuæ pars laude caruerit, nunquàm te munera belli ab officiis pacis auerterint, non te à manſuetudine alienauerit

ſeueritas, non à comitate grauitas, non dignitas ab humanitate, non à clementia iuſtitia, & nihil vnquàm probaueris, quod non fuerit cum pietate ac religione coniunctũ: nihil dixeris, feceris, cogitaueris, quod cùm maiorum tuorum ſplendori non reſponderet, tum huic ciuitati, ac toti Reipublicæ maximo vſui atque ornamento non eſſet futurum: viderintque tandem, te adeò inuicto infractóque animo aduerſus varias fortunæ vices ſemper fuiſſe, vt eundem illa ſemper te viderit, ſiue proſpera flauerit, ſiue aduerſa reflauerit: miram de te opinionem apud vniuerſum hunc ordinem, tuâ hac omnibus cognita & probata vitæ ratione concitâſti. & cùm hac tempeſtate Reipublicæ & Senatui Princeps deligendus eſſet, (quod Princeps Donatus, qui tanti imperij clauum ſumma cum prudentia ac felicitate diu moderatus erat, & Reipublicæ gubernacula ſanctiſſimè tractauerat, ex hac corporis cuſtodia ad ſuperos euolâſſet) Patréſque iſti nefas ducerent, nobiliſſimo huic cœtui quenquam præeſſe, qui eſſet vllo laudis genere iis inferior, quibus præeſſet, te tot luminibus clarum, tot animi dotibus illuſtrem, tot dignitatibus auctum at-

que honeſtatum, tanta rerum geſtarum magnitudine conſpicuum, dignum iudicarunt, quem Principem crearent, & ſibi & toti Reipublicæ adminiſtrandæ præponerent. Quo ſanè arbitror Dominicum patrem tuum, qui nunc inter cælites beatus æuo fruitur ſempiterno, (ſi quis eorum, quæ inter nos geruntur, ipſi ſenſus ineſt) mirum in modum lætari, quòd tibi, quaſi hæreditario iure, ea dignitas collata ſit, quam ipſe, ſi ſuperuixiſſet, proculdubiò conſecutus eſſet. Videt enim vir felix ab alto cæli loco, te veriſſimum ſui exemplar atque ſimulacrum, non tantùm paternæ, ſed propriæ etiam virtutis radiis illuſtrem, in tanta illuſtrium virorum luce non ſecus ac Solem niteſcere: quo ſanè in ſplendore & virtutem ſuam, & ſeipſum reuiuiſcere cernit, præuidétque ipſe, etſi eò iam progreſſus es, vbi meritò & propter ingraueſcentem ætatem, & propter rerum geſtarum magnitudinem poſſes quieſcere: tamen dignitatem hanc & ſtimulos & calcaria tibi admoturam, quibus hoc in laudis ſtadio adeò inciteris, vt non alios modò, ſed te ipſum etiam ſuperes atque antecedas: & ex Senatore Princeps effectus, iis, quæ nullo pacto fieri poſſe illu-

ſtriora putabantur, eo maiorem addas ſplēdorem, quo ſenatorio munere Principis munus eſt longè amplius & magnificentius. Sed vt à cæleſtibus ad humana reuertamur, cùm ea omnia, quę commemorauimus, non tātùm ciuibus ac optimatibus tuis, ſed cæteris etiam gentibus ac nationibus, & cognita & perſpecta ſint, hic tuus per omnes honoris gradus ad hunc locum aſcenſus, omnibus omnium ordinum & nationum hominibus magnam attulit lætitiæ cauſam: diem enim illum optatiſſimum, te Principe, illuxiſſe ſibi perſuaſerūt, quo de rebus humanis optimè ſit ſperandum.

Cæterùm excellentiſſimus Princeps noſter maiori gaudio, maiori, quàm omnes, voluptate perfuſus eſt. Ipſe enim pro ſua in ampliſſimum hunc ordinem obſeruantia, atque in hanc Rempublicam propenſa voluntate ac ſtudio, quæcunque huic clariſſimæ vrbi & potentiſſimæ Reip. proſpera ac ſecunda eueniunt, ſibi populiſque ſuis communia ducit. Gratulatur igitur tibi, Sereniſſime Princeps, ſublimem hanc tuam dignitatem, ſupremúmque hunc locū tuæ iampridem debitum virtuti, verùm ad hæc vſque tempora dilatū: quod tu in hoc maximi hu-

ius Imperij ſolio, veluti in totius Italiæ ſtatione poſitus, Italiç ſaluti atque incolumitati inuigiles, ídque difficilimis ac turbulentiſſimis his temporibus, quibus bellis ac ſeditionibus ardere orbem terrarum, ac propè flagrare videmus. Ipſum enim omnium rerum effectorem Deum, fœderúmque omnium ac pacis authorē, quem ſemper ſanctè ac piè coluiſti, ſtudiorum tuorum ac conſiliorum moderatorem, operúmq; adiutorem aſſiduum futurū ſperat. Gratulatur vobis, Ampliſſimi patres, quòd ex hoc celeberrimo conuentu cum vobis Principem delegeritis, qui tantundē addat ſplēdoris ſublimi huic dignitati, ad quam veſtris ſuffragiis euectus eſt, quantum ipſe ab illa accipit decoris & ornamenti. Princeps enim veſter, non tantùm amplitudine iſta (quamuis maxima) magnus exiſtit, ſed iuſtitia, pietate, religione, animi integritate, & aliis magnificis ſuis virtutibus, quibus Priſcorum virorum gloriam penè ſuperauit. Ipſi etiā ſibi gaudet excellētiſſimus Princeps noſter: tum, quod ea omnia commoda, quæ à Principe hoc huic Reipub. euentura iam diximus, ſibi non ſecus communia opinatur, ac ſi ipſe inter hos Patres natus eſſet, & in hunc

ordinem receptus, bonis veſtris vnà vobiſcum aſſiduè potiretur: tum, quòd omnes huius Reip. Principes ingenti ſemper amore ac pietate proſecutus eſt. Quibus vt ſemper perinde ac filius obſequēs fuit, ita etiam illos tanquàm patres ſui amantiſſimos habuit, & tibi, Sereniſſime Princeps, eo magis charum ſe futurum putat, quo te magis & propenſiore animo colet ac obſeruabit, ſperátque itidem te illum paterna charitate complexurū. Quod verò ad ipſum ſpectat, quæcunque, Sereniſſime Princeps, ad tuam dignitatem, quæcunque ad veſtram amplitudinem, Patres optimi, attinere videbuntur: quæ ab ipſo cura, ſolertia, ſtudio, diligentia, ſedulitate, ac vigilantia præſtari poſſint, volens ac lubens omni animi alacritate vobis pollicetur ac defert. Illud enim vobis omnibus teſtatum eſſe vult, nihil ſibi charius eſſe rebus illis, quę ad commodum atq; amplitudinem veſtram pertinere videbuntur, nihil antiquius quàm de te, Sereniſſime Princeps, & de vobis omnibus bene mereri. Nos verò & Principis noſtri, & noſtro etiam nomine Deum optimū Maximum ſupplices oramus ac obſecramus, vt te, Sereniſſime Princeps, & vnà tecum hunc

amplißimum ordinem foueat ac fortunet, & perpetua felicitate atque incolumitate tueatur: Téque huic ciuitati, ciuitatémque hanc tibi, quàm diutißimè conſeruet.

AD FRANCISCVM VEnetium Venetiarum Principem, Cynthij Ioannis Baptiſtæ Girardi, Ferrarienſium Ducis nomine.

QVod mihi munus nunc etiam excellẽtißimus Princeps noſter impoſuit, quo tuam hãc dignitatem, quam optimi hi Patres in te contulerunt, tibi ſuo nomine gratularer, Sereniſſime Princeps, tanto operoſius ac difficilius futurum eſſe cognoſco: quanto id, quod mihi adiumento eſſe deberet, rem magis arduam efficit atque grauiorem. Nam cùm aliis in rebus vſu atque experientia euenire compertum ſit, vt ea, quæ nobis primo adſpectu ſeſe offerunt admirabilia, ſi ſemel paulò diligentiùs conſpecta fuerint; nos nulla ampliùs afficiant admiratione: ita etiam mihi nunc contingere deberet, qui ſemel præterito anno hanc Principis dignitatem, húncque amplißimum horum Patrum ordinem con-

ſpexi. Nam ſi hæc tunc mihi tantum intulerunt admirationis, vt ad dicendum tardiorem effecerint:nũc orationis meæ curſum non modò retardare non deberent, ſed multo etiã reddere faciliorem. Verùm hercle ſecus ac cogitârã, res ſeſe habet. Nam hæc eadem omnia tantò auguſtiora atque ampliora nunc ſeſe offerunt, vt non modò, quod hæc eadẽ ſemel viderim, ſiam ad dicendum promptior ac paratior, ſed ipſa oratio mea hãc amplitudinẽ magis, quàm anteà obſtupeſcat: & hac maieſtatẽ vſque adeò torpeat, vt neſciat propemodum vnde incipiat, aut vbi deſinat. Id enim mihi hac in re contigit, quod iis euenire ſolet, qui oculorum aciem innitentes Solis radios intendunt: nam quo magis illos intuentur, eo ipſa videndi vis ac ſenſus fit nimio lumine ac claritate maximi ſideris, languidior atque hebetior. Verùm licet ipſa rei difficultas me à dicendo deterreat, tamen cùm mihi facilè perſuadeam, Sereniſſime Princeps, ampliſſimi Patres, vos (quæ veſtra eſt humanitas) non minùs æquo animo nunc me audituros, quàm præterito anno audiueritis, & quæcunque à me dicentur, boni conſulturos: ad eam lætitiæ, voluntatis ac obſeruãtiæ

erga te, Princeps & nobiliſſimum hunc conſeſſum, ſignificationem, quam excellentiſſimus Princeps noſter hac oratione declarandam mihi impoſuit, veſtra cum venia me conuertam: quam etſi tuæ amplitudini, Principíſque mei voto parem minimè futuram cognoſco, tamen quãtùm mea ferret imbecillitas, demonſtrare conabor. Adeſte igitur bonis animis.

Cùm Princeps noſter vniuerſo huic ordini veſtro, atque huius Reip. Principibus filij pietatem ſemper pręſtiterit, viderítque vos etiam viciſſim illum paterno amore complexos fuiſſe, audito Marci Antonij Triuiſani olim Principis optimi atque ſanctiſſimi obitu, optauit eum Principem ex veſtro hoc clariſſimo cœtu à vobis eligi, qui Remp. hanc conſilio iuuaret, authoritate muniret, prudentia foueret, dignitate augeret. cùm enim ipſe in huius Senatus benignitate, ac potentiſſimæ huius Reipub. ſinu, veluti filius, conquieſcat, ſitque huius ordinis incolumitatis & gloriæ cupidiſſimus, quantum ad Venetum imperium accedit commodi atque incrementi, tantundem propè ſuæ ditioni additum arbitratur. hácque de cauſa vbi te Sereniſſime

Princeps ab his Patribus electum fuiſſe intellexit, ſanctitate, religione, conſilio, prudentia, iiſque omnibus virtutibus, quibus optimum Principem præditum eſſe oportet, illuſtrem, quíque parem imperio animum habeas: non potuit, non ſummopere lætari, ſapientiſſimúmque hunc Senatum mirum in modum non probare: qui cùm nihil vnquã, niſi ſummo conſilio vel agat, vel decernat, nunc eum ſibi Principem elegerit, qui genere, parentibus, ſuapte natura is eſſet, cui tantum muneris committi meritò deberet, quíque ab ineunte ætate in vniuerſo vitæ curſu tanti imperij faſtigio ſe dignum præſtitiſſet. Nam quantùm ad genus attinet, tu Sereniſſime Princeps ex præclariſſima Venetiorum familia ortus es: quæ ſanè felici quopiam fato huic Reipub. data eſt, vt ipſa inde ſeminarium quoddam haberet doctiſſimorum ac fortiſſimorum hominũ, qui belli paciſq; gloria inſignes exiſterent: quorum ſanè longo ſeculorum ordine is fuit numerus, vt ſi eos nunc mihi recenſendos propoſuerim, nihil aliud hodie vel agam, vel cogitem neceſſe ſit. Ex progenie igitur hac præſtantiſſima Ioannes pater tuus, omni inuidia maior, originẽ

duxit, à cuius rebus geſtis commemorãdis me abſtineo: tum quia earum memoriam in omnium horum patrum animis vigere exiſtimo, & ob oculos verſari: tũ quia ad te, Sereniſſime Princeps, noſtra feſtinat oratio. cùm verò nobiliſſimus vir proli propagandæ, pro huius Reipub. ſplendore, ac dignitate operam dare maximè cuperet, præſtantiſſimæque huic ciuitati ex ſe filium relinquere, qui maiorum ſuorum veſtigiis innixus, eam tereret ſemitam, quà eò virtutis perueniret, quò eum peruenire dignum eſſet, qui hac in patria ab iis parentibus prognatus eſſet: id pro voto contingere poſſe arbitratus eſt, ſi eius generis vxorem acciperet, ex qua illum, quem animo conceperat filium, poſſet ſuſcipere. Magni enim refert ad filios procreandos, quàm ſibi quíſque vxorem ſumat, quibúſque parẽtibus illa nata ſit, ex qua ipſe affectet eſſe pater. At cùm homo omnium prudentiſſimus non ignoraret, in hac Veneriorũ familia fuiſſe olim Antonium optimum atque clariſſimum virum, qui Venetæ Reipub. Dux præfuit: quíque ipſam ea prudentia, ea animi magnitudine moderatus eſt, vt de ipſo non vrbs hęc tantùm, ſed ipſe etiamnũ terrarum orbis loqua-

tur: tacita quadam rerum conſequutione, ac certo mentis præſagio prænouit, ſi eam fœminam vxorem duceret, quæ ab vrbis Venetæ Principe prognata eſſet, & quæ morib⁹ egregiis, & ingenio illuſtri prędita exiſteret, euẽturum vt ex ea filiũ ſuſciperet, qui aliquãdo illi vrbi Princeps præponeretur, cui & Antonius olim, & tunc eius ſocer prępoſitus fuiſſet. Quare, cùm illis temporibus Leonardus Lauredanus hac in ciuitate Principem ageret, Leonardus inquam ille Lauredanus, qui & in bello, & in pace, & domi, & foris talem ſeſe præſtitit, vt vel nulli, vel pauci ſuis temporibus inuenti ſint, qui cum illo conferri poſſent: filiámque ipſe haberet iis dotibus ornatam, quæ vix in egregiis viris inueniri conſueuerunt, eam ſibi matrimonio iungi curauit. Qua in re illi multùm haud fuit laborandum. Nam prudentiſſimus pater, cui nobiliſſimi viri virtus cognita erat, vtpotè qui multa in illo cognouerat, quæ in aliis vix optari poſſunt: eo lubentius illi filiam vxorem dedit, quo videbat virum virtute illuſtrem, ex illuſtri fœmina illuſtres etiam filios, hacque ciuitate dignos, geniturũ: quíq; nec à paterno, nec à materno ſanguine degenerarent. Ducta ergò vxore

virgine illa lectiſſ. honoríſque ac pudoris amantiſſima, ex ea ſibi tori & vitæ ſocia, te talem filium ſuſcepit, qualem ab illis parentibus ſuſcipi digniſſimum fuit. Diuino enim ac arcano quodam cõſilio factum eſt, vt eximius pater, matérque clariſſima cum filium genuerit, cuius ſi à Diis immortalib⁹ ipſis data fuiſſet optio, nec meliorem, nec magis ſe dignum gignere potuiſſent: túque ab illis parentibus ortum duxeris, quibus nec maiores, nec magis te dignos, hæc Reſpub. dare potuiſſet. Te igitur filio digniſſimus pater, cùm vel ex ipſo infantis vagitu, ardorem quendam animi præuideret, maximéque aueret hac in præſtantiſſ. ciuitate ſucceſſorem ſibi filiũ relinquere, in quo vno, quæ in omnibus Veneriis tam longis annorum ſpatiis probata fuerant, & eximia reperirentur, & cumulatiſſima: ſummo ſtudio operam dedit, vt parem ortui educationem haberes, infanſque iis artibus inſtruerere, quibus ad omne virtutis decus, quantùm per ætatem licebat, fingereris, atque adeò formarere, vt ad laudem excellentis viri eſſes educatus, eáque tibi ex iis iactis fundamentis pararetur adoleſcentia, quæ ſpem atque expectationem maximæ virtutis

omnibus præberet. At verò cum ipſi omnia pro ſententia eueniſſent, eámque indolem præ te ferres, taléque ac tam eximium dignitatis ſpecimen dares, vt omnes omnia bona de te ſibi pollicerentur: ſcirétque vir optimus, & ad regendas Reſp. altus, ad rerum gerendarum rationem plurimùm conferre, ne iuuenes in ocio torperent, & in deſidia vitam ducerent: ſed primos annos, iuxta Lycurgi ſententiā, in omni opere & labore agerent: nec priùs in vrbem reuerterentur, quàm viri facti eſſent: voluit te, iam adultum, diuerſas regiones adire, multa diuerſarum gentium instituta, multóſque populorum atque hominum mores cognoſcere, varias regendarum vrbium ac prouinciarum, rerúmque publicarum ritus intueri. Hinc te ex vrbe ad diuerſas orbis regiones peregrè miſit, vt poſteà cautior, prudentior, rerum cognitione maior, in vrbem redires. Quam rem (cùm tu diligētiſſimè cogitares, quid maioribus tuis reddere deberes, & quàm te deceret augere patrimonium gloriæ, tibi ab illis relictum) tu adeò ſtrenuè, tantáque cum integritate peregiſti, vt egregia virtutum ſemina à natura atq; à nobili educatiōe, domeſticáq; diſciplina tibi inſita, labore,

induſtria, diligentia ſic abs te culta fuerint, vt quanuis illa vberes fructus reddiderint, multò tamen ab iiſdem ampliores expectari cœperint. Quare cùm te in patriam recepiſti, omnes in te oculos cõuerterunt. In te enim non modò priſci illius Antonij Venerij, & Leonardi Lauredani, huius eiuſdem Reipub. (quod iam dictum eſt) olim clariſſimorum Principum, imaginem impreſſam intueri videbantur: ſed ſibi in animum inducebant, te non modò Venerios omnes, & Leonardum auum maternum æquaturum, ſed longo etiam interuallo ſuperaturum, ſi fortè fortuna contingeret, vt ad eum Reipub. clauum regendum ac moderandum vocareris, quem illi magna cũ prudentia ac felicitate rexerunt, & moderati fuerunt. Quid enim aliud ab illa tua adoleſcentia religioſè, innocenter, ſanctéq; ac ſapienter exacta, expectari poterat? Nam (vt de te nunc tantùm dicam, Sereniſſime Princeps) id tibi natura inſitum atque innatum fuit, præclara ſemper ac magnifica animo concipere, ardua ac excelſa moliri, & in maximis rebus primis ab annis ad hæc vſque tempora verſari, omniáq; ſic ad laudẽ, ac ad dignitatem referre, vt ſummæ virtutis admira-

tionem obtineres,& ab vniuerſo hoc ordinē is haberi poſſes, cui tanti Imperij ſumma crederetur, & ſummo omnium conſenſu illis imperares, quorū quilibet quocūque Imperio digniſſimus eſt: hæcque ipſa Patria ſitu pulcherrima, atq; admirabilis, fortiſſimorum ac ſapientiſſimorum hominum feraciſſima, quę te genuit, quæ te aluit, te ſibi Principem videret ac moderatorem: gauderétque ſe miſeris his temporibus, & in hac ferè totius orbis Chriſtiani calamitate, cum ſibi filiū genuiſſe, ſub cuius Imperio ac prędidio, ab omni eſſet periculo quàm tutiſſima. Quæ ſanè vitæ ratio, grauiſq; ac magnifica virtutis ſpecies, te talem ciuibus tuis & ampliſſimo huic ordini oſtendit, vt ipſi virtutum tuarum excellētiam admirarentur, neſciréntque, dum tuas admirarentur, cui primas darent, iudicio an cōſilio, prudentiæ an ſapientiæ, ſeueritati an benignitati, æquitati an iuſtitiæ, rationi an rerum vſui, modeſtiæ an fortitudini, grauitati an comitati, religioni an integritati. Harū enim vnaquæque in te adeò eminebat, vt certatim propemodùm ſeſe efferrent, & altera alteram ſuperare niteretur: eſſetq; animi dubius laudum tuarū ſpectator, vtram alteri prępo

neret. Quæ ſingulares ac cumulatiſsimæ animi tui dotes, efficiunt, vt pro laudib⁹ tuis non cõmunes mihi loci ſint petendi, quibus paſſim oratores vti conſueuerũt, vt illorum creſcant præconia, de quibus ipſi dicturi ſunt: ſed ex teipſo SERENISS. PRINCEPS, tua eſt mihi laus ducenda. tu vnus tibi ſufficis ad gloriam. Tu ita tuo ſplendore nites, vt potiùs cogitãdum ſit, quæ ex refertiſsima laudum tuarum ſylua ſine piaculo præteriri debeant, quàm opus ſit dicenti perquirere, quæ accurata dicendi ratione, aut ſpecioſa oratione exornari poſſint. Non oratoriis enim fucis, ſed tuis tu colorib⁹ pingendus es: quippe qui is exiſtas, in quo non adumbratum ſimulacrum, ſed tota virtutis effigies illuſtris cernitur atque conſpicua. Tu omnibus in magiſtratibus, qui *quàm plures & egregij fuerunt, quos ab adoleſcentia in hunc vſque diem tum Brixiæ, tum Veronæ, tũ Patauij, tum Vtini, Diis approbantibus & iuuantibus, obiiſti, tam prudenter, tam integrè, tam magnificè ſemper te egiſti, vt nemo tam magna de te animo conceperit, quin tu multo maiora præſtiteris. Semper enim tibi propoſuiſti, in te ciues tuos magis habere quod probarẽt, quàm

* cõplures

quod tibi indulgerent: quo ſanè vitæ tenore tui expectationem, tua virtute non tantùm ſuſtinuiſti, ſed valdè etiam ſuperaſti: paruit enim in te ſemper cupiditas rationi, & actionum ſplendore, morum nobilitate, modeſtia ac continentia omnibus antecelluiſti. Iuſtitiæ verò ſtudio, quæ mater omnium virtutum eſt, & omnium bonarum actionum norma ac regula, ſic ſemper flagrabas, quòd quanuis illius fueris cuſtos acerrimus: quicquid in illa adminiſtranda erat aſperitatis, æquitate & miti quopiam temperamento lenires. In controuerſiis enim inter ſe ciuium vel iudicandis, vel componendis, te totum ad id, quod æquum bonúmque eſſet, componebas: dabáſque operam, vt partium vtranque ad concordiam perduceres: quòd ſi omninò iudicandum erat, omnia vel veritate, vel præſcripto, vel iure, vel iudicij formula, vel legibus ipſis iudicabas. Nullæ preces, nulla munera, nullius callida perſuaſio, nulla potentum authoritas, te vnquàm à recto deflexit, aut tuæ vitium intulit integritati. Æquas apud te partes ſemper omnes omnium ordinum homines habebãt. Tu enim cunctos eodem iuſtitiæ lumine æquè ſpectabas, & pari libræ

lance omnia pendebas: qua quidem re ciuium ſocietatem, animorúmq; coniunctionem mirificè tuebare. non auſterus vnquàm, non tetricus, non difficilis, ſed hilaris, comis, facilis, & (paucis vt omnia complectar) nulli noxius, omnibus benignus. Quibus virtutibus allecti ij populi, quibus præpoſitus fueras, non præſidem in vrbe, ſed optimum parentem ſe habere ſibi perſuadebant. Tuis verò in legationibus (mirum dictu) quàm omnibus ſatisfeceris, quàm in Repub. tua iuuanda ſolers ac diligens fueris, quàm illis gratus, apud quos legatum obiiſti, & quàm illi magna de te animo conceperint. Vulgata eſt illa Pauli tertij Pontificis Maximi ac ſapientiſſimi de te vox: ſe ſcilicet toto ſuæ vitæ curſu, qui longiſſimus fuit, & maxima ſemper laude refertus, neminem vnquàm nouiſſe, qui vel prudentiùs, vel indulgentiùs in rebus agendis verſaretur te ipſo: neminem, qui occaſionem vel maturiùs, vel feliciùs arriperet, aut temporis momenta obſeruaret, quibus commodè ad eos accederet, quibuſcum publica negocia erant tractanda, te ipſo: neminem, qui maiori ſtudio & (ſi opus erat) artificio in capiendis hominum animis, & in ſuam ſenten-

tiam trahendis vteretur, te ipſa. Diuinus enim ille ſenex, qui ob ſummã eius prudentiam rarò coniectura fallebatur, (ipſa enim dies, & longus rerum vſus, ipſum in rebus omnibus cenſendis acerrimum iudicem atque optimum ingeniorum atque hominum æſtimatorem effecerat) quaſi diuino numine afflatus, quod futurum erat, mentis acie vigili cùm præuidiſſet, dum tu Romæ tua pro Repub. apud ipſum eſſes, dicere non veritus eſt, ſe in te neſcio quid ſummi ac maximi cogniturum, quo facilè coniectabat, te olim Reipub. tuæ gubernacula moderaturũ, felicémque ac beatã illam futuram, cùm tu illi Princeps præfueris. Maximũ ſanè eximiæ tuæ virtutis teſtimonium, & præclara diuini hominis vox, quam planè vocem Vrbem hanc ita veram tua hac in gubernatione cogituram confido, vt te ſibi (ſicut ille tunc prædixerat) nunc Principem videt. Cùm verò matura iam ætate ab externis magiſtratibus, legationibúſque ad ea, quę domi hac in Repub. gerenda erant, veluti ab vndis ad portum, te recepiſti, iiſdem tũc, quibus ſemper, te ciues tui virtutibus præditum cognouerũt, maiore tamẽ rerũ cognitione atq; experiẽtia. Quare ad omnes honoris

gradus, qui hac in ciuitate plurimi ac maximi ſunt, facilimus tibi ſemper aditus patuit. In quibus cùm te ciuitatis perſonam gerere cognoſceres, eius ſemper dignitatem ac decus præclare ſuſtinuiſti: quo factum eſt, vt non minùs tu tibi domi dignitatis adeptus fueris, quàm foris exiſtimationis: & non minus te præſentem ciues tui admirati fuerint, quam abſentem probauerint, ac miris laudibus extulerint. Maximo enim conſilio & alta quadam mente omnia peregiſti, in ídque ſummo ſtudio incubuiſti, vt quo maiores tui fuerunt magiſtratus, tua eo magis virtus enituerit. Hæc orationis amplificandæ gratia à me dicta eſſe credi poſſent, ſi te in Patria (quod iam diximus) fortiſſimorum ac ſapientiſſimorum hominum fœcundiſſima, & à Veneria Lauredanáque familia prognatum neſciremus: quarum proprium ſemper fuit præſtantiſſimos homines progenuiſſe. cùm verò ambæ in te gignendo iunctę fuerint, nemini mirum videri debet, ſi tu ſemper omnibus admirabilis fuiſti: ſi ſũmam dignitatem generis, integritatis, iuſtitiæ, cæterorúmque ornamentorum omnium ſuſtinuiſti. In ſententiis verò tuo hoc in ſenatu pro re, pro tempore di-

cendis,ea verborum grauitate,ea orationis dignitate, ea moderatione ac temperantia vſus es, vt in nullius ſententiã frequentiora ſenatus conſulta, quàm in tua ſancita fuerint: opere enim ſenator authoritate verò Princeps videbare. Ob tuã enim in patriam charitatem, ac ſingularem in Rempu.amorem, ſciebant Patres hi, te nil aliud dies ac noctes cogitare, quàm quod ciuibus tuis fauſtum, felix, fortunatúmque eſſet: Quæ propter innocentiſſimam à te actam vitam, in omnium animis de te impreſſa opinio,maximũ pondus orationi tuæ,maximã authoritatẽ ſententiæ ſemper præbuit. Semper enim recta,vera, ſimplicia loquebare:nihil fictũ, nihil fallax, nihil verſutũ, nihil ſimulatũ habebas. Adde, quod patres hi videbant te non odio, non amore, non priuata aliqua re,non tuo commodo duci, ſed plublica tantum vtilitate impelli. Tu enim illud tantum tibi commodum, vtile ac conducibile arbitrabare,quod in re Reipub.eſſet, illíque conduceret. Sed quæ tanta eſt ingenij vis, quæ tanta dicendi vbertas & copia, Sereniſſime Princeps,quæ tuarum laudum amplitudinem aſſequi poſſet? Profecto, ſi ego illas vna oratione,vel vno die complecti voluero,

nihil ampliùs agam, quam ſi vnius riuuli anguſtiis vniuerſum Oceanum reſtringere tentauero. Quare temperabo orationi meæ, quæ iandudum ponderi non ſufficit, & tempori ſeruiam: præſertim cùm tu ille ſis, qui præclare agere malis quàm diſerta oratione celebrari, & apud illos de te agam, qui optimè ſciunt nullam vitæ tuę partem laude aut admiratione caruiſſe: quippe tuis eximijs ac præclariſſimis virtutibus incitati, in hanc celſiſſimã dignitatis atq; honoris ſedem te alacres euexerunt, vbi poſſis te teipſo maiorem oſtendere: & ex hoc excelſo loco tuis rebus iam geſtis tantum luminis afferre, vt quæ vix illuſtriora fieri poſſe credebãtur ab hac tua huius Imperij adminiſtratione multum accipiant ſplendoris ac dignitatis. Vt vero hic tuus ad hunc gradum aſſenſus multo illuſtrior ac probabilior eſſet, cùm inueterata huius Reip. conſuetudo, ac iampridem receptus mos fuerit, vt nemo ex hoc cœtu Princeps eligeretur qui Senatorum ſuffragiis inter Marcios procuratores prius cooptatus nõ fuiſſet, quod inde ad ſublimem hunc gradum pateat acceſſus: tuis hi patres eximiis dotibus impulſi, priùs quam id muneris attigeris, huc vnanimes ſummo conſenſu

feliciſſimè te vocauerunt, vt apud omnes teſtatum relinquerent, ipſos tanti te æſtimâſſe, quanti ab æquis iudicibus ac optimis viris tui ſimiles debent æſtimari. Natura igitur te nobiliſſimæ huius ciuitatis ciuē genuit, tua verò virtus, qua princeps creatus es, te nunc huius eiuſdem parentem effecit. illa fuit planè ſpecioſa, ſed communis omnium ciuium, naſcendi conditio: hæc verò probitatis ac prudentiæ ſingularis teſtis eximia. Natura iis, qui dominabantur, parére te docuit. At tua te virtus, vt aliis imperares, huc te euexit. Maximum ſanè Deorum immortalium erga te beneuolentiæ teſtimonium, quod planè vniuerſo orbi Chriſtiano, & præcipuè languenti Italię ſpem optimam dedit, poſſe aliquando euenire vt poſt tot ſuas clades, tu ſapientiſſimo horũ Patrum iudicio, ad hoc principatus faſtigium elatus, poſſis fœdis illius vulneribus ſalutarem manum admouere, eáque ad cicatricem ducere. Arbitrata eſt enim Italia, ſuapte natura orbis pars feliciſſima, ſed Principum diſſenſionibus ac populorum odiis nuper miſerrima: te eam labentem tuo pręſidio ſi fulturum ac ſuſtentaturũ, vt nõ corruat prorſus, atque ad extremũ exitium non

deducatur. Hoc etiã abs te ſperat excellẽtiſſimus Princeps noſter. Te eñ illũ cognoſcit Sereniſſime Princeps, qui populorum ac Principum conſilia in bello, in pace, in induciis, in fœderibus optimè noſcas: perſpiciáſq; hanc pulcherrimam totius orbis terrarum partem, non minùs in vna hac Repub. illiúſque Principe ac Senatu, quàm in Iulij Tertij Pontificis Maximi tutela recumbere. Non enim habet Italia, olim gentium ac nationum omnium domina: nunc verò, malo ſuo fato, omnibus ferè omnium gentium nationibus ſubiecta, quò poſt ipſum Pontificem Maximum ſe vertat, cuius auxilium, cuius fidem, cuius opem imploret, niſi Sereniſſime Princeps ad te, totúmq; hunc ſenatum confugiat. Videt enim te illum eſſe, qui in tuo hoc ingenti ac nouo magiſtratu nouos etiam virtutis fructus, ac prouentus velis præbere. hos autem vberes atque ampliſſimos præſtiteris, ſi tu, qui miſeris his ac calamitoſis tẽporibus, veluti proſperum ac ſalutare ſidus, huic vrbi ac vniuerſo orbi Chriſtiano affulſiſti, diſcordes potentiſſimorum Regum animos ad fœdus percutiendum ad amicitiam conciliandam, ad pacem incundam deducere conaberis. Et, quod

excellentiſſimus Princeps noſter, dies no
ctéſque ſummo ſtudio ac diligentia pro
virili parte tentauit, tentátque adhuc: tu
tandem perficias, vt omnia tua virtute,
tuo conſilio, prudentia atque authorita-
te interChriſtianæ Reip. Proceres pacata
ſint, optatæ trãquillitatis referta, almæ pa
cis plena & felicis plena cõcordiæ. Hęc-
que arma, hæ acies, hæcque iam expli-
cata atque erecta ſigna ad rem Chriſtia-
nam turbandam ac diripiendam, in te-
terrimas gentes conuertantur: & quod
ſanguinis noſtri effundendum eſt, non
hîc, Sereniſſime Princeps, non hic, vbi o-
mnia Chriſtianorum ſunt, vbi religioni
noſtræ nihil acquiritur, ſed in Aſia, in A-
frica, in ea Europæ parte, cui impiæ gẽtes
non ſine magno noſtro dedecore domi-
nantur, pro communi libertate, pro com-
muni ſalute, pro aris & focis, pro Dîs pe-
natibus, pro noſtra religione, pro Chri-
ſtiani nominis amplitudine effundatur.
Eruatúrq; penitus impiũ illud genus ho
minũ, quod nilhil, niſi nefandũ, niſi inhu
manũ, niſi crudeliſſimũ cogitat, nihilq;
magis auet, quàm noſtro ſanguine arden
tiſſimam, quam habet, necis, ſitim exple-
re. Horrent, Sereniſſime Princeps, hæ gẽ-
tes Chriſtianorum pacem, non exerta

nunc arma, quòd illa videant vires noſtras in ſuam perniciem foueri, his verò noſtras labefactari ac debiliores reddi. Res hæc, Sereniſſ. Princeps, digna eſt maioribus tuis, digna Chriſtiano homine, digna Principe, digna te ipſo: qui diuini numinis cultũ, pacémq; humanis omnibus rebus prętuliſti. Prętlarũ hoc facinus tibi reſeruatum eſt, vt tu, qui immortalitatis amore ſemper flagrâſti, vidiſtíq; breuem eſſe vitæ curſum, gloriæ verò ſempiternum, hinc tibi æternum nomen pares, quod nulla vnquam deleat vetuſtas, nulla ſit obliuio obſcuratura. Habebis excellentiſſimum Principem noſtrum, vt aliis omnibus in rebus, quæ ad tuum decus, ad huiúſque optimæ ac potentiſſimæ Reipub. commodum attinebũt, ita etiam ad hanc rem promptiſſimũ. Te enim, quem colit ac veneratur, vt Principem, diligit ac obſeruat vt parentem, veluti optimus filius, imitabitur. Ipſum enim nihil vnquã prætermiſſurum, quanta maiori voce poſſum, tibi eius nomine polliceor, quod tibi atque adeò vniuerſæ huic Reip. nominíque Chriſtiano præſidio eſſe poſſit. Nã vt ſe ſuáq; omnia, in tua totiúſq; huius Senatus tutela maxima cum fiducia repoſuit ac collocauit, ita etiam ſe tibi reddet

quàm obſequentiſſimũ: omnéſque opes ſuas, omnes vires ad huius Reip. ornamentum,& Chriſtiani Imperij incremen tum amplitudinémq;,pro tuo voto libẽtiſſimè exponet. Da igitur operam, Sereniſſime Princeps, vt quam Deorum immortalium nutu,& horum Patrum conſilio ac ſapientia hęc ciuitas,totáque eius ditio pacem habet,eadem,te hortante,te procurante,te impellente,vniuerſus Chriſtian'orbis potiatur. Cura,obſecro,quòd hæc ſeditionis fax, qua vniuerſus Chriſtianus orbis propemodum flagrat, ſic extinguatur,vt ſuccedat odio amor,bello pax, & ſeditioni concordia. Huc enim ſi mentem cogitationémque conuerteris: ſi ad hanc rem (vt omnes ſperant) animum appuleris: ipſe Deus Optimus Maximus, bonorum omnium, & pacis præſertim, author, cuius arbitrio ac nutu omnia reguntur, cuiúſque auſpiciis hæc vrbs fundata eſt,ſub cuiúſque tu tela maximè floret: ſic votis omnibus tuis fauebit, tibi ſemper vſque adeò adſpirabit,adeò tuo hocin dominatu huius imperij rebus præſens erit,vt diù te Principe hæc ciuitas ſit gauiſura: & vbi ea, tua virtute,florentiſſima,magna cum trãquillitate ac pace diu fueris potitus, tan-

dem illam eandem his Patribus, huic Senatui, totíque Populo Veneto, multò ampliorem, multóque magis florentẽ, quàm acceperis, relinquas.

IN FVNERE *INNOCENTII VIII.* *Pont. Max. Leonelli Epiſcopi Concordienſis Oratio.*

RVrſus ad hoc ſtadium dicendi, à quo iamdudum deſueueram, areſcente, ſi qua vnquam in me fuit, orationis vena: repẽte quodãmodo reuocor, Patres Ampliſſimi, nec tã piũ à me contendentibus officiũ audeo refragari: ne ingrati animi vitio erga Principem meum, qui me plurimum dilexit, nec minus, vt palam eſt, ornauit: etiam poſtquam inter homines eſſe deſiit, accuſer. Sed vnde præ dolore initium dicendi faciam, non ſatis conſtituo: flere tamen magis libet, quam vel laudationem, vel conſolationem attingere. Quis erit quæſo tam ferreus? quis tam ſaxeus, Patres ampliſſimi, qui non potius vbertim effundatur in lachrymas?

Summus Pontifex Innocentius Octauus diſceſſit à nobis. dereliquit nos Pontifex manſuetiſſimus prudentiſſimus, integerrimus. deſtituta eſt Eccleſia

magno in rerum turbine humano recto-
re. Quis dabit capiti meo aquam, aut o-
culis meis fontem lachrimarum? & com-
munem amiſſi tanti Pontificis vnà vobiſ
cum calamitatem plorabo? ſic filij Irael
defunctos Aaronem & Moſen xxx. die-
bus defleuêre, quamuis vtríque ſucceſſor
iam deſignatus eſſet à Domino: huic ad
regendum populum Ioſue, illi ad obeun-
dum Pontificatum Eleazarus. At quanto
magis lugendum eſt nobis, non tam ob-
dormientis Pontificis, qui tranquillam
tranſlatus in requiem, nos ancipiti in cer
tamine dereliquit, quam ob miſeram vi-
cem noſtram, quos vndique tot mala cir
cunſtant? imminet quotidie Chriſtianis
ceruicibus immaniſſima Turcarum fe-
rocitas, ſæuit adhuc, cùm poteſt, in catho
licos fratres furibunda & armata Huſſi-
tarum perfidia. pullulant vbíque aduer-
ſus orthodoxam fidem nefandiſſimi er-
rores. Creſcit in dies magis peruicax in
Sacroſanctam Romanam Eccleſiam vni
uerſalis Eccleſiæ matricem, radicémque
contumacia. viget ingens tam in clero
quàm in populo luxus. Quaſſatum eſt in
teſtinis diſſidiis beati Petri Apoſtolorum
Principis patrimonium. Eminentiores
Chriſtiani nominis Principes, ardentiſſi-
mis

mis odiis in mutuum, niſi celeriter occurratur, armantur excidium. Turbatus eſt ager Romanus, vrbs ipſa quotidie cædibus & rapinis quorundam temeritate cupiditatéque fœdatur. tanta denique (vt Hieremiæ verbis vtar) ſuper contritione vocata eſt contritio, vt ad ipſam matrem noſtram Eccleſiam conuerſi, cũ eodem Hieremia merito lamentari valeamus: Filia Sion, magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Sumus enim adhuc incerti, quem elegerit Dominus Innocentij locum & Apoſtolatum accipere, qui tot tantáque ingruentia pericula non ſecus repellere, quam nubes ſol oriens diſſipare, valeat. Sed videamus qualem Pontificem amiſerimus, vt vel ſuccincta eximiarum eius laudum enumeratione, acerbiſſimo leuemur dolore: vel vota noſtra non inferiorem habendi ſucceſſorem, Seruatori noſtro pandamus. Patria ortus Genua, Ligurum metropoli terra maríque potentiſſima: cuius amplitudinem ad claritatem conſequendam non parum conferre, Themiſtocles apud Platonem obiicienti ſibi Athenas Seriphio nõ diffitetur: familia* Ciborum vetuſta nobilitate, apud Neapolitanos quoque ſub Tomacellorum cognomine

Hier. 4.

Thren. 2.

*Cibo.

inſigni:ex qua & Romanus pontifex Bonifacius, eius nominis nonus, & Cardinales & Epiſcopi complures tanquam ex equo Troiano prodiere parentibus honeſtiſſimis. ex bonis enim (vt idem Plato ait)boni naſcuntur, & bona arbor (vt Seruator noſter affirmat) bonos fructus producit. Aaron ſiquidem pater equeſtris ordinis vir probatiſſimus, & in regenda Neapoli, & in Prætura vrbana,quem nunc Senatum appellant,adminiſtranda mirificè claruit. liberalibus cùm primum per ætatem licuit, à parentibus traditus diſciplinis, ad eruditionem magis quàm oſtentationem profecit. initiatus Eccleſiaſticis ſacris, Romam veniens, in clientelam Philippi Cardinalis Bononienſis, Nicolai Quinti primæ ſedis Antiſtitis germani,ſe cōtulit: qui eius virtuti tantum tribuit, vt ipſius fidei ac diligentiæ proprij corporis ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes eum gradus ad Epiſcopatum vſque prouexerit. Quo in ſtatu tantam omnium ſuauiſſimis moribus beneuolentiam ſibi conciliauit, vt aſſumptus ad ſupremam cathedram Xyſtus eiusnominis quartus, quém prius ob eius ingenij amœnitatem, dexteritatem atque mode-

ſtiam, maiorem in modum dilexerat, in domeſticum & Datarium, quod eſt, vt noſtis, non paruæ exiſtimationis officiũ adſciuit: in quo ita ſe induſtrium, fidum, vigilantem & integrum geſſit, vt creſcente indies magis magíſque ipſius apud Xyſtum gratia & authoritate, non ſolum ex Sauonenſi Eccleſia ad Melfitenſem trãſlatus, verum etiam ſecundis Cardinaliũ creandorum comitiis in ampliſſimum ordinem veſtrum ſummo omnium conſenſu, nec minori gratulatione fuerit cooptatus. Hic mihi in tanta non vulgarium laudum occurrentium copia immorandum foret, præſtantiſſimi Patres, vt eas ſi non exornarem, ſaltem aliqua ex parte recenſerem: ſed tam arcta temporis anguſtia premor, vt vnica probatáque ſententia illas ante oculos veſtros ponere ſtatuerim, neque enim, vt ait ille, quiſpiã aliquando ad ſummam rerum peruenit, qui non prima ætate gradibus virtutis aſcenderit. Expectatis fortè, patres Ampliſſimi, vt qualẽ ſe Cardinalem habuerit ediſſerã: ſed id ego ſuperuacaneum puto ipſi audiſtis: ipſi vidiſtis, quã crebro, quod eſt optimi Senatoris, in Senatũ vẽtitabat: quàm graues, quàm liberas, quàm opportunas de rebus magnis & arduis ſenten-

tias dicebat. Aderat aſſiduus publicis ſolennitatibus rei diuinæ: & præter ſuam, quam promptiſſimè obibat, aliorum quoque deſidentium vicem hilari & deuota mente ſupplebat. Alebat prætereà vir ditiſſimæ paupertatis multam honeſtámque familiam tanta moderatione, vt in recta priuatæ domus gubernatione, iuxta ſcitam diui Apoſtoli traditionem, optimum ſe vniuerſalis Eccleſiæ rectorem futurum demonſtrarit. præbuit tamen prius maius de ſe ſpecimen probitatis. Demandatam ſiquidem turbulentiſſima peſtilentiæ tempeſtate legationem Romanam, Xyſto Pont. Max. cum tota curia vrbem Romam deſerente, ſanctè, integrè, ac etiam pacatiſſimè adminiſtrauit. Senenſem quoque difficilimis ſanè temporibus tanta prudentia & magnitudine animi geſſit, vt ex ea ſplendidiſſimã laudem reportauerit. Deſignatus eſt deinde in Germaniam Legatus: cum in cunctis ad Eccleſiæ dignitatem proſperitatémque ſpectantibus, ſe obſequentiſſimum, omni labore poſtpoſito: ſummo Pontifici exhiberet. ſed viſum eſt poſteà Xyſto, per inferiorem minore incõmodo rem peragi poſſe. Hæc ſummatim per capita percurro, Patres ampliſſimi; nec

decoro ſermone ſingula narro: tum quia vobis notiſſima ſunt, tum quia nolo vos diutius detinere: vt commodius his, quę in tanta Eccleſiæ neceſſitate in horas accidunt, proſpicere valeatis. Quare ad Põtificatum feſtinat oratio: quo ſe tot tantíſque meritis dignum reddidiſſe iudicaſtis, ad quem vos ipſum propenſo ſtudio diuinæ prouidentiæ miniſtri vnanimiter euexiſtis. cuius ſi in Chriſti Vicariatu rectè adminiſtrando immenſa præconia exactè pergam reſerare, haud equidem obſeruare propoſitæ breuitatis inſtitutum, & eius vitæ hiſtoriam potius texere quàm epitaphium dicere, viderer. Cuperem nihilominus vehementiſſimè ſingularem & inauditam, atque ipſi innatam humilitatem, quæ non minus in eo iam Pontifice, quam in omni anteacta vita excellenter emicuit, idoneis exprimere verbis, cùm nihil (vt magnus Gregorius eſt author) in Pontificali ceruice ſplendidius fulgeat, quam humilitas. Vidimus ipſum quod ſanè rariſſimum eſt, eadem ſe in Pontificatu adeuntes humanitate, affabilitate ac benignitate ſuſcipere: qua & Epiſcopus, & Cardinalis anteà conſueuerat: vt idem ſemper, ſeruato tamen decoro, fuiſſe videretur: nec immutati

in eo mores, ſed aucta tantum dignitas cognoſceretur. Quanta vero ſermonis dulcedine & elegantiã, quãta perſpicacia atque memoria, quam aptis rationibus & poſtulata colligeret, & petentibus reſpõderet, nemo vnquam ſine admiratione potuit audire. Obſeruabat illud quod eſt Principis proprium, vt ſiue concedendo, ſiue negando neminem à ſe triſtem dimitteret. Quis autem tanta facundia præditus, qui magnificas ac ſalutares ipſius de Rep. cogitationes appoſito valeat explicare ſermone? Omnem curam, mentemque ac diligentiam ad ſubditorum commoda, ad tuendam dignitatem Eccleſiæ, & contra ipſam rebelliones delendas, ac religionẽ, habito iam maximis laboribus Zizimo Sultano propagandam conuerterat. Quibus in rebus cum mea (quantulacúmq; ſit) opera, ſicut noſtis, vti voluerit, multa mihi de his ſæpenumero illum ſapientiſſimè loquentem audiuiſſe nequeo reticere. conſtantiſſimus iuſtitiæ cultor, pacis ſtudioſiſſimus amator, & exuberãtis annonæ vigilantiſſimus inſtructor, ſedatis honorificè ſibi ingruentibus bellis, peculiares Eccleſiæ populos, & Romanos imprimis, quam feliciſſimos exoptauit.

Exultauit ſummopere, cùm ad maiores dignitates viros extulit eruditos & probos. erat enim ipſi vera inſita bonitas, quæ illum ad quaſcúnque optimas actiones propenſiſſimũ ſuper omnia reddebat. ſic propterea in pauperes miſericors, afflictorum non minus conſolator, quàm principum ſuſceptor liberalis, & Dei ac Sanctorum eius pientiſſimus venerator. Pontificale palatium miro ſumptuoſiſſimóque opere exornauit amplificauítque, & multiplici precioſiſſimáque ſupellectile tam diuinis quàm domeſticis vſibus apta, largiſſimè decorauit viſitatus à Domino pluribus longíſque morbis, quos patientiſſimè tolerauit, multa ſancta & vtilia cogitata perficere nequiuit. Adueniente demum diuinę vocationis hora, ſumptis ex ritu Chriſtiano deuotiſſimo animo ſalutaribus ſacramẽtis, intrepidè adeo ſpiritum reddidit creatori, vt quaſi iam compos æternæ glorię videretur (ſicut erat) cæleſtem vitã mortę commutare.

Ecce qualem quamtúmque Pontificem amiſimus, Patres ampliſſimi: ideò luctus magnus eſt in Eccleſia: quam vos facilè conſolari poteritis, ſi proprio affectu, ſi ambitu, ſi falſa perſuaſione (vt ſpe-

ramus) eliminatis, diuinæ cooperatores volũtatis, nil niſi de ſanctimonia, doctrina & rerũ peritia fulgente Pontifice deligendo cogitaueritis. ſunt enim totius Eccleſiæ in vos oculi coniecti, Patres optimi. date illi Pontificem, qui ſolo boni nominis odore cunctos poſt ſe fideles populos ad ſalutem trahere queat. ſicut enĩ (vt eſt in ſapientum libris) cupiditatibus Principum & vitiis ſolet infici tota ciuitas, ſic emendari & corripi continentia. Nam qualiſcunque mutatio morum in principibus extiterit, eadem & in populo ſequetur. planéque veriſsimum eſt illud: Principes plus exemplo, quàm peccato nocere. Optimus itaque conſtituendus eſt Princeps: quem facilè cognoſcetis, ſi Platonem audiueritis, qui eum deligendum putat, qui ſingulis ſemper ætatibus probatus fuerit, & immaculatum ſe præſtiterit, ac perſeueranter id agere ſtuduerit, quod Reipubli. conducere arbitraretur: aliter quaſi ex diuino oraculo cenſet Rempubl. perituram. Eadem fermè ſententia vos inſtruit beatiſsimus Leo Pontifex, vt illum eligatis, cuius omnis ætas à puerilibus exordiis vſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ cucurrerit, cuiq; teſtimonium

præbeat prior vita: quia non poteſt de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus caſtis, pro actionibus ſtrenuis celſioris loci præmium debetur. Exhorreatis terribilem illam Domini vocem, Patres ampliſſimi, ne vnquam de vobis exclamet: Fecerunt ſibi Regem, & non per me: Principem, & nō per conſilium meum. Conſilium autem Domini eſt, (ſi Hieronymo credimus) vt, qui præſtantior eſt ex omnibus, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille purè ſinceréque ſine ambitu ad ſummum Sacerdotium eligatur. Recordamini (vt reliqua prætermittam) Abimelech, qui Iſraelitici populi principatum ambiuit, & modico tempore turbulentiſſimè imperauit, & turpi tandem cæde vitam finiuit. Infigite cordibus veſtris, vt breui clauſula vniuerſa compræhendam: exequimini ſacros Canones vobis notiſſimos, de Romani Pontificis & aliorum Præſulum electione cō ſcriptos, & iterum ſub expectato ſucceſſore nouo proculdubio florebit Eccleſia, præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

FRANCISCI CORNELII Cardinalis, Hieronymi Nigri Oratio.

POſteaquàm Frãciſco Cornelio Cardinali, more inſtitutóque Maiorum iuſta fecimus, Princeps optime, Patres ampliſſimi, ſi vitæ curſus ab eo ſumma cum laude confectus, pari ſplendore copiáque orationis hodierno die repreſentari deberet, non video cur mihi vni potiſſimum ex tanto eloquentiſſimorum virorum cœtu id oneris fuerit ſubeundum, qui iampridem ſepoſitis eloquentiæ ſtudiis, intermiſſóque dicendi vſu longè aliam ſtudiorum rationem, meo magis ordini conſentaneam, ſim ſecutus. At ſi eo imprimis homine ſuſcipenda & tractanda fuerat hæc laudatio, qui ob veterem cum Cornelia gente neceſſitudinem, familiarémque conuictum, nullo negocio locupletiſſimum laudis teſtimonium afferre poſſet, equidem fateor hac in re neminem mihi fuiſſe præponendum: qui in Cornelia domo prope natus atque altus, cum Franciſco Cardinale ita vixerim familiariter, vt omnium ferè itinerum ipſius comes omnium conſiliorum cõſcius, laborum

omniũ particeps fuerim. quanquã multa me in præſentia vehementer commouẽt atque perturbant: verſatur enim mihi ob oculos honeſtiſſimæ familię ſqualor, publicus ciuitatis mœror, longo iam interuallo renouatus, grauis admodũ iactura Chriſtianæ Reip. tam profligatis, perditíſque temporibus, & in tanta bonorum ſapientiúmque virorum penuria, quantam nemo noſtrûm eſt qui nõ agnoſcat & ſentiat: accedit ad hæc priuata mea calamitas, & ſingularis huius erga me beneuolentiæ, multorúmque officiorum triſtis recordatio, quibus rebus ita conficior atque angor animo, vt magnopere verear, ne quantum mea me fides ad dicendum hortatur, tantundem dolor impediat. Sed me nonnihil conſolatur ac recreat conſpectus veſter frequẽtiſſimus, atque ad hoc honeſtãdum funus incredibilis penè omnium ætatum, ordinúmque concurſus. Quamobrem iam intelligo pari officio ac potiùs pietate vobiſcum mihi eſſe certandum, ne mea vox deſit mortuo, cui viuenti mea opera atq; induſtria non defuit. Quod dum breuiter facio, adeſte quæſo animis Patres, & date veniam, ſi quid indignum eruditis auribus veſtris attulero: confido tamen

fore, vt, ſi cætera fortaſſe à vobis deſiderabuntur, meum certè ſtudium,gratíque animi officium non deſideretur.

Qui de moribus ac ciuili vita ſcripſère diuinitus,& ſi primo loco eã laudem ſtatuerũt,quę à propria viri virtute ſumitur, non in poſtrema tamen claſſe eam poſuêre, quæ à nobilitate generis proficiſcitur : quòd ea plurimum lucis atque ſplendoris afferat virtuti : quam ſententiam iamdiu in hominum mentibus inſediſſe, ob eam potiſſimum cauſam credimus, quod viri fortes ex fortibus præuenire videantur. Nam ſi in brutis animantibus, in plantis atque arboribus ita natura comparatum videmus, vt ea plerunque ſeminariam vim, bonitatémque referant, quanto id magis conſentaneũ eſt vſu venire hominibus, quibus & natura & diſciplina datum eſt, vt Maiorum ſuorum imagines agnoſcere, eorúmque præclarè facta, ſibi ad imitandum poſſint proponere? Haud iniuria Romani illi veteres, à quibus plurima ad nos, & pulcherrima vitæ inſtituta manarunt, atria ædiũ porticúſque Maiorũ imaginibus ornabãt eáſque in funerum pompa circunferentes, facile oſtendebant, quantum nobilitati deferendum putauerunt. Ingentes

rofectò ſunt ad virtutem ſtimuli Ma-
orum laudes, factáque fortia. Enim ſi
Milciadis trophæis è ſomno excitabatur
Themiſtocles, quanto magis excitari de-
ent ij, quibus intra domeſticos parietes
uocunque ſe vertant, occurrunt monu-
ienta virtutis & gloriæ? Itaque primum
oc beneficium Deo optimo maximo
cceptum referre debemus, ſi ſummo
oco naſcimur: ſecundum, ſi rectè ac li-
eraliter educamur: tertium, ſi *educti, **educati,*
os ferimus fructus, qui cum ſtirpe con-
ntiant. hos omneis numeros Franciſ-
us Cornelius Cardinalis tam diligen-
r impleuit, quàm qui maximè. Natus
t enim in hac vrbe, quæ non ſolùm ipſa
t, fuítque ſemper libera: verùm & *ars, **arx*
propugnaculum publicæ libertatis,
hoc intimo ſinu Adriatici maris, dex-
ra Dei altiſſimi ad profugium bono-
m omnium, & ad tutelam ſanctiſſi-
æ religionis collocata. de cuius vrbis
udibus, non eſt noſtrum ex hoc loco
ura dicere: cùm quòd hæc nobis patria
t, vita quidem noſtra charior atque a-
abilior: tum quod tanta eſt huius am-
itudo & maieſtas, vt eam potiùs admi-
ri & colere, quàm pro dignitate lauda-
valeamus. Natus eſt inſuper Frãciſcus

Georgio Cornelio & Heliſabeta Maurocena parentibus nobiliſſimis, vt auum, proauum, abauúmque, & longam Heroum ſeriem prætermittam: nec annales repetam veſtros, quum ad propria & recentiora, mea iam feſtinet oratio. Georgius enim Marci Senatoris optimi & fortiſſimi filius, per veſtigia Maiorum ſuorum ad gloriam contendens, ita ſemper in hac Repub. eſt verſatus, vt quamuis ab ea honeſtiſſimis muneribus ornatus fuerit, habitus tamen ſit omni honore ac dignitate ſuperior. huius cùm multa magnáque extant in hanc Rempub. merita ac beneficia, tum verò illud ſilentio minimè prætereundũ videtur: quod, & ſi peruulgatum eſt, ac in recenti hominum memoria fixum perſtat, ob ſui tamen magnitudinẽ dignum cenſeo, quod perpetuis ſermonibus, prædicatione, literis æternitati cõſecretur. Nam is quum animaduerteret prudentia Marci patris, & ſanguine Andreæ patrui patefactum fuiſſe vobis aditum ad Cypri regnum veſtro Imperio adiungendum, neque vlla ſpe priuati commodi allici, neque vllo metu impendentis periculi abduci potuit, quin hanc Remp. in opulentiſſimi regni poſſeſſione, ſua virtute atque

nduſtria retineret. Mortuo nanq; Ioanne Luſciniano Cypri rege, Iacobus magno vir animo, ac viribus corporis præſtantiſſimus, Ægypti regis ope paternum regnum eſt adeptus, ac deinde ad firmandas noui regni opes plurimùm ratus pertinere, ſi vobiſcum amicitiam, propinquitatémque iniret: *Caterinam Corneliam Georgij ſororem, duxit vxorẽ. Quo rege vita functo, nonnulli ex primariis ciuibus inito de ſecundis reginæ nuptiis conſilio, Andream Cornelium reginæ patruum id fieri prohibẽtem, quod contra Rempub. veſtram eſſe videretur, multis confoſſum vulneribus, crudeliſſimè trucidauerunt. Exemplo ad eam inſulam decretò ſenatus Georgius nauigauit, qui, paucis diebus pacato regno, ſorori reginæ perſuaſit, vt, coronam capiti detractam ſuo, ad pedes veſtros poneret, mallétque patriæ vtilitati, honoríque ſeruire, quàm exteris nationibus imperare. O ſpectaculum illud non modò hominibus, verùm etiam hiſce vndis atque litoribus admirabile, ac periucundũ, fratrem reginam ſororem in triumphum ducere ad patrios lares, vt patria ipſa regno illo opportuniſſimo ampliſſimóq; potiretur. Non te Georgi inſontis pa-

*Catharinam.

trui cædes, & recentia adhuc illa vulnera à propoſito deterruerunt:non ſpes nouę affinitatis, & ſplendor ille regius animum tuum deflexit à patriæ commodis. Tu detracto ſorori diademate, patriam tuam coronâſti.tu teipſum, poſteróſque tuos, ſpreto regno, regio honore decorâſti. quod factum nulla vnquam delebit obliuio, nulla vnquàm poſteritas cõticeſcet. hoc patre, atque his maioribus ortus Franciſcus, à matre ſanctiſſima fœmina piè ſanctéque educatus, vt primùm per ætatem verſari in luce hominum potuit, magnam ſui ſpem apud optimum quénque ciuem cõcitauit.Nam quum ſibi per commoda rei familiaris, quietam domi vitam agere licuiſſet,imitatus Herculem illum Xenophonteum, maluit in maximis laboribus & in longiſſimis peregrinationibus magnam ſuæ ætatis partem conſumere. Sciebat enim non rectè eos facere, qui rudes & inexperti rerum, locorum, atque hominum Rempub.capeſſunt.Itaque quo primùm tempore Ludouicus Gallorum rex cum potentiſſimo exercitu veſtros ingreſſus fines,huic vrbi atque Imperio excidium minaretur, Frãciſcus, Georgium patrem ſecutus,cuius virtuti ac prudentiæ præci-

puam

quam eius belli curam commiſeratis, calamitoſo illi Abduenſi prælio interfuit, magnóque in aduerſis rebus patri ſolatio, in ſecundis vſui & voluptati fuit. Iuſſu deinde veſtro claſſe ad præſidium Romani Pontificis comparata, cum triremi omniũ inſtructiſſima, cui præerat ſuperum atque inferum mare peruagatus, oram Liguſticam primus infeſtam reddidit. qua in nauigatione in freto Siculo ſæua iactatus tẽpeſtate, è Scyllæ & Charybdis faucibus diuino beneficio ereptus Romam ad Iulium ſecundũ Pont. Max. ſe contulit: apud quem florebat gratia & authoritate Marcus Cornelius Cardinalis, Franciſci frater: cuius ego viri memoriã, propter eam, quæ mihi cum illo fuit, familiaritatem, vix poſſum ſine lachrymis recenſere. Fuit enim ille vir cùm magnitudine animi clarus, tum potentia opibúſque inſignis: quem niſi immatura mors è blandientis fortunæ ſinu tam ſubitò eripuiſſet, facilè ſui ordinis principem vidiſſemus. Sed ad Franciſcum redeo: qui reuerſus in patriam, laborante adhuc Rep. cum delecta iuuenum manu Patauium ad ferendam obſeſſæ vrbi opem vltrò eſt profectus. qua in obſidione vel ipſius Andreæ Griti ſummi ducis

teſtimonio, cùm aliorum ciuiũ, tum verò maximè Frãciſci Cornelij virtus emicuit. Ea enim vrbs, quam vobis vnam ex tota continente fortuna belli reliquam fecerat, contra innumerabilem exercitum, totius fermè Europæ viribus conflatum, veſtrorum virtute militum ſtetit inuicta. Haud ita multò pòſt, iam reſpirante Rep. Franciſcus Hieroſolyma nauigauit, vt phana illa religioſiſſima & antiqua illa Chriſtianæ pietatis veſtigia veneraretur. quibus locis & regionibus (vt eſt eorum hominum in Chriſtianos feritas & barbaries) non incommoda ſolùm plurima, verùm & contumelias & verbera æquiſſimo tulit animo: non immemor illiſmet locis Chriſtum ſummi Dei filium, multò grauiora noſtri cauſa pertuliſſe. regreſſus inde domum, honorificis à vobis magiſtratibus auctus, ornatúſque ex Senatuſcõſulto ad Carolum Cæſarẽ legatus mittitur. qua in legatione Hiſpaniam, Germaniam, & eam
anno 1520 partẽ Galliæ, quæ Belgica dicta eſt, peragrauit. Aquiſgrani interfuit, quum primùm Cæſar de more Romanorum Imperator eſt cõſalutatus: apud quem quadriennio ita ſplendidè, ita prudenter, ita demùm ex huius ſenatus ſentẽtia legatũ

egit, vt non exiguam ab eo rege gratiam, atque à vobis laudem reportarit. Argumento ſunt non vulgares prærogatiuæ & inſignes tituli, quibus Cornelia gens beneficio Cæſaris aucta eſt in omnē poſteritatem. Succeſſorem verò eius legationis habuit Gaſparum Contarenū, virum optimum & ſapientiſſimum, poſteà in ſummo antiſtitum ordine collegā habuit, conſiliorum omnium ſocietate ſibi coniunctiſſimū: quíque alieno Chriſtianę Reip. tempore extinctus, probitatis & ſapientiæ ſuæ triſte nobis deſideriū reliquit. Sed quid ego iam in eo vitæ explicandæ curſu, quem Franciſcus apud vos fortiter moderatéque confecit, diutiùs immoror? Meminiſtis enim Patres, meminiſtis hunc neque opibus, neque conſilio, neq; ſui corporis oppoſitu, vllo vnq̃uā loco Reip. defuiſſe. Venio iam ad alteram vitæ rationem, ad quam fata ipſa (quæ à Dei voluntate non ſeiungo) Franciſcum Cornelium deſtinarant. Nam is quū in veſtra floreret Rep. eáque omnia ſperare facilè poſſet, quæ vos benemerētibus ciuibus tribuere cōſueuiſtis, à Clemente ſeptimo Pont. Max. in Cardinaliū collegium eſt cooptatus: tum primùm ſenſit vir prudētiſſimus, omni ſtudio ſibi

adnitendum fore, vt nouam perſonã induéret, ad eáq; ſeſe accommodaret, quæ illius ordinis viros maximè decêre arbitraretur. & quanquam prouecta iam ętate eſſet, neque à puero ſatis eruditus fuiſſet in literis, tamen in ea re tantum ſtudij diligentiæque adhibuit, vt breui facultatem ſibi & copiam Latini ſermonis cõparârit. ac propter excellentem ingenij vim, multarúmque rerum peritiam, adeò graues in ſenatu ſententias dicebat, adeò prudenter conſultus reſpõdebat, vt cum veteranis ſenatoribus, dicendi grauitate copiáque certaret. Memini ego ſæpenumerò dum magnis de rebus in ſenatu ageretur, Pontificem Maximum ad hunc lecto affixum miſiſſe nuncios, qui ſententiam ipſius exquirerẽt: renunciatam, publicè miris laudibus fuiſſe proſecutũ. Nec iam dubitare quiſpiam debet, quin is legationes honeſtiſſimas & ampliſſima quæque Reipublicæ munera fuiſſet obiturus, ſi per valetudinem licuiſſet. Verùm ô infelicem corporis habitũ, ô miſeram vitæ conditionem. Vixit Franciſcus ingraueſcente iam ætate, (ſi modò ea vita dicenda eſt) artuum dolore ita oppreſſus, ita à vertice ad calcem vſque diſcruciatus atq; afflictus, vt quum optimè

haberet, non niſi lectica delatus in ſenatum venire poſſet. Nulla huius pars corporis doloribus vacua, nulla nō ſuis deſtituta functionibus, præter linguā, qua ſemper ad æterni Dei laudem, ad patriæ vtilitatem, ad Romanę Sedis dignitatem tuendā amplificandámque eſt vſus. Nulla vnquàm Franciſci vox querula in dolore, nullus vnquàm eiulatus in acerbiſſimis cruciatibus eſt exauditus: vt vel ea re facilè oſtenderit, qua virtute, quo animi robore aduerſos omneis fortunæ caſus potuiſſet perferre, qui tam ſęuos corporis dolores tam fortiter ferre didiciſſet. Chriſtianā verò pietatem ita coluit, vt eam principe ſemper loco habendam duxerit. Nam Brixianorum Pōtifex veſtro imprimis beneficio factus, quanquam imbecilla eſſet valetudine, tamen vrbe Roma profectus, eos populos fidei ſuæ creditos, commēdatóſque adiit: atq; in ſyncero cultu religionis ita diligenter continuit, vt eam prouinciam nulla vnquàm peruerſarum opinionum labes inquinarit. Non eſt, non eſt, inquā, Patres optimi, hæc pars iuſtitiæ, quæ ad Deum ritè colendum pertinet, vllo pacto negligenda ab iis, quibus regendarum ciuitatū adminiſtratio, & cura à Deo ipſo im-

primis tradita & conceſſa eſt. Ipſa enim religio, & ſacrorũ cultus ſi purè integréque ſeruetur, populos in fide & officio continet: neq; ſolùm intra vrbium mœnia, verùm & inter priuatos parietes pacem & cõcordiam nutrit. contrà, ſi à veteribus inſtitutis recedatur, ſublata ſacrorũ reuerentia, paulatim à diſceptationibus ad arma cõcurritur. Neque vnquã alicubi gentium conuulſa eſt aut immutata religio, quin & ſubitò ſit deletũ Imperium: adcò *altera ſine altero, neque diutiùs conſiſtere, neque deleri poteſt: quod quum optimè intelligeret Franciſcus, præcipuam in ea re curã ſemper adhibendam cenſuit, vt ſacris antiquus honos, cultúſque debitus religioni deferretur. & ſi quando apud Brixianos ſuos diutiùs commorari non poſſet, quòd à Pontifice Maximo ad vrbem accerſeretur, in ea gerenda prouincia eiuſmodi ſemper virorum opera vtebatur, quorum imprimis fidem, prudentiam, doctrinam maximè cognitam, ſpectatámque haberet. Solebat enim Franciſcus illud frequẽter in ore habere, bonum principem malis vtentem miniſtris, malo Principe bonis miniſtris vtẽte, multò eſſe deteriorẽ. Quapropter eorũ, quos apud ſe habe-

*alterum.

et,quorúmve opera vteretur,ingenium,
nores , vitæ inſtituta diligentiſſimè ob-
eruabat: atque in omnem partem per-
igil acutúſque ſpeculator, ità publicas
priuatas res geſſit, vt nullam vnquàm
nſignem iacturam aut dignitatis , aut
ortunarum feciſſe videatur. & quoniam
apientis viri eſt prouidere , vt mors ipſa
enè actæ vitæ reſpondeat,ne poſtremus
ctus inconcinnus, ineptúſve totam fa-
ulam deturpet, Franciſcus Cardinalis,
ebus domeſticis ad pietatem & benefi-
entiam ritè ſapientérque compoſitis,ſic
vita deceſſit,vt de domo in domum mi-
raſſe viſus ſit. Non fletu ſuorum inge-
nuit, non mortem plùs æquo exhorruit:
ed ad extremũ vſque ſpiritum Deo im-
nortali gratias agere non deſtitit, quòd
Chriſtiana pietate,in qua natus fuerat,
noreretur. Multos nouim⁹, grauiſſimos
ioqui viros,qui paupertatem, exilium,
rbitatem , morbos forti animo pertule-
int:at vbi incumbentem ceruici reſpe-
ere mortem, ſic animo ſunt collapſi, vt
loriofum præteritæ vitę curſum turpiſ-
mo exitu dehoneſtarint. vſq; adeò per-
auci ſunt inuenti, qui nõ hanc extremã
erum humanarũ lineam reformidarint.
uanquã viri fortis non eſt,ea nõ timere,

quæ timenda ſunt: ſed vt in cęteris rebus, ita & in timore modum quendam eſſe adhibendum ſapientes viri iudicarunt. Quid enim tam indignum viro, quàm lamenta, lachrymæ, commemoratio rerum linquendarum, & id genus multa, quæ horribiliorem mortis faciem repręſentant,& afferunt ſecum turpitudinem? Quocircà iure optimo Franciſcus Cardinalis, quem animum incolumi vita geſſerat, eundem retinuit moriens, hoc eſt, fortem atque inuictum. Obiit autem vir clariſſimus Viterbij, quod oppidum eſt Hetruriæ, annum ætatis agens quintum ſupra ſexageſimum. qui ſi nunc vos propinquos ac neceſſarios, quotquot adeſtis, afflictos luctu & in mœrore iacentes adſpiceret, in hunc, vt arbitror, modum alloqueretur: Non eſt ô amici, cur interitum meum immodicè defleatis: eorum enim lachrymabilis & calamitoſa mors eſt, quorum cum vita omnia extingũtur, non eorum, qui amplam gloriæ poſſeſſionem ſibi à Maioribus relictam, ampliorem fecerunt. Sanè domeſtica exempla virtutis, multo magis in cenſu hæredum ſunt, quàm diuitiæ & opes, quę mobiles & caducæ ſunt, poſſidentibúſque inuidiam, & interdum perniciem pariũt:

irtus verò altiſſimis defixa radicibus,
ulla vnquàm vi labefactari, nunquàm
oco dimoueri poteſt. Ego(quod ad glo-
iam Dei omnipotentis dixerim) non tã
liuitias & opes,quàm dignitatem ſplen-
lorémque familię noſtræ,& conſeruaui,
x auxi. Quòd ſi vos patresfamiliâs in 2.*Cor.* 12.
ugenda re familiari decet eſſe diligẽtes,
naturæ enim lex iubet, vt parentes filiis
roſpiciant, per quos etiam mortui vi-
lentur viuere) multò quidem diligentio-
es vos fore par eſt in augenda gloria,
uàm Maiores veſtri ſua virtute, atque
mprimis charitate in patriam, vobis pe-
pererunt. Quo in certamine ſi eos ſupe-
abitis,erit hic illis glorioſiſſimus trium-
phus: ſin vos ipſi ſuperauerint, erit hæc
llis funeſta victoria. Nemo enim iam
noſtrûm eſt, qui fato functi ſumus, qui
non modò cupiat tales vos eſſe, quales
pſi fuimus, verùm etiam præſtantiores.
Mea verò cauſa dolendum eſt veſtrûm
nemini, quòd è teterrimo carcere ad li-
bertatem, ab exilio ad patriam, à perpe-
tuis languoribus ad optimam & peren-
nem valetudinem, commigrarim. Quid
eſt enim aliud piorum hominum mors,
quàm ærumnarum finis, & vitæ princi-
pium melioris? quàm quum non aliter,

quàm moriendo aſſequi valeatis, quæ (malùm) amentia eſt, eam viam defugere, quæ ad meliora perducit? Itaque ſi me verè atque ex animo diligitis, gratulemini mihi, quòd periculoſo vitæ iſtius enauigato mari, portum iam teneam, fruárque hac ſolida & æterna gloria, quã Deus optimus maximus propoſuit iis, qui rectè cum fide & pietate vixerunt.
His (vt opinor) verbis vos propinquos, amicóſque, ſi poſſet, Franciſcus Cornelius cõſolaretur. Vos autem patres optimi, qui hanc pulcherrimam, fortunatiſſimámque vrbem, hoc domicilium firmiſſimi imperij paribus habenis iuſtitiæ & miſericordiæ moderamini, oraret atque obteſtaretur, vt ſuæ, Maiorúmque ſuorum pietatis in patriam memores eſſe velletis, vt familiam ſuam, ſi vobiſcum in fide officióque perſtiterit, paterno amore complecteremini: cuius quidem familiæ decora & ornamenta, quantacũque ea ſunt, veſtra ſunt: nam à vobis profecta, redeunt ad vos: maieſtatémque imperij veſtri cunctis nationibus & populis faciunt illuſtriorem. Proindè ſi hãc florentem opibus, clariorem virtute, pietate inſignem conſeruabitis, veſtram ipſi retinebitis dignitatem: quæ tota ſplẽdo-

re ciuium, legibus obtemperantium, cõtinetur. Diceret ſe, incolumi vita, boni ſemper ciuis officia præſtitiſſe: morientem verò declaraſſe, quàm optarit vobis eſſe coniunctiſſimus, quòd ad vos deferri ſuos cineres, atque in media vrbe veſtra condi teſtamento iuſſerit: vt quemadmodùm viuens nunquàm ab huius Senatus authoritate nutúq; diſceſſerat, ita & mortuum chariſſima parẽs patria dulciſſimo gremio contineret, donec audiat vocem filij Dei, & terribilem illum tubæ ſonum, pios atque impios in ſupremum iudicium conuocantis, quem ſcilicet clãgorem tantum abeſt, vt Franciſcus Cornelius perhorreſcat, vt eum etiam diuina fretus clemẽtia exoptet, auidéque expectet, quo reſurgens incorruptus, non ſolùm animo, verùm & corpore, gloria perfruatur ſempiterna. *Ioan.5.* *1. Cor.15:*

IN FVNERE
FRANCISCI GALLORVM Regis, Oratio Cynthij Ioannis Baptiſtæ Gyraldi, ad Herculem Ferrarien. Ducem.

ETSI ea eſt rerum humanarum viciſſitudo atque inconſtantia, Illuſtriſſime Princeps, vt nihil certi, nihil peren-

nis humana fragilitas ſibi polliceri poſſit: tamen inter has mortalis vitæ miſerias, graues illas quidem atque innumerabiles, ſatis benè ac feliciter cum humano genere actum eſſet, ſi quoties aliquis felici fato è cælo nobis demiſſus eſt, qui iis tum corporis, tum animi dotibus prędítus ſit, quibus ſpeciem atque imaginẽ quandam diuinitatis præ ſe ferat, tamdiu ſaltem in terris eſſet, vt mortale genus longis ſeculorum ætatibus eandem viuendi rationem ab illo poſſet addiſcere. Sed nos miſeros, atque plùs, quàm dici poſſit, infelices: vt grauior ſit mortalitatis noſtræ conditio, nobis aduerſa fata bona noſtra adeò inuident, vt in eos, qui præclaris dotibus ac diuinis propè virtutibus maximè excellunt, quàm certiſſimè de induſtria irrumpant: in eóſque omnem vim ſęuiſſimè exerceant, quos maximo nobis ornamento futuros exiſtimant, quaſi ex noſtris incrementis aliquid imminutionis eorum potentiæ eſſet euenturum: ſuáque maximè intereſſet, eos quàm primùm de medio tollere, quos vident mortalibus ſuo exemplo adeò profuturos, eóſque ſupra humanam conditionem adeò elaturos, vt eos Dîs immortalib⁹ penè pares poſſint efficere.

cuius quidem fatorum ſæuitię atque iniquitatis, cùm ſæpè aliàs multa acerba & miſera exempla viderimus: tum hac potiſſimùm tempeſtate id nobis propoſitũ eſt, quo nullum vel grauius, vel triſtius ne mente quidem excogitare quiſquam mortalium poteſt, nedùm oculis intueri. Frãciſcum enim Gallorum Regem, quo nihil maius, nihil auguſtius, nõ dixerim noſtra, ſed priſca tempora viderunt, impia fata, quaſi inſanabili vulnere nos afficere ſtuderent, ac noſtris damnis diteſcere, terris intempeſtiuè admodùm eripuerunt. Cuius interitu non tantùm Gallia, cui ipſe ſanctiſſimè imperabat, omnéſque alij populi eius ditioni atque imperio ſubiecti, ſed omnis Chriſtianorum Reſpub. tantam iacturam fecit, vt arbitrer illam vllis vnquàm ſeculis vix poſſe reparari.

Nimis me hercle, nimis crudeli exemplo, hoc Rege è vita ſublato, atque importuna hac nobis illata clade, fata oſtẽdêre, neminem eſſe adeò cælitibus proximum, quin in illum, cùm libuerit, ſuam ſęuitiam non exerceant, & duriſſimæ eorum nequitię grauiſſima nobis documẽta non præſtent. Nam ſi quid in terris ab hac ineuitabili fatorum lege liberum ac-

ſolutum eſſe debuiſſet: quis, quæſo, vel naturæ bonis, vel fortunę ornamentis, vel animi dotibus, vel rerum geſtarum magnitudine hanc ſibi magis immunitatem poterat polliceri hoc ipſo Galloрū Rege? quē Gallia, Germania, Hiſpania, nóſque cum vniuerſa Italia ac toto penè terrarum orbe extinctum lugemus. cui tu, Princeps Illuſtriſſime, facie & forma hac, plena fletus, plena miſeriæ ac infiniti mœroris, pietatis & neceſsitudinis ergò inferias facis. Primùm natura in ipſum ea bona contulerat, vt formam, ſpeciem, ac corporis ſtaturam heroicam planè, & totam ad dignitatem appoſitam præ ſe ferret: quæ non mortali imperio, ſed ipſa propemodùm æternitate digna videbatur. Erat enim in ipſo regia corporis proceritas, mira membrorum firmitas, ſingularis formæ tum dignitas, tum gratia, & diuina frontis maieſtas, in qua certiſsima pacis indicia, ſed belli notis admixta cernebas: amabilis verò faciei decor. qua quidem formæ pręſtantia, ac adſpectus ſuauitate, quod de P. Scipione Africano hiſtorici memoriæ prodiderunt, quæcunque vel pace, vel bello moliretur, ceu luminibus quibuſdam illuſtrata, lōgè clariora atque illuſtriora red-

debantur. Videbatur enim diuino quodam conſilio factum eſſe, vt præexcelſo ac cæleſti animo, qui huic Regi deſtinatus erat, pulcherrimum etiam domicilium pararetur, nè minora ipſo apparerent naturæ, quàm fortunæ ornamenta. Quibus quidem fortunæ ornamentis adeò reliquis omnibus antecellebat, vt ſeu imperij magnitudinem, ſiue regni tranquillitatem, aut vrbium & populorum numerum, quibus ipſe imperabat, vel cōſtantem ſubiectorū fidem, rerúmve omniùm copiam, ætatémque, qua Ludouico Regi inuictiſſimo atque ampliſſimo ſucceſſit, (vix enim XX. annū agebat) mente animóque conceperimus: vix alterum Regem inueniemus, qui imperandi felicitate cum Franciſco poſſit cōferri. Quorum quidem naturæ & fortunæ bonorum, licet lubrica ſit & incerta poſſeſſio, quòd illa minimo incommodo defloreſcant, & vnà cum ipſo corpore prorſus corruant: hęc verò fortunæ arbitrio ſic ſubiecta ſint, vt illius nutu ac renutu, accedāt & recedant, minimáque offenſione, perinde ac tempeſtate quadā, percuſſæ, nos nimia felicitate ebrios ſæpiſſimè fallant: tamen illos Dijs immortalibus longè alijs gratiores ſemper

exiſtimaui, quibus (licèt peritura perituris contulerint) hæc vnà cum animi bonis, & ampliſſima contigerunt, & ſpecioſiſſima, quòd illa mutam quandam hominis commendationem ac iucundã dignitatem ſecum ferãt, hæc verò virtuti & gloriæ tantum afferant emolumenti, vt ſine fortunæ bonis neminem eſſe poſſe felicem, ipſe veritatis philoſophus exiſtimarit. Sed quoniam longè maius eſt, ſcire vti imperio, quàm imperium nanciſci: quòd illud virtutis ſit, hoc fortunę, illud admirabile eſt, & ipſa dignum immortalitate, ſummum Regem eo animo eſſe, quo fortunæ indulgentia ac liberalitate non abutatur: ſed omnia ad virtutem, ad decus, ad honorem, ad gloriam ſumma prudentia ac conſtanti referat moderatione. Quæ ſanè omnia cùm prudentiſsimus Rex ſecum tacitus cogitaſſet; ipſéque ſibi interiore mentis ſenſu in conſilio eſſet, vel in primo adoleſcentiæ gradu talem ſe populis ſuis pręſtitit, tale probitatis ſpecimen dedit, vt omnes omnium ordinum atque ætatum, innumerabilia haberent quæ probarent, paucáque, quæ eius indulgerent adoleſcentiæ. Videbant enim in iuuene regio canam ac grauem conſiliórum maturitatẽ,

acre & certum iudicium, mentem atque
animum ad omnia ſumma paratum, ip-
ſúmque eo gradu laudis ac gloriæ viam
ingreſſum, vt nihil cuperet, quod non eſ-
ſet cum virtute dignitatéque coniunctũ:
nihílque vtile iudicaret, quod ab hone-
ſto eſſet alienum. Quibus quidem virtu-
tibus ac optimis vitę inſtitutis ſic ſen-
ſim in omnium corda irrepſerat, adeò
omnium mentem ſibi deuinxerat, vt
quæcunque ipſe cogitaret, diceret, de-
cerneret, omnes perindè rata ac firma
haberent, ac ſi ab ipſo deorum immor-
talium numine prouenirent. Erant enim
omnia eius dicta ac facta plena conſilij,
plena prudentiæ ac ſapientiæ: omnéſ-
que eius cogitationes, omnia vota, non
aliò tendebant, quàm vt iuſtitiam, atque
æquitatem coleret, & populorum ſuo-
rum cum commodo, tum gloriæ ſtude-
ret: idque tantùm ſibi lucro cedere arbi-
trabatur, quod populis vtilitatem decúſ-
que afferret. Quare tantus erat omnium
conſenſus in ipſo amando, colendo, ob-
ſeruando, vt nihil antiquius ducerent,
quàm optimi Regis voluntatibus aſſen-
tire, ac eius iuſſa libenter capeſſere, lon-
géque meliùs huic Regi parere iudica-
bant, quàm imperare. Cùm verò gene-
T

roſa illa animi vis, & accenſa quædam ad amplitudinem voluntas, inflammatúmque ſtudium ad res fortiter ac præclarè agendas, adoleſcentem Regem, gloriæ præter cæteros appetentem, magíſque omnibus laudis auidum, dies noctéſque ſtimularet ac pungeret: ipſe vel in primo imperij anno maximorum regum, quos non tantùm æmulandos, ſed ſuperandos ſibi propoſuerat, tropheis excitatus, poſthabitis omnib' ignobilis ac deſidis ocij deliciis, & deſpectis omnibus voluptatum illecebris, ad ea quæ honoris plena erant, & ſempiterna memoria diigna, mentem animúmque cõuertit. quarè cùm Rex Ludouicus, cuius virtuti nõ minùs, quàm imperio, Frãciſcus ſucceſſerat, totam Ducis Inſubriũ ditionem ad Gallorum Reges iure ſpectare arbitraretur, eámque vi & iniuria ablatam, ſibi bello & armis vindicare decreuiſſet, ídque ob repentinam mortem præſtare nequiuiſſet: Franciſcus ea, quæ rex mortuus cogitatione conceperat, re ipſa perficere decreuit. Omnibus igitur belli ducibus, quos in eius imperio egregios habebat, omnibúſque regibus ac principib' ſibi vel fœdere, vel amicitia, vel conſanguinitate, vel alia

quauis ratione coniunctis in vnum con-
uocatis, illis ſententiam ſuam expoſuit,
nter quos nemo fuit, qui nobilem ado-
eſcentis animum, ac regij ſpiritus gene-
oſam indolem non miraretur, ſummá-
que omnia de ipſo adoleſcente non ſpe-
aret: quandò ipſum tam fortia, tam præ-
lara intra primum adoleſcētiæ limē ani-
no cōcepiſſe cognoſcerent. Egregiis igi-
ur huius auſis nō ſecus fauerūt, ac ſi Re-
em maturioris ætatis, ac mira rerum ex-
erientia, in bellorúmque diſcriminibus
ſſiduè verſatum nacti eſſent. Nam etſi
ciebant ſe arduam ac perdifficilem pro-
inciam aggreſſuros, tamen ſuppudebat
eteranos milites minorē rege per ado-
eſcente animum ad res bellicas afferre.
Cùm autem exercitum his auſpiciis Rex
nſtruxiſſet, iámq; ſuperatis alpiū iugis,
omnibus itineris difficultatibus deui-
is, copias in Italiam perduxiſſet, Inſu-
rium Dux, qui tantum belli apparatum
erſenſerat, ſuis iam viribus diffidens, vt
ab imminēti hoſtiū impetu tutaretur,
agnum Heluetiorum numerū, qui bel-
orum omnium ac maximorū erant peri-
ſſimi, in Mediolanenſem agrū vocauit.
Heluetij verò, quos nemo vnquàm lōga
porum ſerie, ob cōfirmatā de eorū vir-

virtute opinionem, aut laceſſendos bello, aut tentandos putârat, cùm Regiam aciem appropinquare cognoſcerẽt, quaſi imperatorem adoleſcentem milites gnaui ac ſtrenui aſpernarentur, numero, viribus, ac ſolita vincendi felicitate confiſi, in Gallos impreſſionem facere ſtatuerunt, tanta alacritate, vt ipſam victoriam ducem ac comitem habere viderentur. Quod planè Gallorum copiis tantum improuiſi terroris incuſſerat, vt qui modò plurimùm audebant, tantam hoſtiũ vim, tanto apparatu inſtructas acies, ac tam iugem eorum in bellis gerundis felicitatem, cœperint formidare, & in tuto potiùs loco ſe optaſſent continuiſſe, quàm in tanta hoſtilis animi alacritate ad manus conſerendas deſcendere. & mediusfidiùs niſi admirabilis quædam huius Regis virtus in illo temporis articulo territis militibus ſubueniſſet, res omnis Gallorum peſſum iſſet. Nam ipſe, cui longè facilius erat in mediis hoſtibus animam fortiter pugnando effundere, quàm tantulum formidinis in magna rerum difficultate, & certo ferè vitæ diſcrimine præ ſe ferre, vt qui ſtatuerat vel Inſubrium regno potiri, vel occumbere: hanc primam hoſtium irruptionem ſu-

ſtinendam, eorúmque furorem contundendum, atque audaciam comprimendam, frangendámq; iudicauit: & in confertiſſimos hoſtes, collatis ſignis, irrumpendum, in denſiſſimáſq; acies validiſſimè irruendum cenſuit: omnémque vincendi ſpem poſuit in hac prima inſolentium hoſtium feritate domãda. Hoc igitur cùm ſecum Rex ſtatuiſſet, milites ac eorum duces ſumma illa copia ac ſingulari facultate dicendi, quam à natura in hortandis capiendíſque hominum animis admirabilem habuerat, ingenio adauxerat, & arte excoluerat, eos ignes ad bellum intrepidè ſuſcipiendum militum animis ſubdidit, eos addidit gloriæ ac laudis ſtimulos, (oſtendebat enim inimicorum ferociam, perpetuam illis fore materiã virtutis ac gloriæ, eóſque ſine victoris laude vinci, qui vel paruo negocio, vel nullo periculo ſuperantur, ideóque nihil fortibus viris optabilius eſſe debere, quàm cum benè paratis fortiter confligere, atque de victoria decertare) vt eorum animis maximus hoſtium contẽptus exortus fuerit, adeò vt qui anteà Panico propè terrore perciti erãt ac perculſi, ſeſe collegerint, ac vires ſuas aduerſum hoſtium inſolentiam experiri non modò

concupierint, ſed incredibili animi ardore flagrarint, & vincendi occaſionem ex inſolenti hoſtium irruptione arripiẽdam iudicarint, rati nihil aduerſi contingere poſſe, vbicunque tanti ac tam ſtrenui adoleſcentis virtus affulſiſſet. Eũ enim omnia conſilio regere, virtute tueri, ac fortitudine conficere poſſe ſperabant: quòd iam ſibi perſuaſiſſent, nullam rem eſſe in vſu militari poſitam, quę tanti animi Regem fallere potuiſſet, illiúſve prudentiam fugere. Rex igitur, cùm militum animos ad pugnandum accenſos videret, inſtructis equitum turmis & peditum cateruis, nihil eorum prætermittẽs, quę vel hortando, vel conſulendo, vel proſpiciendo, vel pugnando ad regem ac ſtrenuum imperatorem attinere videbantur, cùm iam ad Marignani oppidum ab vtroque exercitu magno pugnandi ſtudio ventum eſſet, ipſum equo incitato, omnium primus ſe in hoſtes immiſit, alióſque ſe ſequi iuſſit. Qui vbi Regem viderunt tanto animo in hoſtes vadentem, concurrêre omnes clamore ſublato, & diù dubio ac communi marte acerrimè pugnatum eſt. Sed cùm ad multam noctem pugna eſſet producta, & adſpectus vtrique exercitui

ademptus eſſet, nox prælium diremit. pugna igitur ab vtroq; exercitu noctis aduentu intermiſſa, Rex ad victoriã, quam noctis tenebræ interceperant, adſpirans, tum magnorum principum, decurionũ, centurionum, equitum, peditúmq; animos excitando, tum bellicas omnes machinas opportunis locis ponendo, tum turmas, legiones, cohortes certis ordinibus digerendo, totam noctem inſomnẽ peregit. Vbi verò primùm illuxit, ardentiore, quàm anteà, animo & maiori cum ſpe victoriæ obtinendę, hoſtes inuaſit. Hîc oratio mihi deerit, ac dies me deficiet, ſi quæcunque fortiter ac ſtrenuè in illo bello à Rege geſta ſunt, nũc velim dicendo complecti. Quare illud vnum vobis cõmemorare ſatis ſupérque duxi, nunquàm maioribus viribus aut maiori cõtẽtione pugnatum eſſe: ſed ea Regis Franciſci virtute ac felicitate, vt hoſtes collatas acies & Regis adſpectum, ardore victoriæ micantem, ferre non potuerint. Profectò Franciſcus quantum conſilio, viribus, belli ſcientia in ipſo virentis ætatis flore præſtaret, adeò abundè in hoc vno prelio demõſtrauit, vt omẽs priſcos duces atq; imperatores, omnes veteres triũphos contẽnat is,

qui repentinam hanc Franciſci de gentè pugnaciſſima victoriam ſibi propoſuerit. Conſtitit enim hoc vno prælio, hominem peradoleſcentem tantū virtutis habuiſſe, quantum imperatores omnes longa ſeculorum ſerie vix habuerunt: multorúmque fortium ac ſapiētum imperatorum gloriam poſt ſe lōgo reliquit interuallo. Non enim imparatas, imbelles, deſidéſve nationes vicit ac fregit, ſed illos milites fudit ac fugauit, quorum quilibet & corporis robore, & animi fortitudine, & belli peritia, imperatoris vicem gerere potuiſſet. Illos inquam magna belli contentione contudit, attriuit, ac propè deleuit, qui anteà nimia virium ſuarum fiducia ducti, ſe principum domitores appellarunt, & tantum omnibus gentibus inſuperabili fortitudine præſtare crediderunt, vt eorum arbitrio ad quæcunque vel vellent, vel nollent, omnes compelli poſſe ſibi perſuaſerint. Profectò iſti, qui ſe bello inſuperabiles arbitrabantur, ab vno adoleſcente didicerunt, ſe poſſe vinci, in hócque vno viderunt, quod olim Carthaginenſes in Pub. Scipione Africano, quid ſcilicet referat cum his militibus pugnare, quibus callidus, fortis ac ſapiens præſit imperator: in

quo ea omnia, quæ præcipua in Imperatore deſiderantur,& maxima exiſtant, & clariſſima. Nam Regis ductu atque auſpicio,efferatę huius gentis atque omniũ inſolentiſſimæ, hac vna pugna tanta cædes facta fuit, tantũ ſanguinis effusũ, tãtum pauoris ac formidinis ſuperſtitibus incuſsũ, vt qui è bello ſuperfuerũt,tã ingenti ac tam repentina ſtrage perculſi, non aliis præſidio eſſe, ſed ſua tutari ſtatuerint. Franciſcus igitur hoſtibus cæſis ac fugatis, & Inſubrium Ducis ditione potitus vniuerſa, tam longè latéque nominis ſui memoriam propagauit, vt nullus fuerit locus, tam agreſtis, nulla regio tam inculta,ad quàm tãtæ victoriæ fama non peruenerit, eámque apud omnes ſui opinionem reliquit,vt creditum fuerit,in tanta victoria nullũ fuiſſe locũ fortunæ, maximum verò inuicti Regis cõſilio atque virtuti, eiúſque nominis memoriam non fato, ſed omnium temporum atque locorum finibus terminari. Sed me imprudentem,qui huius Regis res cùm domi, tum foris bello fortiter ac ſapienter geſtas,in tanta temporis breuitate exprimere tento: quarum quidem faciliorem ingreſſum, quàm exitum video. Nam ſi mihi propoſitum erit dicendo enume-

rare, quo animo ſemper fuit contra potentiſſimos hoſtes, qui ipſi magnis viribus, ſummis copiis ac magno conſilio bellum intulerunt: quo ingenio eorum impetum declinarit, qua virtute ditionem, imperiúmque ſuum tutatus fuerit miſerio ac difficili bellorum tempore, nullum finem oratio noſtra eſt inuentura. Sed quoniam me clam non eſt, non me hiſtoriam componere, ſed orationem habere, à bellorum tumultu, à turbarum ſono & clangore, ad ea quæ ſine ſanguine, ſine cæde in pace geſſit, me conuertam. Ad quæ eo lubentius aggredior, quòd omnibus compertum eſt, ſapientiſſimum Regem non alia ratione bellum ſuſcipiendum eſſe exiſtimaſſe, quam vt poſt victoriam quam finem belli eſſe ſciebat, eius populi honeſto ac moderato in ocio, ac in ſumma pacis tranquillitate, ab omni perturbatione ſecuri vitam agerent. Et licet hac in re tam multa mihi occurrant, vt ſentiam mei muneris eſſe, non tantum ea perquirere quæ dicenda ſunt, ſed maximè ſtudere, quæ ex infinita rerum ſylua ſint prætereunda: conſulam temporis anguſtiæ, & neceſſitati orationis breuitate. Ex illis igitur ſeminibus iuuentæ Fran-

ciſci Regis, quæ grauior ætas cura ac ſtudio diligentius excoluit, ij fructus prouenerunt, quos omnes ab illo feraci bonorum omnium animo expectabāt. Nā cùm omnes homines ad iuſtitiam natos eſſe ſciret, tum maximè ſibi in animum induxerat rerum dominos decere, illam virtutum omnium reginam, & veræ perpetuæque commendationis fundamentum, integerrimè colere ac obſeruare: quo planè ſibi propoſito, regiæ æquitatis æquabilitate omnium commodo vtilitati, dignitati, ac honori conſultum erat. Summæ enim illi curæ erat, vt non quod ampliſſimæ poteſtatis, ſed incorruptæ æquitatis eſſet, in regno vbique appareret, omníſque ſub eius præſidio ac tutela, quod decebat, obtineret. Cùm autem Rex ipſe nimia rerum mole premeretur, & iuri dicundo præeſſe non poſſet, & iudiciis intereſſe, eos viros foro ac iudicio præfecit, quibus nec ſanctiores, nec æqui boníq; amātiores ſeueriſſimus ille Atheníenſiū Areopagus vnq̃ vidit. In rebus vero moderandis ac populis regūdis ea vtebatur modeſtia, ea humanitate ac lenitate, vt in eo ſūma grauitas eſſet adſperſa regia comitate, & cōdita benignitate ſeueritas, q̃etſi inter ſe cōtraria vidē-

tur, tamen in hoc vno ſic erant coniunĉta, vt nihil ſeueritati comitas, nihil grauitati benignitas, nihil maieſtati manſuetudo detraheret, ſed altera alterius ſplendore & illuſtrior fieret, & ſplendidior: quo quidem temperamento non frontis contractione, non elato ſupercilio, populorum reuerentiam aduerſum ſe parabat, ſed mãſuetudine, humanitate ac peculiari quadam ſermonis affabilitate. Satiùs enim ducebat, ſubiectos placidiſſimo regnandi tenore in ſui obſeruantiam ducere, quàm armis & terrore, quod hoc Tyranni eſſet, illud verò Patriæ Patris officium: quo ſanè omnes eum, quamuis Regem, longè magis amabant, quàm timebant. Eius verò munificentia tam inſignis fuit, tam ſingularis, vt nulla ferè ſit gens tam barbara, tam agreſtis, nullum hominum genus, nulli rerum domini, qui non dixerim mediocres, ſed vberrimos eius munificentiæ fructus nõ perceperint. Neminem enim cum ipſo beneficiis priorem certaſſe pœnitebat, & cum in reges & potentes viros munificentiſſimus eſſet, tum in eos præcipuè homines, ſiue exteri eſſent, ſiue Galli, qui moribus eſſent, & virtute & doctrina præſtantes. omnes enim non modò

honoribus dignitatibúſq; afficiebat, ſed veluti certum bonorum omnium perfugium, multũ etiam illis de theſauris ſuis ſuppeditabat, ratus eam ſolam precioſam eſſe pecuniam, quam largiendi ac liberalitatis vſu amplius non poſſideret: ꝙ in beneficio, ſumptu & honeſta largitione, rectampecuniarum functionem ineſſe arbitraretur. Videbatur enim Rex munificus ſibi quodammodo perſuaſiſſe, nihil ſe conſtantis ac firmi poſſidere, niſi quod dignis & merentibus erogaſſet, ſeq; nulla re magis frui, quàm ea, qua illi, quibus ipſe donauerat, fruerentur. Diíſque immortalibus longè maiores gratias habebat, quod multis & vellet & poſſet pro deſſe, quàm quod regnaret. hæcque de cauſa illud frequens in ore habebat, quo cúnque regno maius exiſtere, regias opes regio animo ſcire munificè elargiri. Magnifica verò vox, & regali maieſtate digna ſententia, digna inquam ſententia, quæ in regum coronis, in Imperatorum ſceptris vel aureis notis imprimatur. Huius vero liberalitatis multa ac magnanima exempla, prudens ac ſciens tacita prętereo: lõgè enim clariora ſunt, quã vllius indigeãt oratione. Illud tamen cũ munificentiæ, tũ ſingularis ipſius in ſubiectos

Franciſci Gallorum regis apophthegma.

benignitatis eximium atque illuſtre mo numentũ ſilentio non inuoluam, quod is præter regiam illã bibliotecam, quã ex omnibus linguarum antiquarum authoribus refertiſſimã fecerat, nullis ſum ptibus, nullo labori vnquàm pepercit, vt omnes omnium lingarum authores, qui vel de moribus & vita, vel de rebus for titer ac præclarè geſtis, vel de orbis ſitu, vel de prudẽtia & ſapiẽtia egiſſent in Gal licam linguam * omnes omnium ordinũ eius populi legere poſſẽt. Di immortales, ſi Ptolemæus Philadelphus literarũ monumẽtis probatur, ꝙ tantũ librorum numerum conquiſierit, vt illis pro regio ſplendore oſtẽdendo bibliotecam ſuam refertã redderet: quibus laudibus, quibúſve præconiis dignus eſt Franciſcus, qui non ad magnificam & glorioſam oſtentationem, authores omnes in patriũ ſermonem conuerti curauit, ſed tantum, vt qui eius Imperio parebant, quanuis aliarũ linguarum expertes eſſent ac ignari, totius tamen humanitatis rationem poſſent addiſcere, qua id ſibi vitæ genus eligerent, quo optimus Rex optimis etiam populis imperaret. At quo animi robore, qua cõſtantia, qua magnitudine ea omnia, quæ nos &

* *tranſlatos omnes.*

optamus & timemus, ſemper deſpexit? Ea profecto, vt nos homines infinitis ærumnis natos, nunquam ſecundis efferri, aut aduerſis conſternari oportere cenſeret, omniáque ſe ipſo minora arbitraretur, ac veluti cæleſti virtute ac ſapientia fultus intimis tantum bonis, quæ ab ipſa rerum humanarum domina nec afferri poſſunt, nec auferri, ſibi gloriandum iudicabat, quod ille qui eſſet tali animo, tali virtute præditus, nihil ſe perdidiſſe cum fortuna vllo vnquam tempore conqueri poſſet. Quo ſibi propoſito, vt res ſecũdas pulcherrimè ferebat, ità aduerſas non extimeſcebat, nihílque ab homine alienum arbitrabatur, quod illi pro lubrica rerum humanarum mutabilitate humanitus poſſet accidere. Hæcq́ue animi conſtantia fluctus omnes, qui reſtantibus ventis in ærumnoſo huius vitæ ſalo ipſum inuaſerunt, non ſecus ac vndas ſcopulus, perfregit: ſempérq; illi acer anim⁹ fuit, ſemper præſens: tantúmq; aberat, vt vllis procellis vel fluctuaret, vel obrueretur, vt dicere ſolit⁹ fuerit, nihil eo homine infelicius eſſe, cui toto vitę ſpatio nihil vnq̃ cõtigerat* infelicis, ꝙ de eo tã malè Di immortales iudicarẽt, vt illis indign⁹ vi-

deretur, quem humanæ ſortis admonerent, aut à quo aliquando fortuna poſſet ſuperari. Et profectò ex ſecundis aduerſa, & ex aduerſis ſecunda deducunt Dî immortales, ſuntque ipſi nobis perinde ac optimi parentes chariſſimis filiis. Nam ſicut prouidi patres non patiuntur eos filios ocioſos eſſe, quos ad liberales diſciplinas, & ad vitæ decus natos cognoſcunt, & illis plerúnque, quorum certior ſpes eſt, plus laboris imponunt, & exercitatione ſudorem, nonnunquàm etiam plagis lachrymas excutiunt: ſic Dî ipſi fortes animos aduerſis probant, eóſque docent dura ac difficilia non formidare, & ſeſe cum fortuna luctando ac pugnando exercere, vt egregia contentione, quid eorum virtus valeat, poſſint oſtendere. Fortis enim animi virtus eo magis ad victoriam excitatur, quo durius ac difficilius certamen ſibi videt eſſe propoſitum. Quæ quidem cogitatio faciebat, vt Franciſcus ſuis viribus nixus, in aduerſis (ſi qua contigerant) felix videretur, & in mediis tempeſtatibus ſecurus, ſecundo curſu mare placidum nauigaret. Maioríque ſibi adſcriberet laudi, quod fortunam, ſi quando cũ illa cõgreſſus eſt, vicerit ac domuerit, quàm quod

victores

victores gentium ſuperarit. Ad hæc autem accedebat eximia animi benignitas, & ſingularis in hoſtes clementia, ad quã non erat arte inſtitutus, ſednatura factus. Hac planè, extincto belli furore, nihil amplius ſanguinis appetebat, nihil vindictæ, & vna cum armis omne odium, omnes ponebat inimicitias. ſtatuerat enim longè pulchrius eſſe ac magnificentius, iniurias obliuioni tradere ſempiternæ, ac odium cum amicitia commutare, (quod de vno C. Iulio Cæſare literis proditum eſt) quàm de illis vindictam ſumere. Hac de cauſa illos, cum quibus paulò antè conflixerat, ſi ad eum fidentius acceſſiſſent, non perhumanè modò, ſed regio etiam apparatu ac ampliſſimis accipiebat muneribus, regníque in parte benigniſſimè ferè locabat, & quos perdere potuiſſet, fraternoanimo amplectebatur. Nã vt turpe exiſtimabat, pati ſe humanitatis officio ſuperari, ſic omniũ turpiſſimũ aiebat, in iniuria vlciſcenda alios ſuperare. Quo quidem omnibus manifeſtum eſſe poterat, quod etſi in ſumma pacis quiete prouidus Rex non adeò rebus ſecũdis fidẽdũ eſſe iudicabat, quin etiã cogitaret ea, qua plurimum pollebat prudẽtia, fortunam nunquàm ſimpliciter in-

dulgere,& in trāquilla rerum facie clàm nocitura quieſcere: eáque aliquando tēpora incidere poſſe,quibusmaximis prę ſidiis Regi ac rerū Domino ſit opus,ſuáque maxime intereſſe animaduerteret,ſe ad omnem vim ſuſtinendam ſic componere,vt quencúnq; impetum (ſi quando opus eſſet)poſſet propellere,& quamcūque iniuriam propulſare, & ea ratione magnas militum copias inſtructas haberet,ipſum tamen nemini iniuriū fuiſſe vltro nemini bella intuliſſe:ſed quæ geſſit,ſic impendiſſe,vt ea nulla poſſet ratione recuſare. Quid vero de eius erga deos immortales cultu,pietate,religione,obſequio attinet dicere? cuius tam acer vindex ac propugnator fuit,vt cùm Chriſtianiſſimi cognomē obtineret, CHRISTO, ſalutis noſtræ authori,ſe maximè Chriſtianū in ſanctiſſima eius religione & colenda & defendenda præſtiterit. Ipſe enim arcana quadam mentis vi iamdiù perſpexerat, quod vt regum impietate vniuerſum imperium vitium capit, ſic vera eorum religione ad veram pietatem excitatur, ſibíque facilè perſuadet eum regem nihil non honeſtū,nihil non publicæ vtilitati conſentaneum vel cogitare poſſe, vel decernere, qui integra

atq; incorrupta mente Deos immortales iuſtis afficiat honoribus,& ſanctiſſimis precibus veneretur. Proinde cũ illa Petri nauis nimis difficili ac periculoſa nauigatione in mare impiorum æſtu ac procellis agitaretur., & naufragium propè eſſet factura,ipſéque moderator eo diſcriminis iam redactus eſſet,vt clauo ferè amiſſo , concuſſum fluctibus nauigium, ac penè diſſipatum nullo ingenio poſſet moderari,non prius deſtitit Rex religioſiſſimus,quàm turbinibus ac fluctibus omnibus ſedatis,ſtrauerit illi placidum æquor ac maximè tranquillum ,quo ſe in tutum portum poſſet recipere. Cùm verò ex gentium annalibus vidiſſet Numam, Sertorium,Scipionem Africanum ſimulata quadam religionis ſpecie populos allexiſſe, eíſque multa ac maxima perſuaſiſſe,ſe & hoc & illud quam facilimè conſequi poſſe exiſtimabat, ſi dum ipſe æterni patris vnigenam purà mente colebat,eos quoque,qui quaſi Erymanthij apri vineam Domini, quam piis colonis tum cuſtodiendam, tum colendam tradiderat, immani morſu vaſtare tentabant,ab ea ſic abigeret,vt à letali eorum morſu non poſſet offendi. Quapropter quoſcúnque videbat hoſtilem rictum

intendentes , vel venenatos morſus in eam parantes, cruce,tormentis,incendio perinde ac ſues venator verubus , conficiebat.Qua quidem pietate effectum eſt, vt concuſſam miſeris his temporibus,ac propè labefactatam impiorum ſcelere religionem , ab eius hæreſeos labe, qua magno mortalium malo vniuerſus ferè Chriſtianus orbis infectus eſt,in tota eius ditione vindicauerit , ab omníque impietate prorſus incolumem ſemperſer uauerit:quo pio in religionē animo Dis immortalibus ſemper chariſſimus fuit. Sed quid ego lachrymabili hoc tempore ac calamitoſo , omnes huius Regis virtutes longa laudatione produco?quæ, vt vllo verborum ſermoníſve ſplendore illuſtriores effici non poſſunt , vlláue dicendi copia,vlla orationis vi complecti, (nulla enim eius vitæ pars laude & gloria caruit) ita earum cōmemoratione omnem hunc conſeſſum , omnem hūc ordinem adeò commoueri video,& acceptū vulnus adeo recrudeſcere , vt eo maiorē animis veſtris dolendi cauſam iniiciat, eo omnibus maiorem vim excutiat lachymarum , quo ego illas longiori oratione connumero , tibíque imprimis Illuſtriſſime Princeps , qui lugubri hac

& luctuoſa ſpecie fletus, intimi tui mœroris & conceptę mœſtitiæ (dum illi iuſta perſoluis) ſigna dediſti non ambigua.

Quare ne videar & tibi, & reliquis nõ minùs dolorem, quàm Regi defuncto gloriam dicendo comparare, hîc curſum ſiſtet oratio mea: pręſertim cùm pręclariſſimarum eius laudum apud omnes tam recens, tam celebris vigeat memoria, vt vno omnium ore prædicentur, extollantur, enarrentur, omnibúſque occurrant, vndecũquè clariſſimæ. quod ſanè, Inuictiſſime Princeps, ſi tibi propoſueris, in hócque acrem illam mentis acië intenderis, qua omnia prudentiſſimè circunſpicis, quanuis illum Regem intempeſtiua fatorum ſæuitia tibi ſurreptum doleas, qui Eſtenſem hanc domum tanta beneuolẽtia ac charitate complexus eſt, vt eam ſemper in tutelam ac clientelam acceperit, & arctiſſimo neceſſitudinis vinculo ſibi deuinctam voluerit: eum inquam Regem, qui amãtiſſimi huius in hanc familiam animi, tibi, Princeps Illuſtriſſime, ſignificationes ampliſſimas: honoratiſſimo verò Antiſtiti Hyppolyto fratri tuo optimo ac clariſſimo, ob ſingularem eius religionem, fidem, prudentiam, probitatem, reliquáſque egre-

gias virtutes, certiſſima dedit monumenta: tamen te ipſum colliges, & ab immenſa hac doloris vi animum auocabis. Quòd ſi aliquem doloris ſenſum triſte tanti Regis deſiderium (quæ tua humanitas eſt) tibi excitabit, tamen ſi cogitaueris eum, quàm diù opus fuerit, tam diù nobiſcum fuiſſe, pacatúmque regnum & longè amplius, quàm accepiſſet, reliquiſſe, eóque ætatis prouectũ fuiſſe, vt etſi nobis parùm, ſatis tamen ſibi, ſatis naturæ, ſatis gloriæ vixerit, ipſúmque in ſumma rerum felicitate ac trãquillitate è vita ſanctiſſimè diſceſſiſſe, gratulaberis potiùs Franciſco hunc exceſſum è vita, quàm illius vicem dolebis. Ipſe enim omnibus vitę actibus ſumma cum laude peractis, ex hac corporis cuſtodia, ex his mortalis vitæ miſeriis, & ancipiti rerum humanarum mutabilitate, relicta poſt ſe ea nominis celebritate, qua, quandiù inferior hic orbis erit, tam diù viuet in omnium animis celeberrimus, ad cæleſtem illam patriam, vbi felices æuo ſempiterno fruũtur, euolauit: ibíque inter cælites beatus, tranſactæ eius vitæ fructus debitos decerpit, ſempiternáque illa beatitate contentus, mortalia omnia, quantumuis egre-

gia ac ſplendidiſſima, deſpicit. à quibus planè cæli clariſſimis oris atque illuſtri plaga, cùm cæteros omnes, tum te rogat, Illuſtriſſime Princeps, ne ſuam felicitatem tuis lachrymis turbes, non magíſque doleas eum te amiſiſſe, quàm habuiſſe læteris, eiúſq; obitum non minus æquo animo feras, quàm ipſe olim vxoris chariſſimæ atque obſequentiſſimæ mortem, trium lectiſſimarum filiarum funera, ac tandem duorum filiorum regiis omnibus virtutibus ornatiſſimorum occaſum tulerit. Illúdque tibi eius deſideriũ leniat, àc mitiu's efficiat, quod ipſi quoque exceſſum ex hac vita minus moleſtum effecit, quod viderit Henricum filium in regni ſolio ſibi ſuperſtitẽ, in quo cùm ſubiecti populi, tum omnes huic Regiæ familiæ aliqua neceſſitudine cõiuncti, non ſecus, ac in ipſo, poſſent conquieſcere. Hunc igitur tanquàm ſpirantem imaginem, ac viuum parentis ſimulacrum intuere, in quo amiciſſimi Regis iacturam conſoleris. In huius enim animo paternæ virtutes adeò altè radices fixerunt, vt longè feliciores ac vberiores fructus, quàm in ipſo parente (licet illi vberrimi fuerint ac feliciſſimi) ſint producturæ. & mehercle crediderint cer-

ta deorum immortalium prouidentia, & arcana quadam fatorum diſpenſatione factum eſſe, vt hic aureus maximè parentis partus, ex omnibus ornatiſſimis Regis Franciſci filiis, ſolus maximo genitori ſuperfuerit: quod viderint eam Henrici Regis futuram virtutem, vt quędam aurei ſeculi ac priſcæ probitatis ſpecies, ipſo Rege, in vniuerſo eius Imperio debeat reuiuiſcere, cúmq; iis animi, laudis, gloriæ, fortitudinis illuſtrem futurū luminibus, vt ab ipſo vno omnium rerum egregiarum Principes omnes exempla deſumant, eiúſque præclara tum dicta, tum facta & præſens ætas, & omnis ſit miratura poſteritas. Nam ſi anteà, parente vitam hanc adhuc viuente, hic ferè ſemper in bellorum diſcriminibus eximia prudentia ac mira fortitudine verſatus eſt: tum verò in pace talia prudentis ingenij ſigna, magníque animi indicia dedit, qualia non à iuuene, ſed à viro benè maturo ſolent expectari: nemini dubium eſſe debet, ipſum nunc, cuius animo parentis ac omnium egregiorū principum gloria, quaſi fax quædam ineſt, quæ illum, perinde ac Themiſtoclē Miltiadis trophæa, ad res egregias dies noctéſque accendāt, in ſumma hac fortunæ

amplioris dignitate Imperio parem animum habiturum: acceptûmque honoris ac laudis patrimonium, non tutaturum modò, ſed mirum etiam in modum auꝿturum: talémque tandem ſe præſtaturum, qualem Imperij magnitudo, & concitata eius virtutis expectatio pollicetur.

IN FVNERE *SIGISMVNDI IAGELLOnis Poloniæ Regis, Staniſlai Orichouij Rhuteni Oratio.*

REx noſter mortuus eſt, ſi tamen ille mori potuit, quem ſua præſtans atque regia virtus, immortalem ante obitum reddiderat: quam ille cùm conſtanter in omni vita coleret, quid tandem eſt, cur hunc mortuum dicamus eſſe potiùs, quàm hoc mortali corpore exutum, ad illam immortalem vitam abiiſſe, ad quã ſibi iter ſobriè, iuſtè, ac piè viuẽdo parauerat? Abiit ergo hinc: nos flenteis ac dolenteis reliquit in hoc ſqualore ac ſordibus, quibus obſiti, in funere ipſius comparemus. nobis cum illo periêre omnia Equites: illi verò nihil, præter hoc mortale corpus, deceſſit: pro quo tamen ipſo, cumulatur nunc ipſius acta vita æterni-

tate, atq; immortalitate ſempiterna. Noſtra autem hæc mors verius, quàm vita, illius à nobis diſceſſu quàm afflicta, exinanitáque ſit, teſtes ſunt mœror hic veſter, ac veſtræ piæ lachrymæ, quibus deflemus non interitum Regis noſtri, qui nullus illi eſt, ſed orbitatem noſtram. Amiſimus enim, Equites, non Dominum: nihil enim ille minùs nobis fuit: ſed iuſtiſſimum Regem, atque indulgentiſſimum Patrem. qui cùm vnum &*quadrageſimum annũ regnaret apud nos, quod exemplum regnans non dedit iuſti ac moderati Imperij? aut quod monimentũ poſt ſe non reliquit in hoc regno, humanitatis, manſuetudinis, atque beneficentiæ erga vos ſingularis? Quocunque te animo atque oculis conuerteris, plena omnia exemplorum illlus ſapientiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ ac virtutum omnium reliquarum reperies. ſiue Eccleſiã Dei videas, quam ille integram atque incorruptam in Polonia præſtitit: ſiue ipſam Rempub. quam ille, tanquam bonus pater vnicam filiam in ſinu ſuo complexus, tam domi quàm foris, tam pace quàm bello, fouit, auxit, ac omnibus ornamentis cumulauit. in qua quidem Rep. talem ſe ille Regem geſſit, vt &

**quadraginta annos regnarit.*

omnes ante ſe Reges facilè vinceret, & cæteris poſt ſe ſpem imitandi adimeret. Cedãt huic omnes Reges: ſoli etiã ſcientiam regnandi concedant. Non Cyrus ille, non Ageſilaus partem laudis ęqualem ac gloriæ cum hoc petant, qui non tam rebus ipſis, quàm ſcribentium ingeniis magni fuerunt. de iis enim non ad veritatem hiſtoriæ, vt videtur, ſed ad imitationis exemplum Græci homines multa fictè ſcripſerunt. At hic noſter Sigiſmundus Regum Rex, non ſolùm benè viuendo ac ſapienter regnando, Cyrum atque Ageſilaum ſuperauit, aut ſi quid in Regũ genere maius hiſce fuit, ſed etiã illorum ipſorum ſcripta, qui de illis Regibus eloquentiſſimè copioſiſſiméque ſcripſerũt. Meliùs hic vixit, quàm illi dixerunt: meliùs regnauit, quàm præceperunt. Ita Sigiſmũdus Rex noſter non fictum neque ſtylo adumbratum, ſed viuũ exemplum, atque rebus ipſis expreſſum, cæteris regibus à Deo fuit propoſitum, vt in hoc Rege, ceu in quodam illuſtri monumento, eſſent repoſitæ omnes regiæ virtutes, vnde ſumi poſſet, quo humanũ genus ſeruari, quo regna adminiſtrari, quo iura, mores, inſtituta, leges in hominum vita ſanctè ac quietè poſſint retineri. Quid

ſolíſne Regibus ille exemplum viuendi fuit? minimè verò, Equites. Nemo enim etiam ſortis infimę reperietur, qui ad benè beatéque viuendum, ex hoc Rege exemplum non poſſit ſibi ſumere. ſiue enim religionẽ ipſam ſpectes, quem anachoritam ſanctimonia vitæ non vicit? ſiue etiam has virtutes vitæ cõmunis conſideres, nempe patientiam, obſequium, modeſtiam, ac temperantiam: quis non dico in ſummo imperio Rex, ſed homo ipſe priuatus, quem anguſta res coërcet, hac iſta commẽdatione Sigiſmundo par fuit? Pauci, Equites, & haud ſcio an aliquis omnino fuerit. Ita ille ſummam vitæ abſoluit, vt ſapientia Reges, priuatos verò moderatione vitæ antecelleret, talémque ſe in omni vita priuatim ac publicè præberet, vt id nulla orationis copia, vt par eſt, explicari poſſit, ne illius quidem Xenophontis Græci, cuius ore muſas tum loquutas ferunt, cùm Cyrum illum ſuum atque Ageſilaum verbis magnos faceret. At ne me quis ad Græcorũ morem, temporis ac luctus veſtri cauſa magna hæc facere exiſtimet, oſtendam Equites, talem Regem nos amiſiſſe, qualis in Polonia ante Sigiſmundum nemo, extra Poloniã verò pauci omnino apud

omnes gentes fuerunt, ſiue bona ipſius propria ſpectes: ſiue quæ illi natura aut fortuna largita fuit, conſideres, vt meritò mors huius optimi Regis dolorem huic Senatui, mœrorē Equeſtri ordini, ſqualorem Poloniæ, luctum ac gemitum omnibus attulerit: &, vt hæc ex iuſto dolore profecta eſſe, ac amore intimo omnes intelligant, breuiter mihi dicendum eſt, quod genus viri fuerit, qui in regnando mores, quæ fides erga illum & voluntas veſtra. Vtilis erit & grata hæc oratio non ſolùm nobis in malis noſtris, ſed etiam his, qui cum laude viuere, aut glorioſè regnare concupiuerint. Sic enim de Sigiſmundo Rege loquar, vt nihil niſi ſingulare, niſi regium, niſi diuinum, de hoc Rege à me ſitis audituri: ídque quod dicam, non facultate orationis meæ, à qua longiſſimè abſum, illuſtrabo, ſed rebus ipſius geſtis atque exēplis, cùm ſua ſponte clariſſimis, tum verò vobis notiſſimis. Non abutar enim conſcientia veſtra, Equites: falſam enim gratiam ab illo mortuo quid inire ſtudeam, quæ tota morte ipſius ſublata eſt? Sola illius virtus manſit immortalis, de qua ſine inuidia audiēdum eſt: vt illius clariſſimi viri recordatione ac deſiderio vota faciamus, quo

Deus noſter ſimiles Sigiſmundo regnare in Polonia velit, ſi non omnes, (nam id ſperare ferè iam fas non eſt) at ſaltem aliquos. hoc nos certè animo eſſe in hoc exequiarum munere conuenit, vt Deus non huic tantùm mortuo, ſed etiã ſi ipſi Poloniæ regno, nobíſque ſit propitius, noſtráſque res afflictas, atque in deſperationem propemodùm adductas, benignus adſpiciat. me etiam vt attentè audiatis, etſi rogãdi non eſtis, mœror enim hic veſter vos ſatis attentos facit, tamen vt conſuetudinem ſeruem, rogo.

Vuladiſlaus, quatuor, non quinque, ſyllabarũ eſt.

Sigiſmundus Rex, auum habuit Vuladiſlaum Iagellonẽ, qui ex Lithuana gente in Polonia regnauit primus: virum omnibus tam bellicis, quàm religionis laudibus cumulatum. qui cùm octo & quadraginta annos in Polonia regnâſſet, multa trophæa de hoſtibus omnis generis conſtituit, inter quos Germanos memorabili pugna ad Dumbrounum in Pruſſia deuicit: &, quod nulli vnquàm regum, * neque nationum de Germanis licuit, hic ſolus eſt inuentus, qui, cæſis in acie vno die Germanorum quinquaginta millibus, Germanos à Polonis poſſe vinci docuerit. Prætereo alias victorias atque triumphos ipſius varios

** aut nationum.*

atque infinitos, quod illi nunc nihil ad nos, & ſi ad nos, nihil ad hoc tempus; de quibus tamē eruditi homines multa ſcripſerunt. Hoc tamen dicam, id quod à patribus traditum meminiſſe debetis, magnum hunc & excellentem regem, ac admirabili regnandi ſapientia in Polonia fuiſſe, qui non ſatis ſe functum officio ac munere regio putabat, ſi tantùm res humanas adminiſtraret, niſi etiam res diuinas ſummo ſtudio curaret. Itaque Lithuanam ſine Deo gentem ac impiam antehac, ad ouile Chriſti primus adduxit, in Eccleſiámque dicauit. deinde, cùm literas ipſe nullas ſciret, tamen hic omne literarum genus, ac muſas ipſas tam Latinas, quàm Græcas, in Poloniam introduxit, nullum regnum eſſe ratus abſque literis, nihílque ſancti: ac iuſti, neque honeſti ibi poſſe eſſe, vbi philoſophiæ non verſaretur nomē: quod illa ex agreſtibus ciuiles, ex immanibus mites, ex barbaris doctos, ex hominibus, poſtremò deos ipſos faceret. Huic ergo tā excellēti ſiue arti, ſiue virtuti, ſiue diuinitati potiùs cuidam, Vuladiſlaus Iagello domicilium in ea vrbe collocauit, quę caput ipſius regni fuit. Cracouiæ enim gymnaſium condidit, q̄ omni virtutis, ingenij ac doctrinæ

laude ad hanc diem floret, vt inde, tanquam ex equo Troiano, innumerabiles viri prodièrint ſapientia & doctrina prę-ſtantes. In hoc enim gymnaſio Iagellonis opera, non ſepoſita aliqua philoſophiæ ſeu ſapientiæ pars tractatur, ſed tota ipſa, omnibus ſuis partibus perfecta atque abſoluta. Summa hæc laus eſt, Equites, ingens Iagellonis gloria, immortale etiam in vos, liberóſque veſtros meritum huius optimi & diuini Regis, quo ille tanquàm luce quadam atque ſplendore mirifico, obruit omnes victorias, laudéſque non ſolùm ſuas, ſed etiã aliorum, qui Sarmatiam illam feram & indomitám, hac iſta humanitate literarum expoliuit: vt, cùm ferocius gente Polona anteà fuerit nihil, nunc contrà beneficio doctrinæ hac eadem nihil videatur eſſe manſuetius, neque humanius. Hanc ergo humanitatẽ, quam in templis, quam in foro, quã in regno ac in moribus noſtris verſari videtis, Iagelloni Regi omnẽ debemus: qui acceſſitis in Poloniam literis, adhibitíſque earum doctoribus, nos ab agreſti vita ad ciuilem vocauit, nobíſque perſuaſit, humanitate & doctrina nihil eſſe melius: contrà verò, feritate ac inhumanitate nihil eſſe homine índignius:

indignius: qua vna re atque ſola immortalem gloriam ille eſt adeptus. Nam vincere bello Germanos, magnum quidem illi fuit: ſed quod victoriæ non bonorũ virorum ſunt tantùm, ſed interdum etiã malorum, ideò vera carent laude: at curare, vt piè, caſtè, ac religioſè viuatur ab his, quibus præſis, ſolius eſt (mihi credite) hominis pij, caſti, atque religioſi. Iam verò, niſi diuino aliquo animi motu Iagellò Rex maiora concupiiſſet, & niſi fuiſſet * natura philoſophia in huius viri mente quædam; quomodò ille aut de literis ipſis, aut de illorum doctoribus, ac de gymnaſio condendo cogitare potuiſſet, præſertim cùm literam ipſe legeret nullam? Quàm autem chara fuerit Deo Opt. Max. hæc Iagellonis mens atque voluntas, inde apparet, quod ipſius genus lõgè latéque regnare, non in Sarmatia ſolùm, ſed in Hungaria, Bohemia, Scleſia, atque Morauia longæuũ ac glorioſum voluit? vt Iagellana progenies, ſingulari Dei beneficio edita in hanc lucem eſſe videatur ad retinendos homines in hac ciuili ſocietate, ad erudiẽdam vitam illorum communem, ad conſtituenda regna, ad vnienda imperia, denique ad proferendos fines humanitatis

* natiua.

atq; religionis. Iam videtis, Equites, quę veſtra eſt ſapiētia, è quo fonte profluxerit Sigiſmūdus Rex ad hominum vitam gubernandam, atque conſeruandā, quàm puro, quàm ſancto, quámque repleto omni militiæ atque ſapientiæ laude immortali. Sed antequàm de Sigiſmundo dicam, audite per quos viros hæc auita virtus ad Sigiſmundum peruenerit. Iagellone è viuis ſublato, Vuladiſlaus eius filius maior nátu, huius autē Sigiſmundi patruus, regnum paternum ſuſcepit: digniſſimus filius illo patre, ac ſucceſſor, in tuendo paterno regno omnium acerrimus: qui extrema pueritia à Polonis Rex eſt factus: ineunte verò adoleſcentia, Rex eſt ab Hungaris abſens expetitus, bello Turcico maximo atque acerrimis hoſtibus. Tanta opinio de illo animos omnium peruaſerat, vt in illius indole ſalus omnium gentium repoſita putaretur, ita, vt & Polonis dare ſalutem, & Hungaros liberare periculis poſſe videretur. Tanta virtus huius Regis fuit, tantus ad virtutem impetus, vt præter ætatem, periculoſiſſimis temporibus, maximis vndiq; ſeptus hoſtibus, duo regna maxima Sarmatiæ atq; Hungariæ, ſumma atque incredibili virtute conſeruarit.

Scythas in Ruſſiam irruentes ſæpè vicit, Valachos Polonis adiunxit, Amuratem ipſum ſpe atq; cupiditate Hungariæ imminentem cum vniuerſa Aſia, ex Hungaria victum fugatúmque expulit atq; eiecit. Cui quidē Regi, veluti Aaronē quendam, ſanctiſſimum atque fortiſſimum virum Ioannem Capiſtranum de familia Franciſci, Eugenius quartus in ſocietatē Turcici belli miſerat: quo ille adminiſtro atque comite, non ſolùm Hungariã, ſed omnes Chriſtianorum prouincias ab æterno interitu conſeruauit. Nam quandiu vita incolumis Vuladiſlao fuit, tandiu Turcarum genus minùs potens, ac minùs formidabile prouinciis noſtris fuit. Illo verò Varnēſi prælio victo, quod ille virtuti ac rebus ſecundis cōfiſus, impari militum manu cum Amurate conflixerat, tantum Turcarum tyrãni poſteà ſunt adepti, quantum nunquam eo viuo optare ſunt auſi. in quo tamen prælio enituit illa Iagellonis excellens atque inuicta in hoc Rege virtus: cùm enim inclinaret iam victoria, ſpéſque in ſola reſtaret fuga, & cùm cæteri exceptis Polonis fugerent omnes, ille veluti Cæſar alter, ſui oblîtus, in confertiſſimas hoſtium cohortes, opem laturus ſuis, cum

magna hoſtium ſtrage ſe immiſit: & cùm quidam vi ex prælio reuocare iuuenem conarentur, ferox monitoribus reſpondit, non eſſe ſui ſanguinis, vincere velle, & fugere. ô generoſam mentem, & magno Rege dignam. Non ego te eo prælio periiſſe dicam Vuladiſlaë, neque immaturam mortem hoc loco deflebo tuã. Viuis enim rerum geſtarum gloria, & quandiu hic ſol terras adſpiciet, viues. Nam quod tibi aut puerilis ætas negauit, aut immatura mors ademit. id tu ſuppleuiſti virtute tibi: quam ad hanc diem, non Hungari ſolùm, pro quibus ſanguinem fudiſti, neque Poloni, quorum cum patribus illo in prælio occubuiſti, ſed illi ipſi Turcæ, gentéſque omnes barbaræ à te deuictæ, venerantur, fatalémque tuum ſanguinem, ad delẽdum Othomanicum nomen, ſibi eſſe arbitrantur. Sed me longiùs prouexit, Equites, recordatio huius Regis cum grato quodam deſiderio coniuncta, & quod hoc intuens corpus, de illis quoque recordor, qui ex eodem ſanguine erãt creti, vnde & hoc erat ſumptum. Nunc ergo relinquam patruum Sigiſmundi, tanti ac tam inuicti ſpiritus regem, & ad parentes ipſius iam vobis breuiter oſten-

dendos deſcēdam. Vos quæſo, quod adhuc feciſtis, me diligenter audiatis. Vuladiſlao Varnenſi prælio extincto, Caſimirus frater, huius autem Sigiſmundi pater, regnum ſuſcepit fraternum, atque paternū, & quinque & quadraginta annos in Polonia regnauit: quo in ſpatio res ille tantas geſſit, vt, ſi de ſingulis mihi dicendum ſit, abuterer tempore & auribus veſtris, Equites. ipſe etiam me ignorare viderer, ſi ad res magnas huius excellentis Regis orationem nequaquam parem adhiberem, præſertim cùm ad ipſum Sigiſmundum totā properet oratio. Hic tamen Caſimirus quantus rex fuerit, inde ſciri poteſt, quod contra potentiſſimos Reges atque ſummos Imperatores, non ſolùm ſuæ ętatis, qua ille regnauit, ſed omnis ante illum memoriæ, Poloniæ regnum incredibili virtute defendit. Nam cum Matthia rege Hungariæ fortiſſimo atque bellicoſiſſimo, bellum in Scleſia acerrimum geſſit, & Stephanū Valachiæ Palatinum, bellatorem inclytum, parêre Polonorum imperio coëgit, & Mahometem Turcarū tyrannum ex Valachia expulit, pacémque petere compulit. Pruſſiam maximo bello perdomuit: Moſcouiā deuicit: Scythiam

ſæpè repreſſit:pacem,ocium ac tranquillitatem, armis atq; legibus in ſuo regno diligenter cuſtodiuit quibus ille rebus cùm eſſet apud omnes clariſſimus, facilè obtinuit,vt externis etiam auxiliis regnum Poloniæ muniret, quod ſciret regna,niſi finitimorum opibus ac beneuolentia iuuarentur,firma non eſſe. Itaque quod armis atque bello aſſequi non potuit, vt pax illi cum Germanis de Pruſſia eſſet, id vxore ex Germanis ducta eſt aſſequutus. Nam de domo Auſtriæ clariſſima,atque totius Germaniæ potentiſſima, eáque imperiali, vxorem duxit Eliſabetam,hujus iſtius Sigiſmũdi matrem, filiam autem Alberti Ducis, qui idem Romanis,Hungaris,atque Bohemis rex fuit.*cuius nuptiæ, cùm eſſent plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, ac regiæ cuiuſdam maieſtatis, ita tamen fœcunditate atque prole beatæ fuerunt, vt vix è veteri Regum memoria vllius nuptiæ cum his Caſimiri conferri queant. nati enim ſunt inde filij ſex, omnes patri ſuperſtites. quorum, ſerie quadam mirabili atque diuina, Vuladiſlaus natu maior, in Hungaria regnauit viuo patre, Ioannes Albertus autem in Polonia patri ſucceſſit:illi Alexander,huic verò Sigiſmundus

* Qua.

hic Rex. reſtabant duo, quod illis credo meliora regna hiſce terrenis debebantur, Caſimirus & Fridericus: quorum alter in diuos relatus eſt, alter verò vrbis Romæ Cardinalis fuit. filias quoque ſeptem numero, ex hoc eodem matrimonio ſuſceptas, omnes Germanis principibus in matrimonium dedit. atque ita genere ac ſanguine ſuo cunctam Germaniam Caſimirus compleuit, vt pauci ſint ex omnibus Germanis principibus, qui conſanguinei non ſint Polonis. Felix Caſimirus hac iſta Deo grata, ac tam illuſtri apud omneis gentes ſobole, ex quo tot ac tanti orbis terræ conſeruatores prodiêrunt: qui, feliciórne in ſuſcipiendis liberis, an diligentior in educandis fuerit, non facilè dixerim. Nam vt filias prætermittam, quæ ſumma pudicitia & digna illo loco ac genere cura, à matre ſanctiſſima atque diligentiſſima fœmina educabantur: filij certè ea diſciplina fuerunt inſtituti, vt non Regis filij, ſed priuati cuiuſdam viderentur eſſe. Nullus in iis educandis regius ſumptus, luxus nullus, ſed ſumma moderatio in victu, amictu, atque cultu adhibita fuit. Nôrat ſiquidem ille ſapientiſſimus Rex, atque idem pater optimus, fundamentum

eſſe omnis reliquæ vitæ cùm priuatæ, tum publicæ inſtitutionem ipſam, educationémque puerilem. Hinc enim petuntur primùm rudiméta illa ad laudem & ad gloriam diſpoſita, nempe quid honeſtum, quid turpe, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid expetendum, quid fugiendum ſit, quid Deo, quid parentibus, quid amicis, quid ciuibus, quid legibus, quid ipſi denique Reip. debeas: quæ niſi tu ineunte ætate, in anguſta ac ſeuera vita cognoueris, inutilis homo, pernicioſus Rex tuis futurus ſis neceſſe eſt. Quid enim per Deos immortales ab eo expectes, qui ſine vllis honeſtis præceptis, ex puellarum cœtu emerſus, à cantu, à tibia, à luxu, à tripudiis, à vino, à ſomno, à ſtupro, ad ſummum imperium acceſſerit? Iactabit ſe, mihi crede, illius intemperantia in illa copia inſolentiùs, neque quomodò proſit, ſed quomodò obſit rebus communibus, cogitabit. Nam cùm voluptas ipſa per ſe virtuti ſit inimica, tum verò ſi ad illam poteſtas aliqua maior, aut imperium accedat, in furoré agitur, de ſtatúque omni menté exturbat humanam. Ex hac tali ratione illæ humani generis peſtes prodière partim crudeles, partim verò effœminati tyranni. Hinc enim Bu-

ſiris atque Phalaris illi veteres, hinc Nerones iſti recentiores ac crudeles tyranni: hinc etiam effœminati Sardanapali ſunt orti. quorum vitam ſi inſpicias, facilè reperies ineuntem ætatem illorũ non parſimoniæ neque diſciplinæ radicibus, ſed ipſius voluptatis atque licentiæ illecebris nixam fuiſſe. Horum exemplis admonitus Caſimirus Rex, nihil priùs habebat, quàm vt illam primam filiorum ſuorum ætatem certis legibus pudoris, verecundiæ, modeſtiæ, atque ipſius religionis adſtringeret, certò ſibi perſuadẽs, taleis filios ſuos in regnando futuros, qualis illorum educatio præcederet: & meritò quidem: inſtitutio enim puerilis Regum ipſorum, primum proculdubiò, medium, atque poſtremũ illis in regnando eſt. Hinc enim omnis ornatus vitæ, Regibus eſt petendus: hinc contra fortunæ tela præſidium ſumendum: hinc conſilium, hinc authoritas ac grauitas petenda: denique, id quod caput eſt, quid ſit Regem eſſe, quid deceat illum, quod officium Regis, qui vultus, inceſſus, victus, habitus: hæc ſola recta inſtitutio Regi demonſtrãt. Non capit hæc, mihi credite, anguſta ac nulla bona inſtitutione erecta mens, ſed vacillat ac titubat in

omni Regio officio ac munere. Qui enim Rex hæc puer non didicit, is vitam miſeram, deſertam, contemptam, infamem, ac obtrectationibus expoſitā agat neceſſe eſt. His ergo malis, atque his incommodis omnibus ab initio Caſimirus ſtatuit occurrere, præpoſterè ſe facturum ratus, ſi regnum ipſum filiis poſt ſe relinqueret, filios autem ipſos, quibus illud ſeruaret, negligeret. quare, ne videretur (vt dicitur) plus curare calceū, quàm pedem: ſumma ope requiſiuit, cuínam inſtituendos filios ſuos traderet. Erat illis temporibus vir doctus & bonus Ioānes Longus, Olugos à Polonis vocitatus: cuius vita probata, ac inculpati mores cùm illius commendarent doctrinam, facilè Caſimiro fuit perſuaſum, qui hunc filiis ſuis doctorem accerſiérit: vt ex eius viri præceptis atque inſtitutis, veluti ex fonte quodam, atque totius honeſtatis radice, flueret illa regia diſciplina, quam docti homines ſummam eſſe rerum omnium voluerunt: quę mentem, linguā, ac rationē futurorum Regum, ad Reip. gubernationem cum ſumma laude dirigeret. ſic Caſimirus non aliquem externū, aut alienigenam, ac ignotæ virtutis hominē, filiis ſuis præceptorem delegerat, ſed

Sarmatam ac Polonum, eundémque ſpectatæ doctrinæ ac integerrimæ vitæ virum. Ita ille non in externa inſtitutione, neque in peregrina adoleſcere mentem liberorum ſuorum voluit, ſed in Polona atque domeſtica. Nec iniuria. Vt enim ſemina, ſi in peregrinam mandentur terram, amittunt vim ſuam, ſæpéque in diuerſum genus abeũt: ſic puerorum ingenia, inſtitutione degenerant à patria virtute, vt ex duro Scytha mollis fiat Arabs, ex Latino Græcus, ex Polono Ital⁹. Quare Caſimirus, cùm ſe ſciret genuiſſe Reges, non Italis, non Græcis, neque Indis, ſed ſolis Polonis: cauit diligenter, ne quis primã illam indolem, niſi Polonus, fingeret. Adhibuit itaque Ioannem Longum, vt Polona inſtitutione, Polonus ipſe bonos Reges Polonis eo diligentiùs efficeret, quanto in illorum inſtitutione ſalutem non ſolùm regni, ſed ſuã etiam incluſam eſſe videret. Hoc ergo munere Longus nõ minùs difficili, quàm operoſo ſuſcepto, ſtatĩ ab initio amouit è conſpectu illius teneræ ætatis peſtem ac perniciem iuuentutis libidines omnes, & illarum authores. Non erant auditi in Longi ludo verſus impudici, non cantus, neque ſymphonia turpis,

quæ aculeis nequitiæ incendunt ad vitiū iuuenum menteis. nunquam ibi ſunt viſi turpiloqui, nunquam ebrioſi, nunquam mimi, nunquam amore ac vino & mendacio corrupti hiſtriones. denique, nunquàm illa diis irata, quā Itali appellant, maſcara in ludo illo fuit: nihílque earum rerū omnium, quarum imitatione atque conſuetudine in vitium labitur iuuenilis ætas, talíſq; fit quales ſunt ij, quorū conuictu lætatur. cum claudo enim, vt dicitur, claudus eris. Quare aures illorū Regum ab auditu, oculos à conſpectu talium flagitiorum diligenter fidelis magiſter continebat. Libri apud illum à Regibus illis pro maſcaris tractabantur: viri boni ac moderati, pro hiſtrionibus cum Regibus illis verſabantur. parſimonia vitæ, morum repræhenſio malorum, irriſio, virgæ mediusfidiùs ipſæ, atque plagæ, adminiſtræ illius inſtitutionis erant, atque comites. meminíque me audire de noſtris ſenibus, Caſimirum dicere ſolitum, nullum ſe acroama audire ſuauius, quàm eiulantem, ac virga cæſum ab illo magiſtro filium. ô Regem Sparta dignum, qui in illis lachrymis, ac in illius vitæ anguſtiis fundamenta benè ac ſapienter regnandi filiis ſuis repoſita eſſe

arbitrabatur. Itaque cùm magnarum rerum cupiditate, monitore Ioanne Longo, incenderetur aſſiduè præclara illa ad virtutem indoles, videtis quos fructus maturitate ſua poſteà tulerit. Quid enim aliud cauſæ putatis eſſe, quòd omnes vicinæ gentes atque nationes, ad Caſimiri domum, quaſi ad philoſophi ſcholam concurrerent, vnde non ſolùm Reges regnandi, ſed etiam magiſtros benè viuendi peterent? Nulla fuit alia, Equites, niſi ipſius inſtitutionis opinio. Hac enim impulſi ſunt Hungari, vt ab illo Vuladiſlaum Regem ſibi peterent. hac eadem Bohemi adducti Ioannem Albertum expetiuerunt, ita Alexandrum Lithuani, ita Sigiſmundum Scleſij. ô felicem tali prole Caſimirum: ô ter, quatérq; beatam Poloniam, quæ tantæ indolis primùm, deindè virtutis parens atque altrix extitit: quæ quanta fuerit, teſtes ſunt omnes gẽtes atque terrarum oræ vltimæ, quæ ab hac iſta virtute aut ſeruatæ, aut deuictæ, aut cum Poloniæ regno ſunt coniunctæ. Nec mirum, nacta em̃ fuit hæc virtus naturã Imperio aptã: ad quam cùm acceſſiſſet vſus, confirmatióque doctrinæ, ad tantã laudẽ dignitatẽq́, peruenit. & cùm omnes iſti optimi,

atq; omni laude digniſſimi fratres, florẽt ingenij gloria: ſic tamen inter hos Sigiſmundus excelluit, vt tantum ipſe vinceret omnium teſtimonio fratres quantum illi vincebant reliquos omnes. Nam quæ veſtra opinio, quãta etiam ſpes omnium de hoc iſto iuuene fuerit, teſtes ſunt comitia illa Caſimiro mortuo Pitrokouiæ habita, vbi cùm de Rege deligendo deliberaretis, hũc natu minimum, fratribus maioribus Ioanni Alberto, ac ipſi Alexandro, anteferre ad imperium voluiſtis: & niſi partim Eliſabet mater, partim verò Sigiſmundi ipſius continentia, fratri maiori concedentis, obſtitiſſet, ante tuliſſetis. Vos hoc loco appello huius regni robur atque firmamentum Thenciſci, quæ iudicia de hoc iſto Rege tum feciſtis? quanta contentione animorum atque armorum veſtrorum hunc Regem ſufficere patri voluiſtis? Quid tanto motu rerum ſpectaſtis aliud, niſi ſpeciem quandam atque opinionem excellentis virtutis, quæ cùm ipſa ſumma eſſet in Sigiſmundi fratribus, in hoc tamen ita excelleret, vt, quantum ætate ſuperaretur à fratribus, tantum ille ſplẽdore virtutis ac nominis ſui, fratres ipſo ſuperaret? quod autem ille ſe tum non

extulerit, & quod à præſenti iam regno ac oblato abſtinuerit, nónne hanc abſtinentiæ illius laudem, cuiuis regno anteponendã putabimus? Niſi enim inſediſſet in huius viri mente conſtans ac æquabilis ratio quædam vitæ, nunquàm ille, mihi credite, abſtinuiſſet ab eo, quod illi tũ ſumma voluntate ac incredibili veſtra conſpiratione datum oblatúmque fuit. Nam nõ volitare cupiditate gloriæ, non inflammari ambitione ad rapiẽda regna, præſertim cùm Rex eſſe poſſis, hoc omnium difficilimum opus eſt, Equites: hoc ſolius ſapientis, ac huius hominis eſt propriũ: qui tamen hoc ipſum, quod fratribus ante ſe conceſſerat, quàm cumulatè poſteà à vobis ſit adeptus, res ipſa docuit. Mortuo enim Ioanne Alberto, deinde Alexandro fratribus, vniuerſi hunc ex Scleſia ad regnum paternũ vocauiſtis, in ſummo ipſius regni diſcrimine, ſummóque periculo. ita in eo ſolo reſtare ſpem regni atque ſalutis veſtræ tum putaſtis. quo quidem regno ſuſcepto, ita illud vnum & quadraginta annos adminiſtrauit, vt omnibus opibus florẽtiſſimum vobis poſt ſe reliquerit. In quo quidem regno, qualem ſe Regem ille geſſerit, quibúſve artibus illud admini-

ſtrarit,res ipſa iam poſcere videtur,vt dicã:fuit enim hoc ſecundum è tribus,quę de hoc ipſo Rege dicenda ab initio propoſuimus. Vtinam, Equites,ea in nobis eſſet orationis facultas,qua,vt par eſt,dicendo explicare poſſemus, quinam huius regis in regnando mores, quæ artes, qui modus fuerit. Nunc verò cùm virtuti Sigiſmũdi Regis non tantùm mea,quę nulla eſt, ſed nullius omnino poſſit par oratio inueniri: date mihi hanc veniam, vt non tam orationem à me ipſam,quàm rerum ipſarum, quas is geſſit, cõmemorationem expectetis:quarũ recordatione ac memoria,& hoc mœſtum illius funus celebremus,& aliis pręſcribamus, quales Reges in regnãdo eſſe cõueniat. Ego enĩ ſic exiſtimo, in sũmo Rege quatuor has res ineſſe oportere,ſapientiã,iuſtitiã,fortitudinẽ,atq; clementiã. Quis igitur hoc homine ſapiẽtior Rex vnquàm fuit? qui, mox ſuſcepto regno,non vnam aliquam partẽ,regni, ſed omneis illius partes animo complexus eſt:quæ cùm laborare viderentur, præſentem medicinam omnibus ſummo cum præſidio attulit. Nam cum Poloniæ regnum maximis bellis, quæ pater ac fratres ante illum geſſerant, exinanitum, ac omni conſilio &

auxilio

auxilio deſtitutum accepiſſet, ineundam ſibi ante omnia rationem putauit, quo & auxiliis iuuare, & conſiliis firmare, & opibus reficere regnum poſſet. Multa illi ad ea expedienda, quæ animo conceperat, obſtabant: inopia primùm ærarij aſſiduis bellis exhauſti: deinde deſertum ab amicis regnum. Nullo enim tempore Poloniæ regnum maiori motu rerum fuit, quàm eo, quo à Sigiſmundo eſt ſuſceptum. hinc enim influebat tota in Ruſſiam Scythia: hinc bello affecta imminebat Valachia: hinc Aſia, Turca duce, minabatur nobis tota. cum Germanis etiam non ſatis certa nobis propter Pruſſiam pax fuit. Hic Sigiſmundus ſolus in medio relictus, ac magnis vndique periculis circunuentus, oſtendit patriæ illud ſperatum lumen animi, ingenij, conſilijque ſui. Omneis enim finitimos partim ſocietate ſibi adiunxit, partim fœdere reconciliauit, partim verò bello deuicit. Nam Valachiam, inſperata victoria de Ioanne Alberto elatam, fregit ac domuit. Scythiam quoque multis prœliis ſecundis deuictam, ad extremum tandem munificentia liberalitateque ſua in fide habuit: perfecítq; vt Scythę genus hominũ

ferum ac indomitum, liberalitatem ipſius potiùs, quàm arma experirentur: quem illi honorem, ante Sigiſmundũ, nulli Regum, ne illi quidem Alexandro domitori Aſiæ habuerunt. cum Turcarum etiam tyranno, cùm ab omnibus derelictus, ſolus periculoſiſſimum bellum gereret, fœdus ad extremum fecit, magis ex ſuorum tempore, quàm vt id vtile rebus cõmunibus arbitraretur. de quo quidem fœdere dicam alio loco, Equites: & ita dicam, vt hoc ipſum fœdus, quod nonnulli repræhendunt, magna neceſſitate factum fuiſſe oſtẽdam. Nunc dico, in his fœderibus atque bellis Sigiſmundum aliud ſpectâſſe nihil, quàm pacem & ociũ ſuorum: videlicet Polonia tot iactata caſibus, tot afflicta cladibus, tot denique oppreſſa malis, requieſceret aliquandò, & ſe ex diuturno labore, pace ac quiete reficeret: quæ eò miſeriarum iam venerat, vt neque priuatis, neque publicis opibus poſſet contra vim hoſtium ſubſiſtere. Ita enim Iagello Germanico bello, & Vuladiſlaus Turcico, & Caſimirus Prutenico atque Hungarico, & Ioãnes Albert[9] Valachico Poloniã attriuerãt, vt in media victoria victa eſſe propemodùm ipſa Polonia videretur. Qua-

re cùm ſpes reſtituendi regni nuſquàm, niſi in pace, Sigiſmundo reſtaret: propterea hanc ipſam pacem omnibus bellis, fœderibus ſocietatibus atque affinitatibus quæſiuit. Nam ſorores, quas habebat, in Germaniam nuptũ dedit: qua affinitate ille Germaniam cum Polonia nõ ſolùm coniunxit, ſed etiam Germanorum opibus illam contra omnem vim muniuit. nobiliſſimis enim ac potentiſſimis ex ea gente illas collocauit: qua ſanè re perfecit, vt illi primò omnium Poloniæ Regum pax cum Germanis firma eſſet. Nam quod is cum Prutenis bellum geſſit, priuatum illud bellum Prutenorum fuit, nulla publica ipſius Germaniæ authoritate ſuſceptum. & ne quid fortè, quod ad pacem ſpectaret, pretermittere videretur, cùm iam Scythas liberalitate, Valachos deditione, Moſcos victoria, Germanos affinitate ſibi ac ſuis obligatos haberet: reſtabant Hungari, quos etſi illis temporibus Vuladiſlaus frater cum Polonis coniungebat, tamen Sigiſmundus longiùs proſpiciens animo, Hungaros in perpetuum Polonis volebat deuinctos eſſe. Itaq; cũ Scepuſia domus princeps in Hungaria eſſet, Stephanúſque Tranſiluaniæ Palatinus,

rerum poſt Regem, primus in Hungaria potiretur, eius filiam Barbaram in matrimonium duxit, conſentiente Senatu, ac approbantibus bonis omnibus. Lęta hoc matrimonio Polonia fuit, nō tam, quòd ſocietatem illi nouam attulerat, quàm quod talem Reginam ex Hungaria acceperat, quæ ob ſanctiſſimos mores, caſtiſſimam vitam, ac ob admirabilem pudoris atque verecundiæ famam, Heſter fuit vulgò appellata. Sed hæc voluptas huius lætitiæ non diuturna Polonis fuit: nam Barbara annò quarto, poſtquàm in Poloniã venerat, vita eſt functa, magno cum mœrore ipſius Regis, dolore autem omniũ veſtrum incredibili. quæ tamen ipſa moriens, reliquit vobis pignus initæ ſocietatis cum Hungaris: filiam enim ex ea Heduigim Sigiſmundus ſuſceperat: qua Ioachimo Marchioni Brandeburgenſi in matrimonium data, pacem Polonis cum Marchia fecit. Ita ille hiſce artibus in omneis partes intentus, pace parta, Poloniam aſſiduis bellis afflictam, exinanitam, atque proiectam erexit, refecit, ac planè denuò conſtituit. Quanta hæc fuerit illius ſapiẽtia, ex aliis quoque poteſtis ſuſpicari, Equites. Alij enim pace bella quærunt: hic verò nihil

bellis niſi pacem quæſiuit. Alij regna ſuſcipiunt, vt finitimos bello vexent: hic regnum abſque finitimorum beneuolentia infirmū eſſe duxit. Alij fœdera ineunt, vt ad euertendam pacem ſpatium habeant: hic omnia fœdera, quæ cum Turcis, cum Scythis, cum Moſcis, cum Valachis habuit, pace terminauit. Quis hunc Regem non ad euertendos homines, ſed ad ſeruandos, non ad bello inter ſe committēdos, ſed ad pace coniungendos, natum fuiſſe neget? cùm enim pacem omni regno ſuo compararet, non tantùm ſuis, ſed etiam aliis gentibus atque nationibus pacis author fuit. & quod inter omnes conſtat, pacem mutuam Christianis prouinciis ſtabiliorem nunquàm fuiſſe, quàm Sigiſmundo rege fuerit. ſic ille non tantum quid ſibi ſoli vtile eſſet, ſpectabat: ſed complectebatur ad ſuam & ad cōmunem omniū ſalutē omnes finitimos reges atq; nationes. Pacis enim author omnib9 fuit: ad pacē inuitabat, hortabatur, ac monebat omnes. Valuiſſétque vtinam illius diuina vox atque ſententia apud Ferdinandū ac Ioānem Reges: ſtaret nunc, mihi credite, Hungaria: neque Turcis per illā ad nos, ac ad omnes pateret via. Verùm cùm illi Reges belli, quàm

pacis,eſſent cupidiores,Sigiſmũdúmque nõ audirent, ab Hungaria ambo exciderũt:cuius motu atq; caſu ea,quoque quę dudum antè habebãt, cum magno communium rerum detrimento, partim afflixerunt, partim amiſerunt: & meritò quidem: pace enim de medio ſublata, quid vtrique ſalui eſſe potuit? Pax enim eſt parens atque fons omnium rerũ bonarũ, Equites. ſine hac nihil hominibus iucundum in vita, nihil ſtabile poteſt eſſe:quam qui oderunt, feri & indomiti,ac crudeles tyranni ſunt habiti. Contrà verò,qui huius patroni atque authores fuerunt,ſoli homines, ſoli ſapiẽtes,ac generis humani conſeruatores ſunt dicti: & iure quidem: pace enim viuunt leges,excoluntur mores, tractantur artes. victus poſtremò ipſe, ad vitam degendam neceſſarius,ipſius pacis eſt fructus. quo etiã fit, vt difficilius ſit pacificum Regem eſſe,quàm bellicoſum. Quãto enim quiſq; ratione magis* deficitur, tanto eſt ferocior,& ad bellandum procliuior. at pacis author atque cuſtos nemo poteſt eſſe,niſi idem vir ſapiens fuerit. Eędẽ enim partes ſunt pacis, quæ ſunt ipſius ſapientis. Nam pacis hic finis eſt, vt in ea conuenientẽr naturæ ac legibus viuatur. qui finis

Pacis encomia.

* *deſicit.*

idem profecto eſt & ipſius ſapientis. Hoc enim ſolum ille curat, ne quid à natura ac legibus aberret. Quare nihil tam cum ſapientia pugnat, vt videtis, quàm odium, diſcordiæ, ac bellum. Hinc enim exiſtunt regnorum mutationes, hominúmque ipſorum ac legum interitus. quæ conſeruare ac conſtabilire eſt ipſius ſapientis. Quod in Hungaria ne eſſet, tanquam ex aliqua ſpecula denunciabat Sigiſmundus Ferdinando atque Ioanni tempeſtatem futuram. quam cùm illi non proſpicerent animo, demonſtrantemque Sigiſmundum non audirent, repente illa tempeſtas inuoluit ac corripuit omnia. Hungariámque ſine legibus, ſine iudiciis, ſine rege, ſine fide, expoſuit direptionibus & incendiis. At Sigiſmundus interea cùm conſcientia conſiliorum ſuorum niteretur, nunquam facere, agere ac moliri omnia deſtitit, quo, ſi minus pacem inter illos Reges conciliaret, regnum tamen ſuum ab illorum contentione abduceret. Qua in re tanta ſapientia tantáque moderatione fuit, vt in ſumma illorum contentione, vtríque charus eſſet, vtriq; ſocius atq; amicus. cũ quibus vt pacẽ & amicitiam firmaret, alteri, hoc eſt, Ioanni,

filiam ſuam Eliſabetam, è ſecunda vxore hac iſta grauiſſima atque clariſſima Bona Sforcia, de qua dicam alio loco, in matrimonium dedit. alterius verò filiam huic Auguſto Regi noſtro, filio autem ſuo chariſſimo atque vnico, quem nobis ex eadem Regina reliquit, collocauerat: quę nuper magno omnium cum dolore ac mœrore deceſſit. ita ille, non arma tantam opéſque omnes ſuas, ſed etiam ſanguinem ipſum, genúſque ſuum vniuerſum in pacis rationes conferebat: ſanguinéque ſuo quàm plurimas genteis atque nationes, ſibi regnóque ſuo obſtrictas eſſe volebat. & cùm bellicoſiſſimis nationibus, victorioſiſſimíſque populis præeſſet, tamen hanc tantam copiam, non bellorum opes ac neruos, ſed pacis inſtrumenta eſſe putabat. Quæ pax, inquam, in regno conſtituta, quanta bona effecerit, quas artes excitauerit, quas opes huic regno tam priuatim, quàm publicè pepererit, attendite, Equites: mentéſque veſtras paulíſper ab hoc mœrore veſtro, ad res veſtras abducite: quarum ſtatus, ante Sigiſmundũ, qui fuerit hæc veſtra præſens teſtatur copia: quam ſi conferre volueritis cum opibus illis veſtris prioribus, inopia ſumma atque egeſtas illæ videbun-

tur eſſe præ hiſce, quæ nunc ſunt. An vos illas opes putabitis eſſe Equite Polono dignas? quæ tam modicæ fuerunt, ac penè nullæ, vt legibus etiam veſtris cautum fuerit, ne triginta marcas dos Equitis filiæ ſuperaret. Non moderationis, mihi credite, ſed poſtremæ inopiæ hæc iſta lex fuit: cuius cùm nos (ita me dijamẽt) ſubpuderet, legem hanc dotalem tulimus, vt id quod inopia fiebat, lege fieri putaretur. cùm interim bene ſe illis res haberet, qui locupletes videri volebant, ſi illorum ſanctius ærarium ipſas triginta marcas haberet. Neque verò hæc inopia tantum in ordine Equeſtri fuit, ſed ipſi etiam medius fidius Senatores, ne plus cẽtum marcis dotis nomine filiæ nubenti darent, lege, hoc eſt, egeſtate, prohibebãtur. Sed quid ego dotem huius inopiæ ſignum fuiſſe commemoro? cùm capita occiſorum Equitum, tanquam pecudum non ipſius interfectoris capite ac ſanguine, ſed precio accentum marcis, contra omnia diuina ac humana iura, ſoluerentur? vt non multa, non pœna, non ſupplicio, ſed tam vili ære capita veſtra æſtimarentur, cædéſque expiarentur. Ex hac tãta, ac tam infami, támque impia æſtimatione apparet, egeſtas illa regni quanta

fuerit : quæ tanta fuiſſe videtur, vt animam quispro capite facilius daret, quàm hanc pecuniam ſolueret : quam vtique illis temporibus grandem fuiſſe conſtat, quæ nunc authore Sigiſmundo nulla eſt. Quid verò illa macula atque labes nominis ac generis veſtri, parum ne indicat, quàm inops à pecunia fuerit hoc regnum. Nam ſi quis fur pecuniam furto a quopiam veſtrum abſtulerit, capite plectitur atque ſuſpendio : ſi quiſpiam autem eum, cuius hæc pecunia fuerit, occiderit, pecunia occiſi caput ſoluit. ô commemorandas leges, & dignas, quæ in hac Rep. verſentur : quibus nos, tanquam pecudes, precio ac mercede ſicariis & interfectoribus addicti ſumus: quam vos non legem, ſed perniciem atque peſtem veſtram, primo quoque tempore de medio tollite, Equites, ſi ſalui eſſe, & boni viri haberi vultis de quo quidem ipſo erit fortaſſe nobis apud vos alius dicendi locus. Nunc vos iam perſpicitis, quanta hęc inopia fuerit, cui omnes leges diuinæ ac humanæ in Polonia ceſſerant. Quid? in priuatíſne tantum rebus hæc tanta inopia fuit? immo verò multo etiam maior in publicis. Recordamini enim per Deos immortales, illas angu-

ſtias ęrarij, amiſſa vectigalia, bona, villas, vrbes, atque prouincias regias pecunia obligatas priuatis hominibus : tum demum ſtatuetis, quantũ Sigiſmundo Regi debeatis, qui hęc omnia redemit, recuperauit, ac libera Reip. reſtituit: quarum rerum inopia erat factum, vt homines hiſtorici literis mandarent, Polono Rege miſerius eſſe nihil, & ita profecto res eſt, ſi tempora illa reſpicias, quibus illi ſcripſerunt. An vobis tum regnum hoc diues fuiſſe videbatur, cùm ſubſidia belli ac ornamenta pacis, mendicato pene Reges veſtri quærerent? cùm pignoribus, obligationibus, ac mutuationibus, non ſolum bella adminiſtrarent, ſed etiam domi viuerent? cum ita exinanitum erat ærarium, diminuta vectigalia, omnes villæ, poſſeſſiones, ſalinæ, prouinciæ pignori oppoſitæ, ac à regio vſu auerſæ, vt Rex ipſe neruis prorſus careret, quibus Remp. gereret? Quis vnquam non dico Rex, ſed priuatus homo, aliquid ſepoſitum ad vſus neceſſarios non habuit? ſoli ex omnibus Reges veſtri ſunt inuenti, ſine vllo ſanctiore ærario. Nihil fingo, Equites: memoria in medio eſt, res ipſa. Legite priuilegia bonorũ obligatorũ: facilè reperietis eò inopię redactos fuiſſe il

los ſuperiores Reges, vt, ſi non dico bellum aliquod ab illis eſſet gerendum, aut filia elocanda, ſed equus ipſe emendus, non prius haberent, quam aliquid adderent ad priuilegij ſummam. Quare cùm maximus nodus in Rep. ſit inopia rei pecuniariæ, ſæpè fiebat. vt pernicioſa conſiſilia Reges noſtri inirent auferendorum è templis vaſorum, ac nouorum impérandorum vobis tributorum, res etiam ipſas ad ſummam Reip pertinentes, inchoatas atque affectas, cum magno ipſius Reip. detrimento intermittebant. Difficile enim eſt efficere aliquid magni cùm egeas: quod pecuniæ nerui ſint omni benegerendarum rerum. Ex his tantis, tam diuturnis, tam poſtremis difficultatibus, anguſtiiſque, quibus omnes res priuatæ atque publicæ premebantur, Sigiſmundus Rex ſumma ſapientia atque incredibili celeritate hoc regnum expediuit. comparatis enim pecuniis, vndique collectis Ioãnis Boner opera, viri præclari atque induſtrij, ſalinas primùm, deinde præfecturas, poſtremò villas, vrbes, poſſeſſiones omnes redemit: æréque grandi perſoluto vectigalia conſtituit: fructus prouinciarum auxit: ærarium collapſum antea atque effuſum, ingenti pecunia cu-

mulatum atque refertum, vobis reíque veſtræ publicæ reliquit. Quid verò hoc eodem Principe atque duce, res veſtræ priuatæ, ex illa Reip. nocte à Sigiſmundo productæ, quanta luce & quo ſplendore nunc fulgeant, quis poterit, vt par eſt, dicere? Agri medius fidius, ipſi, ſyluæ item ac nemora, ruráque ac coloniæ veſtræ, quæ in pacis ſinu à Sigiſmundo collocatæ, medió (vt ſic dicam) ocij gremio nunc continentur: geſtire mihi videntur, atque huic authori, parenti ac conſeruatori ſuo gratias agere, quæ ſitu antea ſcalebant omnia: nunc verò hac noua luce opum & copiæ ab hoc illuſtrata, fulgent, mouentur, ſeſéque ad ſummam vtilitatem veſtram, reíquepublicę dignitatem efferũt. Eos enim fructus iam vobis ſubminiſtrant, vt hos nullum bellum, quanuis atrox atque diuturnum, exhaurire poſſit. Mandate hoc memoriæ, Equites: ſpero multa vos, liberóſq; veſtros ac maiora indies bona viſuros: in híſque ſemper ita exiſtimabitis, ſine Sigiſmundo Rege nihil horum vos fuiſſe viſuros. Nam ante illum quid ſperare potuimus, in illis præſertim tantis anguſtiis? cùm mentes animíque veſtri debilitarentur inopia, ipſáque egeſtas nobis ad omnia, quæ concu-

pieramus;magna atq; præclara,obſtaret. quæ nunc ſublata de medio atque remota,res noſtras ſecundas ornauit, aduerſis præſidium attulit: bello ſubſidia, paci verò ornamenta ſuppeditauit.auctæ iam ſunt veſtræ dotes, quarum modus non in lege vt anteà, ſed in voluntate veſtra pendet: viluit aurum, cuius vſus nimius iam faſtidium vobis parit, argentum etiam ipſum, non priuatorum hominum videtur eſſe,ſed illorum Regum ſuperiorum.Nihil de ære ipſo loquar, quod auro argentóque veſtro obrutum, vix iam comparet. Ita Sigiſmundus, quaſi alter ex Hieroſolymis Salomon, non copiam auri atque argenti, ſed vtilitatem Polonis attulit. & quod imprimis laudatur in Salomone Rege, quod ille diuturna
3.Reg.10 pace aurum atque argentum lapide vilius Hieroſolymis reddiderat, hac certè laude Sigiſmundus non ſolum illi par, ſed etiam ſuperior fuit. Salomonem enim illa copia dementauerat, ac à Deo
3.Reg.11. ſuo patrio auerterat, hic verò in vberrimis copiis,religioſiſſimus:in ſummis verò opibus, temperantiſſimus ad extremum fuit,nihílque ad vltimum ſpiritum curauit magis,quàm vt ipſius regnum in pace vigeret ingeniis, valeret doctrinis,

ac omni humanitatis & religionis laude floreret. Quando, Equites, hoc regnum, quando vberius ingeniis, aut cultius vnquam doctrinis fuit? nunquam Equites omnia ſe ſimul hoc Rege in Polonia profuderunt, pax, opes, literæ. Rarum fuit anteà, ac penè inauditum in Polonia Græcarum literarum nomen, quæ ita erant hominibus noſtris incognitæ, vt id, quod quis non intelligeret, Græcum eſſe diceret. Iam verò Latina ipſa oratio quàm abſona fuerit atque barbara, Biga & Baraletus ſunt teſtes, boni quidem illi viri, ſed tamen inepti magiſtri ac ruſtici. Conferte nunc cum his ea, quæ & ipſi didiciſtis, & in quibus liberi exercentur veſtri: non barbariam, ſed Græciam: non Sarmatiam, ſed Italiam dicetis factam eſſe Poloniam. Vt iam non Muſæ Græcæ, neque Latinæ, ſed vrbes mediùs fidius ipſæ, Roma atque Athenæ, honore, pręmio, ac fauore Sigiſmundi inuitatę commigraſſe in Poloniam videantur. Ita mens, ſonus, ac ſubtilitas vtriúſque orationis nō externa, ſed vernacula: nō peregrina, ſed domeſtica, in ore noſtrorū hominum verſari mihi videtur circūſpicite, Equites, quā vndiq; circūferātur verſus optimi: audite quibus laudibus ſolutæ ac iūctę orationis ſuauiſſimihui' Regis à po

lonis celebretur memoria. Nihil dico de me, cuius oratio, quantulacúnque eſt, aut ſi quæ omnino eſt, huius Regis beneficio creuit. Voluimus quidem & nos de hoc Rege aliquid dignum ex hoc loco veſtris afferre auribus: ſed tamen id aſſequi, tarditate, vt par fuit, non potuimus: ſtudio tamen certè & volũtate proximi illis ſumus, qui literas ſuas arteiſque optimas huic Regi acceptas ferunt: & qui hunc quaſi quendam mortalem Deũ, alto cęlo demiſſum, mirantur: ac harum ipſarum literarum operarum, quas illius beneficio didicerunt, cupiunt eum eſſe immortalem. Viues ergò ô diuine Rex laudibus carminibúſque noſtris. nóſque è cælo benignus adſpicies, tuóque numine ac munere hæc bona propria nobis velis eſſe, quæ hinc abiens reliquiſti. Commouit lachrymas, fletúſq; interpellauit orationem meam.

Sed tamen, quod inſtitueram dicere, par hic pacis artibus Salomoni Regi fuit conſtantia verò recti propoſiti, longè illo ſuperior: quod vt æquabiliter in omni vita tueretur, diffiſus ingenio, quæſiuit in ſuo regno ſocios tantarum rerum tuẽdarũ optimos ac probatiſſimos. Habuit enim ex delectis viris ſumma authorita-

te Senatum, ita vt hoc conſtet, in Polonia ſimili ſplendore * conſilium nullius Regis vnquam fuiſſe. tria autem præcipue in deligendis Senatoribus ſpectare ſolebat: genus primo ipſum, quòd maior authoritas apud homines neſcio quomodo ſpectatæ nobilitatis ſit, quam incognitæ: deinde, ſapientia præſtantes: poſtremo, ſententia & lingua liberos. Quod ſi quando in his legendis remiſſior fuit, in his magiſtratibus mandandis certè fuit, quibus ſumma non continetur regni, & in quibus homines non gerunt Remp. ſed gerere diſcunt. In ſummis autem regni magiſtratibus, quàm diligens fuerit, vt non repetam vetera, teſtes ſunt hæc lumina regni. Recenſete viros hos, & illorum familias, non vt illos laudemus, ſed vt in illis deligendis iudicium ac ſapientiam Sigiſmundi incredibilem admiremur. adeſt Princeps regni Tharnouia domus: quid ex hac eadem domo maius? quid rebus geſtis clarius? quid diis, hominibúſq; charius hoc iſto Ioanne Tharnouio Caſtellano Cracouienſi, hoc in Regno vnquam fuit? cuius tot extant victoriæ, quot ſunt huius regni inimici: tot trophæa, quot deuictæ prouinciæ: tot triumphi, quot ab illo ſub

*conſilium

regni atque præſidium Thenciſci? quæ ornamenta?quæ inſignia ſummæ atque excellentiſſimæ virtutis veſtræ, à Sigiſmundo non eſtis adepti?vidiſtis enim Andream ex veſtro ortũ loco, paruum quidem illum corpore, ſed ingenio ac eloquentia ſummum Caſtellanum Cracouienſem. Vidiſtis etiam Ioannem fratrẽ Palatinum Sendomirienſem nuper defunctũ. Sed quid ego mortuos commemoro? dùm tuipſe, Ioannes Sendomiriẽſis Palatine, coram hic præſens adſis, qui cum ob ampliſſimam, & haud ſcio an maximam in hoc regno familiæ tuæ dignitatem, tum vero ob prudentiam ſapientiſſimo ſene dignam à Sigiſmundo dignus es habitus loco iſto & ordine. Iam vero quomodo te, Staniſlae Laski, prætercam? cuius genus & induſtria, ſpiritúſque illi ſenatorij domi ac foris cogniti, apud Sigiſmundum tibi ſunt ſuffragati, vt Siradienſis Palatinus eſſes. Verecundius de te dicerẽ, Nicolae Brudzoui, ſi meo nunc iudicio vterer, nõ alieno. Quãto enim tua erga me beneuolẽtia maior eſt, tãto ego minus poſſem de tuo genere, virtute, ac doctrina dicere. Nunc verò quoniã ſenatũ Sigiſmũdi, nõ priuatos amicos cõmemoro: dico Sigiſmun-

dum in te fuiſſe ſecutum, vt Lanciciensis illi Palatinus eſſes, cùm genus ipſum virtutémque egregiam, tum verò vel imprimis literas, ſtudiáque doctrinæ, quibus inſtructus atque paratus, vocatu Sigiſmundi in illius ſenatum veneras, vt eſſetis cum hoc Petro Firlegio Ruſſiæ Palatino, quaſi quædam in Sigiſmundi ſenatu duo ſidera, ſplendentia omni philoſophię laude atque doctrinæ. Veſtræ quidem Senatores, ſucceſſit laudi hic Ioãnes Conſcielecius, in Nouuladiſlauienſi Palatinus clariſſima atq; munificentiſſima ortus familia, cuius Maiores tãtũ inopia publica, de qua paulo ante dixi, commouebantur, vt per grandem pecuniam, qua obligata bona Regia habebãt, Regibus remitterent: * Marigeburgóq; ac aliis ampliſſimis poſſeſſionibus vltrò Caſimiro Regi concederent: cum nummum nullum ex illa infinita obligatione acciperent: tanta fides Coſcielecíæ gẽtis erga veſtros Reges fuit, vt in ſumma ſua copia inopes ſe arbitrarentur eſſe, veſtro egeno Rege. Sed quid ago? aut quo progredior? Incidi in numerum veſtri Senatores clariſſimi, in quo difficile eſt ex vobis non aliquem, nefas quènquam præterire. Sed dabitis mihi profectò

**Mariæburgóque.*

hanc veniam: & quod in ipſo curſu orationis tam multos prætereo, quoſdam autem attingo, partim id tempori ac auribus veſtris ſeruiens facio, partim verò, quod me vox, lingua, latera prius in dicendo deficient, quàm, vt par eſt, explicem, quid in vnoquoque veſtrum deligendo Sigiſmũdus fuerit ſecutus. quãta tamẽ ſit authoritas omnium veſtrum cum ſumma beneuolentia Equitum Polonorum coniuncta, cum ex his, de quibus iam diximus, ſciri poteſt, tum verò vel maximè ex hoc iſto Andræa Gorçano Comite Poſnanienſi Caſtellano, ac ſuperioris Poloniæ præfecto: qui adoleſcens ac penè puer, ita commendatione excellentis virtutis Sigiſmundo Regi charus fuit, vt dignus ab illo & ſummis honoribus haberetur, & qui patri Lucæ clariſſimo viro in ampliſſima præfectura ordinéque ſuccederet. Cuius ea eſt authoritas apud omnes, ea dignitas, is vitæ ſplendor, vt nullius opes in hoc regno maiores vnquam fuerint. in quo quidem homine illud, quod Platoni illi philoſophorum Deo difficile videbatur, vt ſummæ pes cum ſumma virtute in eodem homine poſſent eſſe: ita vtrúnque cũ ſumma laude excelluit, vt nihil in Po-

ſuorum ciuium deuorarit, nihil agit, aliud dies atque noctes molitur, quã vt ne quis illi omnino ad ea obſtet, quæ concupiuit. Quare tyrannus omnis veluti quædam immanis bellua, in formam humanam inſuta, antequam ſternat ciues, vaſtet leges, ac ſolus deuoret omnia, ſenatum omnem tollit funditus, ſi quem habet, aut curat, ne quis in ſenatu illius ſit genere, ſententia, atque lingua liber. Ita tyrannus aut ſenatu caret, aut ſi quem habet, ex obſcuriſſimis quibúſq; atque nequiſſimis, linguáque ac mente ſeruis, collectum ſenatum habet: ſi tamen ſenatus dicendus eſt cœtus ille infelix, ex teterrimis quibúſque hominibus ideò conflatus, vt cum his tyrannus ſcortetur, potet, leges mutet, Rem. vexet, ac quorũ aſſentatione, quaſi œſtro quodam, plenus perturbatione atque pœnitentia, agatur in furorẽ atq; in amentiam: vt ita viuat ſine fide, ſine pace, ſine certo fœdere, ac in cõcurſu plorantiũ atque tẽpeſtate querelarum perpetuo verſetur, plenus turbarum atque tumultus. Cogitate hoc loco per deos immortales, Equites, & veſtros illos veteres tyrannos, & hos etiam aliorum nouos: vt hæc, quæ dico magis ex aliorum contentione, quam ex oratio-

ne mea intelligere poſſitis: quàm æquus Sigiſmundi ſenatus fuerit, quàm iuſtus, ſobrius, continens, atque ſanctus: vt facilè appareat, hunc Regem, non ſuæ cupiditatis gratia, ſed veſtræ ſalutis cauſa ſenatum ex his viris delectum habuiſſe. Quem ille ordinem tanta cura coluit, vt ab initio ſuſcepti regni plenum ſenatum ſemper habuerit optimorum Pontificum ac fortiſſimorum virorum, quod ſine iſto adiumento atque præſidio, neque ipſum ſe, neque regnum ſuum putaret eſſe diu turnum. Quam etiam ob rem tanta veneratione ſenatus apud illum fuit, vt Pontifices, dominos ſuos, Senatores vero, ſincere dilectos in literis appellaret. ô mentem non mortali aliquo regno, ſed ipſa immortalitate dignam. Cum enim penes * ſolum regni ſocios Senatores, & Pontifices dominos ſumma eſſet, tamen & regni habere volebat, vt regnum cum ſocijs certius adminiſtraret, & dominos ſua ſponte ſibi præponens, in ſumma poteſtate non inſoleſceret: & cum ſolus omnia in regno poſſet, nihil tamen ſeorſim ab ſenatu præter regium nomen haberet. quod tamen ipſum ſumma moderatione ipſius ſenatus temperabat, à

cum ſolū

cuius authoritate nunquã diſſenſit. nunquam ille;ſuadente ſenatu pacem, bellum geſſit: nunquam contrà, ſenatu ad bellum hortante, ille pacem fecit. Ita in conſilio ipſius partes nullæ,diſſenſio nulla fuerunt: ſed mirificus, illo gubernante atque prouidente, ad communem ſalutem conſenſus. Non ſenatus illi Reip. clauum in ſummis tempeſtatibus gubernanti è manibus pręripiebat: non ille viciſſim ſenatus quaſi nautarum remigationem impediebat. Sed cum in ſenatu alij venientem tempeſtatem denunciarent, alij pericula Reip. tanquam nauis oſtenderent, alij velis atque remis incumberent: ille tanquam ſapiens nauclerus, ad gubernacula Reip. immotus ſedebat: ſingulaque momenta temporũ, locorum, hominum ac periculorum expendens,eò,quò ſpes ſalutis oſtendebatur,conſilia ſuorum,curſúmque regni dirigebat.Hæc ratio ſenatus,hæc illius optimi atque ſapientiſſimi Regis fuit in hac Rep. prouidentia: vt mirum iam videri nõ debeat, ſi vna ex omnibus prouinciis atque terris,in tanto rerum omnium motu, Polonia ſalua atque integra ſteterit. Nõ caſu aliquo,mihi credite,id eſt factũ, neque fato.Rationi enim homines ſub-

bilíſque in ſenatu Sigimundi fuerit, mirũ non eſt, ſi ſoli propemodũm ex omnibus gentibus, ad hanc diem integri ſumus, & ſi hac iſta felicitatis parte Polonia, cæteras omnes prouincias antecellat, quarũ nulla illi hac iſta parte eſt par: non Italia, quæ variis ſeditionibus Regum cum plebe, libertatem amiſit: non Gallia, quæ ſæpius fuſa atque cæſa Regem ſuum captiuum vidit: non Germania, quę nunc ſtudio nouarum rerum, de libertate omni periclitatur. non Hungaria, miſera atque afflicta: quã diſcors à Rege ſenatus, puer verò Rex funditus euertit. nõ iam omnes oræ atq; exteræ gẽtes ac nationes, ſe hac parte vobiſcũ conferãt: quas omnes aut bellũ euertit, aut ſeditio afflixit. Sola Polonia Dei ſummo beneficio atque huius optimi Regis ſapiẽtia, ac conſilio cõſentientis ſenatus, cũctis nũc floret opibus, viuit ſuis legibus, moribus etiã ac inſtitutis antiquis veterẽ ſuã retinet dignitatẽ. nec propter aliã cauſam (vt iã dixi) niſi ꝙ in ea & ſapiẽs ipſe regnabat Rex, & Reges ipſi (hoc eſt, ſenatores) erant ſapientes: qui cum omnia diligenter proſpicerent animo, Rege in ipſa puppi Reipub. ſedente, ac clauum dirigente, nihil fortuna neque caſus in rebus noſtri

valuit: quæ ſi quid in rebus humanis valent, ibi certè valent, vbi non recto conſilio, ſed præcipiti temeritate aguntur ac feruntur omnia. Quare ſoli ex omnibus nunquã accuſarunt hoc Rege fortunam Poloni: nunquam de caſu ſunt queſti. Omnia enim ſecundum Deum & illius prouidentiam,in Sigiſmundi ac illius ſenatus ſapientia tã domi quàm foris, tam pace quàm bello, erant nobis repoſita. Subegimus hoc Rege gentes anteà inimiciſſimas nobis,atque inuictas:nõnullas nobis adiunximus: eáque omnia incolumi regno, ſaluis legibus, ac integra libertate, hoc duce geſſimus.domi etiam illo authore atque principe, conuenientiſſimè in ſumma beneuolentia publicè viuimus.ſubſidia belli ac ornamenta pacis, pàrta ab illo relictáque habemus, vt quocunque oculi noſtri inciderint, nihil deſiderent ex rebus omnibus, quæ ad vitam tutò ac tranquillè degendam pertineant. Eſt enim pax à Sigiſmundo conſtituta nobis:ſunt opes,vigent literæ, eſt fortis atque ſapiẽs ſenatus. Reſtat etiam hic Auguſtus filius ſpes vnica regni, atque tantæ laudis atq; gloriæ paternæ hæres: qui vt ea tueatur, quæ illi pater ampliſſima reliquit, hanc iſtam ſapientiam

patris aſſiduè intuebitur:res ipſius geſtas conſilia item atque rationes omnes adminiſtrādi regni ſibi proponet: quæ nullam rem eſſe declarant, in munere regio poſitam, quæ ſapientia Sigiſmundi Regis non compræhendatur. Verùm hæc iſta ſapiētia, quam ſummam fuiſſe in Sigiſmundo Rege,multis argumentis perſpicitis, & ſi per ſe ipſa ſumma ſit,(eſt enim oculus quidam mētis,quo à magnis atque excellētibus viris cauſæ rerum expetendarum,fugiendarúmque cernūtur) tamen hæc iſta ſapientia, niſi habeat iuſtitiam in adminiſtrando regno adiunctā, infirma eſt, rebus etiā humanis non multum ſanè proficua.Neque enim ſatis eſt, vt cauſam videas, qua ſtent cadántq; regni res,niſi etiam cauſis illis,aut retentis,aut remotis,æquabiliter,iuſtè ac legitime in ipſa Rep. verſere:vtque imprimis cures, vt in tanta varietate, rerúmque humanarum conuerſione,quàm minimi motus in Rep. exiſtant:quòd ſi qui acciderint, vt ſine detrimento communi accidant. quod cùm ſine maximarum rerum vſu vario atque diuturno teneri non poſſit, quis hac iſta laude Sigiſmundo excellentior Rex fuit?qui cùm beneficio longiſſimæ ætatis,(vnum enim & octua-

agam pluribus, Equites: neque exemplis vtar Græcorum ac Latinorum, & ipſorum etiam barbarorum. qui Reſpub. ſuas potentes ac florentes amiſerunt, dum in illis nullus habetur virtuti honos, nulla pœna vitio. Ex ipſo enim Sigiſmundo omnium iſtarum rerum exempla ſumi poſſunt: qui cùm ſapiētia illa magna atque incredibili inæqualitatem ipſam videret peſtem ac perniciem eſſe ciuitatis, ad eum finem dirigebat omnia, vt neminem eius Reipub. cuius hic Rex fuit, pœniteret: qua cùm æquabiliter illo Rege vterentur omnes, non metuebat, ne qui vir bonus atque fortis, contemptus ab illo ac neglectus, aut res nouas in regno moliretur, aut ſeditionem bellúmve ciuile ſpectaret. quod ibi neceſſariò fit, (vt iam diximus (vbi non æqualiter neq; iuſtè viuitur: quare vt remoueret à ſuo regno omnia hæc mala atq; incommoda, Remp. ipſam omnibus ex æquo vtendam ac fruēdam propoſuerat: ita tamen, vt ratione & boni ad illam admiſſi, & mali inde pulſi eſſe viderentur. Neque enim in Polonia improbitas atque indignitas deſperatione frāgebatur vnquàm magis, quàm Sigiſmūdo Rege: cōtrà verò, virtus, probitas, atque dignitas hunc

locũ honoris & gratiæ apud Sigiſmundum habuit, vt cùm genus ipſum illuſtre in claris viris adamâſſet, tamen ipſa virtute ſæpè poſterius clarum duxit genus: gradúmque ad honores ampliſſimos in ſua Rep. virtutem volebat eſſe, non genus. Dabis mihi hoc loco hanc veniam, Nicolaë Vuolſci, vt tuo potiſſimũ exemplo me vera dicere probem. cùm enim Equeſtri ortus eſſes patre, Sigiſmundóque, non generis neq; opum, ſed virtutis commendatione eſſes cognitus: hũc tibi honorem ille habuit, vt te & gynæcio clariſſimæ atque pudiciſſimæ huius Reginæ vxoris ſuæ præficeret: & ad te Sendomirienſem Caſtellanarum cum multis prouinciis deferret. Hoc ille diuino facto ſuo docuit, quàm iuſtus Rex eſſet, cùm tantum tuæ excellenti virtuti, fidei ac integritati tribueret, vt, quo genere ortus eſſes, quærendum ſibi non putaret. Quid verò tu, Martine Sborovvski? parúmne es tum expertus, quàm iuſtus hic Rex erga te fuerit, cùm tuæ ſpectatiſſimæ virtutis durior aliquando conditio eſſet? cùm enim virtute, conſtantia, ac magnitudine animi inuidiam calumniámque ſuperares, & ſalutem Reipub. libertatémque communem, tuæ oblitus,
maximo

maximo animo defenderes: tãtum apud Sigiſmundum ad extremum dignitate valuiſti, vt tua nimia (vti quidã putabant) in cauſa communi libertas, tibi ad hunc honoris & dignitatis gradum non obſtaret, quem nunc in Rep. tenes: quin verò etiam hæc iſta bona & animi & ingenij tui, in Caliſienſi hoc iſto Caſtellanatu tibi ſunt apud Sigiſmundum ſuffragata. Sed quid ego hos commemoro? cùm externi homines ipſi, atque aliunde orti, tantum apud illum virtute valerent, vt illis non in regno tantùm ipſo, ſed etiam in Sigiſmundi Senatu locus eſſet. Adeſt enim Seuerinus Bonerus, vir, Vuiſemburgo quidem profectus, ita tamen ob virtutem, ingenium, induſtriámque Sigiſmundo Regi probatus, vt nihil illi obſtaret ad honores huius regni externum genus. Cùm enim fides ac induſtria ipſius in omnibus officiis ac muneribus regni ampliſſimis fuiſſet cognita, illum Sigiſmundus & ſalinatorẽ fecit, & præfecturas mandauit, ac in ſenatum introduxit, in quo ille maieſtatem Reipub. veſtræ cum his ſeruaret, qui in hoc regno è vobis ſunt orti. & tamen apud Sigiſmũdum caruit inuidia: proptereà Bonerus, quod alienigena eſſet, ac Germanus, n. a

cum Alexãdro ac Procopio fratribus, ſic rem militarem in Ruſſia hoc Rege adminiſtrabant, vt eorum opera Ruſſia illa afflicta, ac anniuerſario hoſte penè deleta, requieſcat nunc, ac nouis coloniis ſolitudines ſuas compleat atque inſtauret: ita vt poſt hominum memoriam cultior Ruſſia nnnquam fuerit, quàm eſt nunc *Sieniauiorũ & aliorũ fortium virorum opera, quorum virtute ad hanc rem Ruſſia ſtetit. quæ cùm aſſiduis hoſtibus eſſet expoſita, fortiſſimorum virorum præſidio eam Sigiſmundus muniendam ſibi putabat: eiúſque prouinciæ magiſtratus, his potiſſimum mandabat, quorum animo ac virtute confidebat: veluti nuper paulò antè, quàm eſſet mortuus, Podoliæ Palatinatum ad Ioannem Mielecium detulit virum fortem, ac genere, ingenio, opibúſque præſtantem. Prætereo alios multos fortes ac claros viros, quorum virtutem Sigiſmundus ad res maximas iuſtitia ſua excitauit, beneficiis auxit, præmiis verò confirmauit. Eſt hæc diuina ſummi illius viri ac iuſtiſſimi laus, qui cum ampliſſimo ac copioſiſſimo Regno potiretur, illius omnes copias atq; opes, non ſuæ priuatæ libidinis, neque compẽdij ſui putauit eſſe, ſed eius Reip. cuius

Rex fuit. Quare quicquid poſitum erat aut in honoribus Reip. aut in vectigalibus ipſius Regis, earum rerum omnium diſpenſatorem ille ſe eſſe putabat, non poſſeſſorem neque dominũ. Quo etiam fiebat, vt hęc communicaret omnia cum viris fortibus, ac de Rep. benemeritis, ita vt cuiuſque dignitas ac meritum poſtulabat: ſummas opes Regum eſſe ratus copiam bonorum virorũ atque fortium, quorũ virtus ibi iaceret ſemper, vbi nullus ei haberetur honos. Quare cùm Sigiſmundus gratus eſſet erga optimi cuiuſque virtutem, cõmouit præmiis propoſitis ſtudia hominũ, non ſolùm ſummorum, ſed etiam mediocrium atque infimorum. Pro ſe enim quiſque hoc Rege excellere in Polonia ſtudebat. nemo erat qui aliquid non afferret in medium, quo Regi ſuo operam ac induſtriam probaret. Artifices ipſi mediusfidiùs, ac omne genus mechanicum, commodis ſtudiis, artes ſuas diligentiùs hoc Rege coluerunt, cùm viderent operas quoque ſuas placere Regi. Itaq; tanta copia optimorum opificum atque artificum hoc Rege fuit, vt Phidię illi veteres atque Polycleti & Apelles reuixiſſe in Polonia viderentur: qui pingẽdi, fingẽdi, ac dolandi arte,

illorum veterum artificum gloriam adę-
quarent. quorum cùm multa extent in
hoc regno opera pulchra atque viſenda,
tamen huius vnius arcis opus vincit ac
ſuperat omnia, quam ille præſtãtiſſimo-
rum artificum opera à fundamentis ex-
truxit, ac Cracouiam hoc iſto præſidio
muniuit, tanto ſumptu ac opere, vt non
hominũ, ſed deorum immmortaliũ ſe-
des arx iſta eſſe videatur. Quid verò Baſi-
lica huic templo adiuncta, paruúmne ac-
ceſſione ſui, huic ædi Venceſlai decorẽ,
dignitatémque attulit? in qua & pictorũ
operæ, & ſculptorum ac fabrorum ſin-
gularia & magnifica viſuntur. quam Ba-
ſilicam ille & religioni ſummi Dei con-
ſecrauit, & omnibus ornamentis (vt vi-
detis) illuſtrauit, corporíq; ſuo taberna-
culum hanc eſſe voluit: in qua illud, qua-
ſi quodã regio itinere defeſſum, non mi-
nùs lõgo, quàm moleſto, poſtremùm re-
quieſceret, ac ſupremam mundi diẽ ex-
pectaret. Quanta hęc Sigiſmundi iuſtitia
fuit, quàm potẽs, quàm magnifica, quàm
clara apud Deum, quàm nota & probata
apud homines? qui diſtribuendis æquali-
ter præmiis ac muneribus regni, in mu-
tua pace ac beneuolentia ſuos tenuit: &
ad virtutem bonos viros, cupiditate re-

illam quoque iuſtitiæ partem, quæ legibus traditur, abſoluit. cuius hæc ſumma apud Sigiſmundum fuit, vt conueniēter in hac ſocietate noſtra viueremus. ad hunc ille finem omnes leges ſuas retulit, quibus pax inter nos cum ſumma beneuolentia conſtaret. quas leges ſi inſpicias, tanquam in aliquo ſpeculo omnes ſenſus Sigiſmundi ac rationes expreſſas videbis. Nullam in his tyrannicam mentem, nullam vtilitatem ipſius propriam reperies. Veſtræ libertatis, Equites, veſtræ dignitatis, veſtræ maieſtatis ſunt illæ leges: quæ in Polonia ſolæ regnant, ac ex æquo vobis & Sigiſmundo Regi veſtro imperant. Neque enim ſolutus eſt Rex legib⁹ apud vos: nō quod illi vtile, id iuſtum vobis: non quod lubet, id illi licet. Romanæ ſeruitutis ſunt iſta carmina, quæ laudat nemo, niſi ſeruus ſit, aut Italus: qui quidem vt certiùs ſeruiret, ſcholas etiam ſibi (ſi diis placet) condidit: doctoréſque legum fecit, à quibus nil niſi ſeruire diſceret. qui doctores inquam legum iſtarum ſeruilium, tranſcenſis Alpibus, venerunt etiam cum talibus præceceptis ad vos: quos hîc paſſim iam vagari videtis, cū hoc iſto diis irato ſupercilio, ac peſſimo libertatis veſtræ exēplo:

quos vos, id quod facitis,cõtemnere debetis,Equites: & tanquam contagionem quandam, hãc iſtam Neronianam ſcholam fugere, regnóque veſtro pellere: ne iſtæ immundæ pecudes inficiant puros iuſtitiæ veſtræ fonteis, è quibus Sigiſmundus hauriebat leges veſtras, quibus communiter vobiſcum viueret. quarum legum ille lingua,non rex: interpres, nõ author:patronus,nõ dominus fuit: quas etiam ferebat authore ſenatu,volentibus ac iubentibus vobis. In qua ſanè ratione cũ ſumma moderatione atque æquitate animi fuiſſet, omnes illos veteres Solonas, Lycurgos, atq; Cretas Legumlatores viciſſe mihi videtur. nã illi ſeorſim à populo leges ferebant: hic verò nullam abſque ſenatus authoritate, ac ſcito veſtro communi,legem tullit. Illorum leges libidini populari ſæpè ſeruiebant. Sigiſmundi verò,nulli rei ſeruiunt, niſi vtilitati communi ac veſtræ libertati. Illorum legum nimia licentia tyrannidẽ in ciuitatibus pariebat, noſtra verò legũ diſciplina,nulli rei magis,quàm tyrannidi,eſt aduerſa. Quid ita?quia apud leges noſtras rerum & criminum, non perſonarum neque dignitatum,ratio eſt. Non quærebatur in Sigiſmundi iudicio, Ar-

chiepiſcopus ne, an Palatinus: Epiſcopus, an Caſtellanus: nobilis, an ignobilis: peregrinus, an ciuis reus eſſet. ſed remota dignitate omni reorum ipſorum, de re ipſa iudicium fiebat: in quo nocentes pœna legitima afficiebantur, innocentes verò ex lege abſoluebantur. Iam, quanta ipſius Sigiſmundi maieſtas in iudiciis publicis fuerit, quæ animi æquitas, qui modus, recordamini, Equites, & illam perſonam illius Regis in iudicio præſidentis vobiſcum cogitate: in qua expreſſa facies Reip. veſtræ cernebatur: ſtatus erectus ac celſus, lati ac patentes humeri, facies rotunda, rubentes genæ, oculi grandes, ac ſtabiles: minax ſupercilium, naſus ipſe grypus ac aquilinus, ſummo Rege dignus: vt non Caſimiri Regis, ſed Iouis filius videretur iudicio præſidere. ſic omnia ad imperium erant in illò Rege nata, vultus, intuitus, vox, latera, ſilentium poſtremò ipſum. In iudicio nunquàm audiebatur, niſi cùm oportebat: minùs etiam nonnunquàm, quàm oportebat. Nutu plura, verbis pauca conficiebat: tantáque moderatione linguæ ac continentia ſermonis fuit, vt illius, in ſummo imperio, nemo vnquàm verbum vllum aſperius audierit. Quare

ac virtutis ſuæ oſtenderet: tanta fuit opinio ipſius excellētis iuſtitiæ apud omnes, tanta etiam illius moderatio. Quid verò illud, cùm Ioannes & Ferdinādus Reges, ſummis inimicitiis incenſi, arbitrū hunc de Hūgariæ regno ceperunt? parúmne ex eo liquet, quanta exiſtimatione hic Rex apud omnes fuerit? quam ſanctiſſimam eſſe Reges illi putabant, ita vt arbitrio illius, nō ſolùm regna ipſa, de quibus ambigebant, ſed etiam dignitatem ſuam regiam committerent, id iuſtiſſimum fore rati, quod à Sigiſmundo probatum decretúmque fuiſſet. Præterea alia infinita domi & foris ipſius excellentis virtutis atque iuſtitiæ documenta, quę ille viuus conſtituit ad memoriā regni ſui ſempiternam. Et quoniam præcipua pars iuſtitiæ eſt pietas ipſa, parúmne hac quoq; iuſtitiæ parte excelluit? cùm religionem illam patriam atque auitam, cæremonias item omnes ſanctiſſimas, ţanta veneratione coleret, vt nihil illis melius, nihil religioſius eſſet, ne in monaſteriis ipſis quidem, non in his, quæ nunc ſunt, ſed in illis, quæ olim fuerunt. fide enim in Deum erat ſumma: hominem peccatorem ſe confitebatur eſſe palàm: nuſquàm ſpem veniæ, niſi in ſolo Chriſto habebat.

benignus in omnes, pius, clemẽs, ac munificus fuit. in Eccleſia verò, ne quid nouaretur, néve ipſius religionis vlla in re fieret commutatio, tanto ſtudio curauit, vt in minimis etiam rebus quæ vix cenſeas, diligentiſſimus fuerit. Vos hoc loco appello, ſanctiſſimi Sacerdotes, qui mœſti nũc pro illo ſacrificium facitis: ecquis veſtrûm diligentior omnibus religionibus atque cæremoniis conſeruandis hoc Rege fuit? Quoties ille vos admonuit, ſi quid à vobis non ritè factum, aut ſi quid de ſtatuto ſacrificio fuerat à vobis prætermiſſum? Candelam ipſa ceream medius fidiùs, vt maiora prætermittam, non ſuo loco ſtantem aduertebat: aut ſi ea ſacro deeſſet, vos admonebat. Neque verò id ille faciebat curioſus in veſtro munere, ſed quod minimis hiſce rebus aut ſublatis, aut intermiſſis, religionem ipſam intermitti, ac ſenſim tolli putabat: de qua ne vlla diminutio fieret, non ſolùm præmiis, ſed etiam pœnis in ſeditioſos editis prouidit. Gedanenſes enim ciues res nouas atque pernicioſas non in Remp. tantùm, ſed etiam in religionem molientes, ſupplicio affecit: ſumma tamẽ moderatione ac æquitate. paucorum enim pœna contentus fuit, ad ſalutem re-

liquorum. Ita ille cùm fundamentum omnis Reip. religionē ipſam ſciret eſſe, & cùm ſibi multorum exemplis ac literis ſuaderet, mutata religione, mutari regna: ſumma religione ipſe fuit, & vt cæteri quoque eſſent, curauit. ad quam colendã ac retinendam, vt expeditior ipſe eſſet, multis exercitationibus ſe comparabat. ſumma enim abſtinentia ieiunabat: dies feſtos celebrabat: nũquam publicè quicquam agebat, priuſquàm ſacrificaſſet, ſacróque interfuiſſet. verbum Dei diligenter in concionibus audiebat, ac iuxta illud viuebat. ſobrius in omni vita Rex fuit: nunquàm ebrius eſt viſus: nunquàm vino aut amore inſolens ac intemperans. Ad hunc modum ille cùm ſumma moderatione victus fuiſſet, paratus ſemper erat ad regium illud opus atque munus: in quo exercendo carebat furore illo, qui ex intemperantia cibi atque vini ducitur. quo remoto, ſumma fuit humanitate ac incredibili religione ad vltimũ vſque ſpiritum, ita, vt etiam animam ipſam agens, hunc iſtum Vitum monachum de Dominici familia, ſacrificantem diligenter audiret, ad ſingula verba paſſionis Chriſti Dei noſtri, ſuſpirando, ingemiſcendo, ac flebiliter precando, quo Deus ipſe

cõſpectu lętantur, ab Aquiloníſque partibus aduenîſſe gaudẽt Regem iuſtitia ac pietate inſignem, ſocium felicitatis ſuæ, atque immortalitis participem: quo nemo vir melior apud non natus eſt, nemo pietate præſtantior: nunc ille vos ex alto intuens, Equites, à Deo Opt. Max. precatur, vt vos felices ac ſaluos velit eſſe, veſtrúmque hoc regnum conſeruet, quod ille ſumma ſapiẽtia ac ſingulari iuſtitia viuus rexit, ac omnibus legib⁹ præſidiíſque ornauit atque inſtruxit: ſummáque in illo tuendo conſeruandóque animi magnitudine, fortitudinéque fuit. de qua ego breuiter dicam. fuit enim hoc tertium, quod in ſummo Rege ineſſe oportere diximus. neque enim ſatis eſt, ſapientem ac iuſtum domi eſſe Regem, niſi etiam is regnum ſaluum pręſtet, & ab omni externa vi defendat. Qualis vtique Sigiſmundus fuerit, conſtat: qui quo die Rex à vobis eſt factus, motus domeſtici illum, deinde externi cum maximo nouatum rerum metu exceperunt. Recordamini enim, Equites, qui motus ille in Lituania, qui timor fuerit, cũ Michael Glinski homo eius gentis potẽtiſſimus atque ſeditioſiſſimus, mortuo Alexandro Rege, principatum Lituaniæ

peteret, ad quam illi rem cùm & animus non deeſſet & copia, tamen is Sigiſmundi primùm nomine, deinde conſpectu fractus, debilitatúſque arma poſuit, pacémque ſupplex petijt, ac poſtremò in illius fide fuit. Manſiſſet autem vtinam in ſententia: nunquàm tantis cladibus, tantóque hominum interitu Lituaniam cum Moſchouia commiſiſſet, cùm enim Michael Glinski moliri multa occultè in Lituania nunquã deſiiſſet, à Ioannéque* Zabreſinskio marſalco Lituaniæ, appetiti principatus reus fieret: non cogitabat, quomodo ſe Regi purgaret, de quo arguebatur: ſed quomodo accuſatorem ſuum, primo quoque tempore è vita tolleret. Itaque oblitus clementiæ regiæ, quam primò ſtatim Sigiſmundi in Lituaniam aduentu, incredibilem erat expertus: iuſtitiæ etiam huius ipſis Regis immemor, in qua etiam nocenti perfugium eſſe poterat: nulláque ratione harum rerum omnium habita, multa nocte Ioannem* Zabresſinskium aggreditur, & quieſcentem iam, ac nihil tale cogitantem inuaſit, ac domi ſuę hominem nobiliſſimum occidit. magnum crimen, ſcelus ingens, vis non ferenda, cuius ille magnitudine perterritus, vt
ſcelus

ſcelus ſcelere cumularet, ad Baſilium Moſchum profugit, illúmque ad inferẽdum bellum patriæ ſolitare cœpit: facilẽque ſua ſponte ad id iam parato Baſilio perſuaſit, vt cũ Maximiliano Cæſare fœdus faceret, ab eóque futuri belli ſubſidiũ contra Sigiſmundum peteret. Nihil propiùs eſt factum, quàm vt Maximilianus immemor tum nominis ac generis ſui, omnibus ſuis copiis ad inferendum bellum Sigiſmundo Baſilium iuuaret: quod tanto apparatu rerum omnium à Baſilio erat geſtum, vt neque maiori cõtentione, neq; maioribus copiis inter Lituanos & Moſchos vnquã certatum fuiſſet. Hic Sigiſmũdus, etſi eodẽ tẽpore aliis quoque bellis Scythicis, Vualachicis, atque Turcicis diſtrictus eſſet: tanta tamen animi magnitudine in bello Moſchico ſuſcipiendo fuit, vt nullum aliud bellũ gerere videretur. non terruit illum Maximiliani Cæſaris imperatũ cum Moſcho fœdus, non copiæ ab illo ſuppeditatæ gerendi belli, non ipſius Baſilij exercitus ante hãc diem inuictus. Incredibili enim celeritate exercitu ex Lituania collecto, militibus etiam ex Polonia accerſitis, magno animo aduerſus hoſtem contendit, ac Boryſthene amne ſuperato, cum hoſte

acerrimè cõflixit, quem memorabili pugna deuicit, non in præſens tantùm, ſed etiam in poſterum: nam eo prælio videntur omnes vires concidiſſe Moſchorum, quæ ante hàc graues Lituaniæ ac inuictæ videbantur eſſe: & quę ante illam cladem tantæ fuerunt, vt Moſchi præ ſe cæteros mortales omneis contemnerent. quibus deuictis, tanta gratulatio omniũ eſt ſubſecuta, vt etiam Romæ à Leone Decimo ſupplicatio Sigiſmundi nomine decerneretur, ſingulari genere verborum & numero dierum. Cùm enim in Leonis ſenatu Nicolaus Vuolski legatus, hic Sẽdomirienſis Caſtellanus, expoſuiſſet & genus hoſtium, & victoriæ modum: res digna patribus illis eſt viſa, publica ipſius vrbis Rômæ gratulatione, ac ſupplicatione ſingulari. Supplicatum itaq; fuit, totáque vrbe dies feſti, atque ludi eius victoriæ nomine fuerant inſtituti, dolente & mœrente Maximiliano Cæſare, qui captiuos etiam ipſos, per hunc iſtum Nicolaum Vuolski Leoni miſſos, intercepit, in Moſchouiámque contra ius gentium remiſit. His victoriis atque triumphis initia regni ſui Sigiſmundus conſecrauit, docuítq; ſe eum Regem eſſe, qui & domi regnũ legibus tenere, & foris armis

tueri poſſet. Neq; verò hoc bello tantùm illius animi vis extitit incredibilis, ſed multis etiam aliis bellis grauibus ac difficilibus. Nam cùm vix à Moſchico bello reſpiraſſet, Scythiam magnis copiis, Ruſſiam prouinciã ferro atque igne vaſtantem, incredibili virtute ad Vuiſniovvicium ſuperauit: illáque pugna, primus Regum omnium, Scythas docuit, pacem bello meliorem eſſe. Quid autem Valachia ipſa, Turcicis exercitibus contra Sigiſmũdum munita atque inſtructa, cùm huic regno periculoſiſſimè immineret, nónne ad Obertinum poſtremò ab hoc Rege deuicta, pœnas temeritatis ſuæ dedit, veſtróque imperio, hoc iſto Ioanne Tharnouio duce, parere eſt coacta? Iam verò Moſchouia, cùm iterum fractas illas vires ſuas ac deſperatas repeteret, bellúmque maximum pararet, non ab hoc Sigiſmundo iterum deuicta bello maximo funditus corruit? Ad quod bellum gerendum Sigiſmundus, hunc iſtum Tharnouium imperatorem, ad conſeruandum hoc regnum natum, miſerat: qui capto atque euerſo Starodobo, ingẽti hominũ ſtrage, Moſchos in perpetuũ deuiciſſe iam videtur. Prætereo alia bella varia atque infinita, quæ Sigiſmundus

geſſit, non libidine regnandi, neque ſtudio gloriæ incenſus, ſed amore religionis Chriſtianæ conſeruãdæ. cùm enim Poloniæ, regnum Aquilonem verſus vltimum ſit regnorum omnium, genteis finitimas habet inimiciſſimas parti Chriſtiano, partim verò Romano nomini. Quare Sigiſmundus cum his aſſiduè bellũ geſſit, non vt finitimarũ rerum potiretur, ſed vt religionẽ Chriſtianam contra Scythas atque Turcas: Romanæ verò ſedis nomen, contra Moſchos atque Vualachos tueretur: quod hæ gentes huic ſedi, hoc iſto diſſidio Græcorum cum Latinis, ſint omniũ inimiciſſimę. Solus ergo Chriſtianorũ Regum omnium Sigiſmũdus, nõ pro augẽdo, ſed pro retinendo regno: nõ pro ſua libidine, ſed pro Chriſtiana religione bellum cum tota Aſia geſſit. cuius Aſiæ opes cùm magnis ac inſperatis victoriis creſcere in dies videret, ſeque præ cæteris periculis illis proximum eſſe, ſciret, Chriſtianos autem principes mutuis bellis diſſidere videret: prouidendum ſibi, regnóque ſuo putauit. Quapropter ſumma ope eſt conatus Chriſtianos Principes in mutuam gratiam reducere; illorũ concordia ac conſpiratione ſuas opes atque rationes contra Turcarum tyrannũ

ſirmare, vt minus potens, minúſque formidabilis tyrannus ille vobis eſſet. Quapropter & Maximilianũ Cęſarem reconciliata iam gratia Viennam adierat: cuius etiam hortatu Vuladiſlaus frater Hũgariæ Rex, cum Ludouico filio, eò quoque venerat. quo in conuentu ſummorum Regum, ille oſtendit, docuit, monuit. Turcarum opes tantas eſſe, vt ab vno Chriſtiano Rege ſuperari nõ poſſint: in concordia ac mutua pace ſpem eſſe, ſine qua nihil eſſet Chriſtianis ſalui. Itaq; Sigiſmundo authore atque duce, iacta erant Viennæ fundamenta cõmunis auxilij: quæ tamen ſorte quadam, rebus noſtris aduerſa, non diù manſerunt Nam & Maximilianus, & Vuladiſlaus vita functi, ambo ſpem Sigiſmundi fefellerunt. Non ceſſauit tamen Sigiſmundus agere & facere omnia, quo potentiæ Turcarum occurreret. Quare auxilia vndique contrahebat: cum finitimis fœdus & amicitias iungebat, neque verò his ſolis contentus fuit, ſed etiam cùm ſciret Neapolim atque omnem illam oram Apuliæ, ſocietate Turcici belli cum Polonia coniungi: amicitiam Italiæ expetiuit, hancque Bonam reginam ex Sfortia familia clariſſima, atque totius Italiæ no-

biliſſima, ducem Bari, in matrimoniũ accepit: vt hoc ceu quodã illuſtri ac ſancto pignore, ſocium ſe belli ac periculorũ omnium Italis profiteretur eſſe. Verùm cùm hac iſta ſpe finitimorũ ac externorum auxiliorum fruſtrà penderet, ſolúſq; ſæpiùs cum ſummo rerum ſuarum diſcrimine cum Turcarum ducibus confligeret, de regnóque ſuo iam planè dimicaret, fœdus ad extremũ cum Solimãno fecit. Quid verò illi aliud faciẽdum fuit? ſolus erat: opem ferebat nemo: ſpes ipſa reſtabat nuſquàm. regnum porrò ſuum videbat omnibus Turcicis bellis ac periculis eſſe propoſitum. Quid tandem quæſo eſt, quod quis Sigiſmundum huius ipſius fœderis nomine reprehendat? cùm videat vnum è duobus illi fuiſſe neceſſe, vt aut regnum ſuum in poſtremũ diſcrimen adduceret, aut fœdus cum Turca faceret, quòd tamẽ ille non fœdus potiùs, quàm inducias ſibi putabat datas eſſe parandi belli. Nouerat enim ille, à Turcarum tyranno non fide, neque religione: ſed occaſione atque tempore fœdera ponderari. Quare etſi ille fœdus illud ſanctiſſimum eſſe ducebat, tamen quod nihil huic hoſti crederet, inter fœdus illud rationes ſuas ſummo ſtudio

futuro bello parabat, vt ſi quandò illi neceſſariò cum Turca belligerandum eſſet, eò paratior inſtructiórque in aciem contra illum prodiret. Meminerat, ſæpius ſe conflixiſſe cum hoſte ſummo cum periculo. Ludouicum etiam Regem, nepotem ex fratrem ſuum, viderat vitam & regnum profudiſſe, cùm incertorum auxiliorum ſpe bellum Turcicum mallet, quàm fœdus. cuius conſilia nunquàm probabat, Sigiſmundus, ſummóq; ſtudio à bello illum reuocabat, oſtentabat illi Rhodum atque Coüm nobiliſſimas inſulas conſimili ſpe perijſſe. docebat Carolum Cæſarem impeditum eſſe bello Gallico atque Italico, Ferdinandum autem ruſticano: Germaniam etiam totam, religionis controuerſia diſſidentem commemorabat: nuſquàm ſpē ſupereſſe: præſtare fœdus facere, quàm bellum incertum gerere. cuius fideliſſimis conſiliis cum Ludouicus non obediret, vitā ſimul cum regno amiſit. Qua in re Sigiſmūdus, quàm ſapiens Rex atque fortis fuerit, oſtendit: qui Remp. tanquàm in alto nauim, pro ratione tempeſtatum, locorum & temporum dirigendam eſſe ducebat, vt, quid tempus Reip. poſcat, aut quid vetet, imprimis ſapienti

Regi ſit prouidendum. Interea tamen Sigiſmundus quoad vixit, cùm bellis mutuis Chriſtianorum arderent res, ille non quieuit, ſed aſſiduis bellis pacē regno ſuo quęſiuit. Nunquàm quenquam bello laceſſiuit, nunquàm niſi laceſſitus bellum geſſit. propterea etiam (credo) victor ſemper extitit: ſingularíſque illa huic vni conceſſa erat gloria, quòd hic ſolus Regum omnium in Polonia nunquàm victus fuit. niſi fortè quis illam acceptam calamitatē apud Socaliū bello Scythico huic adnumeret: quæ temeritate ducum, abſente Rege, bello commiſſo, à Scythis accepta fuit. quam tamen calamitatē ille poſteà infinita hoſtiū cęde compenſauit. ſic ille cùm nihil temerè, nihil abiectè, neq; demiſſè, ſed ſummo cōſilio, magno & inuicto animo cuncta gereret, facilè fuit inuictus. Res etiā noſtras, cùm armis vix poſſet, fœdere à Solimanno vindicauit, quas ille aut perpetua pace cum hoc hoſte ſanciuit, aut ſi belligerandum nobis erit, paratiores, inſtructioréſque aduerſus Turcarum opes reddidit.

Reliquum eſt, vt de clementia ipſius pauca dicamus, ſine qua & ſapientia nihil prodeſt Regibus, & iuſtitia etiam obeſt, & fortitudo ipſa nocentior fit

ſuis, quàm alienis, niſi ipſius clementiæ moderatione temperetur. Hæc enim ferocem animum regis, ferum & indomitum cõtra regni hoſtes, emollit ſuis, mãſuetúmque ac benignum reddit: vt hac ipſa virtute Rex hoſtem ab amico, peregrinum à ciue, innocentem à reo ſecernat: reis etiam ipſis, fragilitatis ac imprudentiæ in hac eadem virtute apud Regem perfugium eſt. hæc iſta virtus in cõſiliis, in iudiciis, in bellis Regum verſetur neceſſe eſt, ſi Reges, non tyranni, illi volũt perhiberi. hic enim Regiæ Celſitudinis ornatus eſt: hæc illorum commendationis eſt ſumma: hæc ſola atque vnica ad immortalitatem illis reſtat via. denique ex hac ipſa excellenti & planè Regia virtute naſcitur ſuauiſſima Regum ipſorum memoria: gratúmque ac iucundum illorum verſatur apud ſuos deſiderium. Vnde enim ſunt veſtræ iſtæ lachrymæ? vnde hæc eſt miſericordia, quam nunc vos præſtatis mortuo? eblandita credo hęc ſunt à vobis ſpe vlla commodorum veſtrorum, & non potiùs expreſſa veſtigia mœroris veſtri recordatione illius optimi atque clementiſſimi viri, qui benignus in bonos, mitis in reos, indulgẽs in omnes fuit? nunquã ille

arriſit vitio, nunquam detraxit virtuti, nunquam blandiens parti ſe dedit alicui: ſed, cùm rem ipſam ſequeretur, hoc vnum propoſitum illi fuit, ne qua in re aberraret à vero: tanta æquitate ac clementia, vt rerum ipſarum ac criminum magnitudinem, cum rerum infirmitate conferret: virtutem etiam ipſam atque innocentiam, ne approbatione inſoleſceret, aut diſſimulatione, aut leui repræhenſione, temperabat. Iam verò ipſas parteis, magnis ſæpè odiis incenſas, ſumma grauitate ac æquabili erga vtranque volũtate audiebat. Poſſem hoc loco magnas inimicitias clariſſimorum virorum commemorare ex Reip. cauſa ſuſceptas, niſi & vos meminiſſe ſcirem, & ipſe præterire hanc ignominiam vellem ne commemorando notare videar authores ipſos. Dabo hoc ergo illorum authoritati: ab híſque vobiſcum vnà petam, vt communis ſalutis cauſa remittãt animos æquóſque ac placatos retineant huius iſtius exemplo Regis: qui, cùm Rex eſſet, poſſétque delinquentem coërcere, æquus tamen vtrique fuit: moneréque ac hortari, interdum etiam rogare ad pacem ſuos maluit, quàm lege, vi aut minis impellere. ferebat enĩ æquo animo omnes,

in liberáque Rep. non ſolùm animũ, ſed etiam odium liberum eſſe debere duxit. Hanc libertatem ille liberorum populorum cùm ſummam eſſe ſciret, vt videlicet & amoris, & odij par ſit apud ciues ratio: ipſe quoque odia multorũ in Rep. pertulit: ſi tamen odium eſt dicenda libera expoſtulatio ſubditi cũ Rege. Cùm enim benignitas ipſius atque clementia nimia, quibuſdam aut etiam nonnullis in rebus remiſſior videretur, reprræhendi ſe palàm in ſenatu patiebatur: ſententias in ſe dictas patienter ferebat, & eas equiſſimo animo refellebat, aut illis cedebat, & ſecundùm illas, quod admittebat, corrigebat. Iam verò in comitiis ipſis, nullius Regis in Polonia aures vobis ac veſtris legatis benignius vnquàm patebant. Attentè perorantes veſtros legatos audiebat: poſtulata veſtra clemẽter accipiebat: ſtultitiam multorum ſæpè ac intemperantiam perferebat. Nunquàm ille aſpero verbo, aut immodeſtiùs * miſſo excanduit: nunquàm iracundia exiluit: quam ille cùm omnibus virtutibus continentiæ: grauitatis, iuſtitiæ ac humanitatis, à ſe remouiſſet, facilis in rebus cognoſcẽdis, in hominibus audiẽdis admittendíſque fuit. Quanto enim

* emiſſo

motu, quanta contentione illa ad Leopolim Valachico bello pro vestra libertate cum hoc Rege egiſtis? cùm quædam non legitimè fieri, quædam etiam negligi ab illo vobis viderentur: quæ tum grauitas, quæ animi ęquitas, qui modus, quę patientia huius Regis, quæ veſtra libertas actionis tum fuit? & tamen cùm iuſtè fortaſſe nonnullis iraſci poſſet, neminem veſtrum ne aſperiori quidem verbo propterea appellauit ita, vt etiã illius ipſius actionis authores atque duces, maximis affecerit propterea præmis: veluti hos duos fortiſſimos ac coniunctiſſimos fratres, Petrum ac Martinum Sborouios, quorum in Rep. ſingularem fidem, obſeruantiam verò erga ſe ſummã cùm eſſet expertus, vtrũnque honore ſenatorio affecit. quorum exemplo ille ad tuendam Remp. cauſámq; communem agendam multos fortes viros ac induſtrios ex ordine veſtro excitauit, veluti hos duos ſumma ſpe ac virtute in cauſa cõmuni cognitos, Petrũ Boratınki Rhutenũ, & hũc Staniſlaum Podlodovvski ex Sendomirienſi municipio Equitem: qui cum in comitiis nuper Pitrakòuiæ habitis, quę poſtrema Sigiſmũdo fuerũt, grauiorem cauſam Reipub. ſuſcepiſſent,

quàm vt vtriúſque ætas pati videretur: ſic tamen à Sigiſmundo auditi ſunt, vt etiam Staniſlaum Podlo vvski de libertate veſtra liberius diſſerentem, lachrymans audiret. & cum hic, Sigiſmundum in Polonia non imperatorem, ſed Regem eſſe diceret, legibúſque illum certis regnate oportere, ſumma cum libertate orationis diſſereret: annuit ille ipſóque vultu ac intuitu ſignificauit, ſe quoque non Imperatorem velle eſſe, ſed Regem. O virum omnium literis, ſermonibus ac monimentis celebrandũ, & dignum, qui non dico homines, ſed deos ipſos regeret. non illius tum maieſtas auertit illi à dicente Podlodouio oculos: non aures illi clauſit Regiæ poteſtatis conſciẽtia. Immo verò vidit, audiuit, ac ſummo ſtudio audienda ſibi ea putauit, quæ liberè de Repub. à Podlodouio dicebantur. Dixiſſes hæc in Neronis ſenatu Podlodoui? aut alicuius Regis Itali aures hac iſta libertatis voce appetiſſes? Poſtremum illo in loco (mihi crede) conſtitiſſes, ac vltima vox tibi illa fuiſſet. quæ tamen ipſa grata Sigiſmundo fuit, iucunda nobis, glorioſa verò nunc eſt ipſi tibi. ſumma hæc eſt clementiæ laus, Equites, Sigiſmundi Regis, & haud-

ſcio an omnium maxima, in libera Rep. liberas velle verſari hominum voces, liberas ſententias: denique liberas expoſtulationes, monitiones, ac repræhenſiones ferre. Quæ qui Rex non fert, aut in Rep. non probat, non Rex ſed immanis eſt tyrannus, qui vt homines liberos in ciuitate non fert, ita neque linguas liberas ferre poteſt. nec iniuria: tyrannus enim ipſe viuit cum omnium inuidia, iniuſtè ac impiè, ſine fide, ſine amore, ſine vllo beneuolentiæ vinculo, vt merito fidat nulli, credat nemini, nulli religioni, nulli legi pareat. At Sigiſmundus contra, omnium, qui vnquam fuerunt, Rex mitiſſimus atque clementiſſimus, cùm meminiſſet liberi Populi Regem ſe eſſe, certa religione ac certa fide regnantem vobiſcum: non vt cum ſeruis, ſed cũ liberis: non cum ſubditis, ſed cum ſociis atque amicis, ſumma beneuolentia in hac Rep. viuendum ſibi eſſe duxit: vt ex æquo & audiret ſuos, & audiretur à ſuis. Quare ita ille vobiſcum vixit, vt nõ tantum aures illius, ſed ipſius etiam vitæ priuatæ receſſus nobis paterent. Aperta ſtabant illius cubicula, patebãt atria, peruia erant nobis illius pènetralia. nunquã excludebamur, niſi cum erat neceſſe,

Admittebamur, adſtabamus, audiebamur: liberæ quæremoniæ de aliorum iniuriis apud eum nobis erant, ac qualibet de re facilis aditus, ac penè aſſiduus cum illo conuictus nobis fuit: vt non ſolum mens, ſed oculi etiam noſtri liberè in vita, ac in omnibus cubiculis ipſius verſarentur: in quibus nullos mores tyrannicos, nullas contra libertatem noſtram machinationes, nullum regni dedecus, nullam turpitudinem, nullam denique intemperantiam cernebamus. Omnia erant in illius integerrima vita, honeſta: in cubiculis verò, decora, ac cum ſumma regia dignitate, atque veſtra libertate cõiuncta. Iam vero quoties progrediebatur è thalamo, in publicúmque ſe ac in turbam dabat, quanta tum, dij immortales, oris illius dignitas? quæ maieſtas? qui hominis illius habitus? qui inceſſus? qui comitatus fuit? quam aptus? quam concinnus? quàm grauis? quam cultus? quamq́ue ſummo Rege dignus? quibus rebus cùm in animos hominum influeret, ac mentes omnium hac tanta maieſtate occuparet: nõ timuit venena, non inſidias non conſpirationes vllas verebatur. propterea etiam carebat prægustatoribus: quibus tamen ipſis interdũ ad ſpe-

ciem vtebatur magis, quàm ad aliquam neceſſitatem. Senatorum turmis ac Equitum, incedentis latus claudebatur, non doryphoris hiſce, neque ſeruis mercenariis: indignum enim bono Rege putabat eſſe, metum in ſuo regno pręſe ferri armis, ac in cœtu ſuorum hoſtem vereri, ac propterea ab armatis ſeruari. Tyrannorum ſunt iſta præſidia, Equites, & malè cogitantium hominum de rebus communibus. Fide Sigiſmundus ac beneuolentia veſtra ſatis ſe munitum putabat eſſe: neminem etiam è ſuis metuebat, cùm æqualiter omnes diligeret, omnibúſque ex æquo ſe amabilem præberet. Tantúmque hac iſta fiducia veſtri profecit, vt quietè primum ac tranquillè vitam vobiſcum degeret: deinde ſtudiis veſtris incredibiles huic regno felicitates atque opes afferret. Qua enim fide ac voluntate erga hunc Regē vos fueritis, teſtantur multa atque præclara facinora, huic Regi virtute veſtra parta: qui cum talem ſe Regem gereret in omni officio ſuo ac munere, vt ad ſummam nihil à vobis in eo deſideraretur, merito tales vos quoq; erga illum geſſiſtis, vt ob ſumma atq; ampliſſima illius in vos ac Remp. veſtram beneficia, Patrem patriæ vna voce hunc appella-

appellaretis: qui honos poſt conditam Poloniam huic ſoli à vobis eſt habitus: & cùm eũ, quẽ natura mortalem genuerat, vos immortalem eſſe cuperetis, hunc Sigiſmundum Auguſtum filium, pignus eſſe voluiſtis fidei ac voluntatis veſtræ erga Sigiſmundum ſempiternum. Nã cùm hic Auguſtus admodum puer eſſet, ſolóque illo omnes patris ſpes niterentur, & cùm id vobis per leges liberum eſſet, hũc vos honorem patri habuiſtis, vt hunc filium ipſius, tum autem puerum, necdum ad imperium ætate maturum, magna tamen ſpe præditum, Regem viuo patre omnibus veſtris ſuffragiis ſalutaretis, háncque incredibilem voluptatem patri de filio daretis, vt is veſtro beneficio filium ſucceſſorem ſibi paratum videret, cui nomen Iagellanæ gentis ac familiæ ampliſſimæ dignitatem, regnúmque patrium atque auitum traderet. Magna hæc veſtra erga Sigiſmundum voluntas, ſummum etiam ſtudium veſtrum fuit. Hanc mentem vt retineatis, mortuóque illi conſeruetis, veſtræ fidei, veſtræ conſtantiæ eſt, Equites: tum verò, vt parem animi voluntatem retineatis in ipſius progeniẽ totã, quã reliquit, vos ille orat atq; obteſtatur. Adſpicite, Equites,

hanc lugubrem turbam, hæc fletu deformata corpora. hic filius ipſi⁹ chariſſimus, Rex veſter eſt: hæc vero illius eſt fidiſſima ac ſanctiſſima coniunx: illæ autem mœſtæ ac dolentes tres filiæ. Hunc cœtum atque hanc ſobolem clariſſimam Regis veſtri colite, Equites, ac ſumma veneratione ſummáque obſeruantia habeatis. Tu etiam, Sigiſmunde Auguſte ſuſcipe hunc ordinem, cuius virtute pater tuus fuit inuictus. Vides in quæ pericula regnum tuum incidit: quos hoſtes habeas, quos etiam metuas, conſidera. Circunſtant te vndíque pericula: auxiliis deſtitutos nos vides eſſe: nuſquam in finitimis, nuſquam in alienis præſidiis ſpes eſſe. vndíque circunfuſa premit te Aſia, hinc ex Hungaria imminet tibi Turcia, hinc Valachia, hinc Scythia, hinc bellum renouat Moſchouia, Germania poſtremo ipſa referta genere ac ſanguine tuo, non ſatis tuta tibi denunciat. Vides quam in medio relictus ſis ſolus, vt ſecundum Deum, ſpes tibi nuſquã reſtet, niſi in hoc ordine, ac in paterno imitationis exemplo: quod ſi tibi propoſueris, & ſi dies atque noctes in eo recognoſcendo fueris, inuenies profecto quomodo hæc, quæ tibi ampliſſima pa-

ter reliquit,cõſerues. Nihil enim tibi poterit accidere noui,quod in regnando pater tuus non viderit,aut non fuerit expertus. tu modò ſapientiæ ipſius ingrediare veſtigiis, ad exemplúmque paternum mentem tuam in rebus optimis exerceas ſenatui pareas,iuſtitiam colas,ęquus omnibus, addictus nulli fias. religionem Chriſti comiter cõſerues,rem militarem augeas, benignus in omnes, pius, ac clemens in tuos fias, & breuiter iiſdem itineribus ad virtutem eas, quibus pater tuus peruenit. Suſtines eius rei non mediocrem ſpem. Eſt in te præſtans vtróque genere natura: eſt etiam, quod adoleſcentia tua fert, vſus rerum magnarum. Omnium ora atque oculos vides eſſe in te vnum conuerſos. cùm te intuemur,tum de Sigiſmundo patre tuo, tum de maioribus cogitamus. Veniunt enim nobis in mentem,veniunt,te intuentibus Iagellones illi veteres: Vuladiſlai item, Caſimiri,atque patrui tui,clari viri: quorum virtute,dignitate atque exiſtimatione, apud omnes gentes fuimus illuſtres. qui,ſi quis mortuis ſenſus eſt, memoriã nominis ſui,dignitatẽ huius regni, ac omnium noſtrum ſalutem tibi commendant: à te petunt, vt ſuſcipias cauſam

noſtram,vtque hanc Rempu.& pro illorum dignitate, & pro tua gloria, ac pro noſtra ſalute adminiſtres. Idem moriens tibi mandat pater,atq; hoc in loco iacẽs à te poſtulat. Adeſt enim profectò, adeſt illa vis hîc coram,qua hoc mortale vigebat corpus, & quæ hoc iſto corpore ad noſtram ſalutem vſa eſt. hæc inquam vis diuina atque immortalis patris tui, hic coram adſtans, te intuetur, tuam fidem implorat, hæc abs te petit, vt ea omnia, quæ in tẽplis,quæ in foro,quæ in regno hinc decedens reliquit tibi pater,virtute, fide,atque conſtantia tua cõſerues ac defendas: vtque memor ſis,te Poloniæ Regem eſſe,in tua perſona huius Reip. faciẽ expreſſam eſſe: vtque ob id non publica tantum,ſed etiam tua priuata, (ſi tamen quid tui priuati hoc in regno eſt) vt ea inquam omnia ad ſummam ac ampliſſimam regiam dignitatem tuam referas, Quò ſi tu qua in re titubaueris, aut ab officio tuo deflexeris, cadet hoc regnum ſtare diu non poterit. Tua enim ſapientia illud nitatur,tua iuſtitia ſtet,tua virtute defendatur,denique tua clementia floreat, neceſſe eſt. hoc magnoperè abs te flagitat pater, hoc nos ſperamus, hócq; debitum munus abs te expectamus. Vos-

am,Patres conſcripti,quos diuina ſors
ædam huic Regi fecit ſuperſtites, ma-
:e in hac cuſtodia Reip.in qua vos ille
us collocauit, vigilate : multæ ſunt
diæ nobis, multæ inimicitiæ, hoſtes
initi : pericula verò tanta , quanta
ſt conditum hoc regnum nõ fuerunt.
ſquã ſalutis ſpes oſtẽditur, niſi in ve-
concordia. Erigite vos,per deos im-
rtales, ac odia, ſi quæ vobis in ſunt,
pub. cauſa ponite, vt commune of-
um ſenatorium , communi animo
voluntate defendatis. Quid enim
i in hoc regno fore putabitis, diſtra-
in partes ſenatu, variatis veſtris ſen-
iis, Equitibus poſtremo ipſis,veſtris
nicitiis diuiſis atque incenſis? Iam ve-
metus externi hoſtis ac imminentis
culi, vos in mutua pace atque bene-
ntia contineat:quæ res ſemper apud
mos ac pręſtantiſſimos ciues pluri-
n potuit,vt,quo die magiſtratum in-
t,eodẽ in gratiam redirent, turpe ſibi
rati, cum in Rep.eadẽ ſocietate cõ-
erentur, non eadem eos fide coniũ-
quæ ibi eſſe nequit,vbi concordia eſt
a. Fecerunt hoc illi veteres ſine Deo
ines Græci,Scipiones, Lepidi, Me-
. Vos qui certo ac vero Deo viuitis,

non facietis? præſertim cùm finem legis veſtræ, charitatem ſciatis eſſe: quam ſi ex ordine veſtro tollitis, & Rēp. amittetis, & voſipſi peribitis. Non eſt enim, quod quis ſperet rectis conſiliis ibi locum eſſe, vbi charitas eſt nulla, & vbi in locum huius ſucceſſit odium & iracundia. Ira enim viri, Apoſtolo teſte, iuſtitiam Dei non operatur. Quid dicam odium ipſum? quod cum inueterauerit, animi lumē extinguit, denſáſque menti tenebras offundit. Veniant vobis in mētem Patres conſcripti, quanta odia illa Græcorū, quanta Romanorum, quanta etiam hæc iſta recentia Hungarorum fuerunt: quibus odiis potētiſſimæ nationes, ac florentiſſima imperia corruerūt. Senatorum (mihi credite) culpa illa fuit. Dum enim ſe quiſque in Rep. oſtentat, dum potentiam ſuam iactat, dum operam venditat, poſtremò dum ſe magnū vult videri, calamitate communi & ſenatus, & plebs vna perit. Ne hoc ſinat Deus Opt. Max. in cuius cura ſumus, vt hoc inclytum Regnum, hic inuictus populus veſtras diſcordias publico luat interitu. Quare vincite per deos immortales animos* Patres cōſcripti, ac illos retinete in officio. pl⁹ apud vos valeat malū publicū

* *veſtros.*

lio priuato veſtro. Date hoc Reip. Pa-
:s conſcripti,date nobis,date ſaluti cõ-
uni,date vobiſipſis, coniugibus, libe-
que veſtris, quorum ſupplicio ac inte-
u expiabuntur,mihi credite,diſcordiæ
ſtræ, niſi prouidetis. Reiicite contro-
rſias priuatarum rerum:ſit Reſpub.ſe-
s & materia veſtræ gloriæ. Hanc exer-
:e per Deos immortales, Patres cõſcri-
, quæ multis circunſepta hoſtibus, ac
ıgnis vndique cincta periculis, vobis
pplices manus tendit, vos orat atque
teſtatur, vt reconciliatis veſtris ani-
s, ſaluam atque incolumem illam ve-
s eſſe,& certè talem,qualis Sigiſmun-
Rege fuit. Hoc Res ipſa publica,hoc
am Sigiſmundus àvobis ipſe poſtulat:
i hunc filium ſuum clariſſimum atque
timum reſpectans, vos ex alto intue-
:, à vobíſque petit, per Deum ipſum,
em caſtè religioſéque in Polonia co-
t, per Remp. quam ampliſſimam vo-
; reliquit,per ſalutem veſtram, quæ illi
a propria charior viuenti fuit, vt cum
c Auguſto rege, filio autem ſuo con-
ıcti inter vos fideliſſima gratia,& reli-
onẽ Dei Opt. Max. & dignitatẽ Reip.
ſalutem omnium conſeruetis. Non
,non eſt tergiuerſandi locus: monent

omnia, vrgent omnia atq; inſtant. Quantùm tandem huius morte hoſtium animos creuiſſe putatis? Num Moſchouiã? num Scythiam? num Turciam? atq; Valachiam, parùm huius morte ſperare cœpiſſe exiſtimatis? Occaſionem mihi credite, huius morte, ad occupandam Poloniam ſibi oblatam eſſe nationes illæ arbitrantur: quæ quidem omnes nullis vobiſcum neque legibus, neque certo pacis iure ſunt coniunctæ. In concordia ergo veſtra ac in mutua beneuolentia, ſpes omnis ſita eſt ſalutis communis atque huius Reipub. retinendæ. Quæ nunc morte Regis ſui exanimata, ac propè conuulſa ſedibus ſuis, ad complectendum conſeruatorem ſuum gemens ac mœſta venit: illi gratias agit mortuo, tibíq; imprimis, ſumme Deus, qui hunc hominem ad genus humanum conſeruandum, & ad hoc regnum conſtituendum in terras miſeris: cuius beneficio ad hanc diem ſtant res noſtræ, ac cuius opera hoc regnũ floret ingeniis, valet opibus, pace ac ocio fruitur, ac legibus optimis viuit. huius poſtremò monimenta multa ac præclara, æternitate ipſa conſecrata aſſiduè intuetur. Tibi nos, Sigiſmunde, hæc omnia debemus, tibi hæc accepta ferimus, tua

unera ſunt iſta, tua ſumma beneficia.
er te nos illuſtrati ſumus, per te exteris
entibus cogniti: te authore atque Du-
e, Polonum venerabantur nomen om-
es gentes, Græcæ, Latinæ, ac Barbaræ:
uis victoriis hoſtes noſtri debilitaban-
ur: tuo fœdere ac ſocietate amici noſtri
tabantur. Tu iudex Regum, tu pacifi-
ator gentium, tu moderator nationum
conſeruator omnium fuiſti. Tu hanc
emp. affinitatibus primò, deinde con-
giis cum exteris nationibus coniunxi-
i. tu author legum noſtrarum, tu magi-
er morum ac diſciplinæ fuiſti. hem no-
ra lux, noſtrum deſiderium, Sigiſmun-
e, iaces. Ad quem nunc confugiemus? à
uo opem petemus? quem hoſtibus no-
ris opponemus? qua pace, quo bello,
uo fœdere nitemur? ô acerbam mihi,
quites, memoriam harum rerum om-
ium: ô flebiles exequias: ô vitam infe-
cem, quæ orbata es hoc iſto Rege atq;
atre. Tibi enim morte huius ornamen-
a ſunt detracta, tibi præſidia adempta, ti-
i ſolatia ſublata. ſolus hic reſtat tibi do-
ŏr, mœror, ac gemitus: in quo tamen
pſo luctu ac mœrore noſtro, Sigiſmun-
e Auguſte Rex, ad te venimus: tibi nos
enitus tradimus: tu ſpes noſtras, patris

tui morte fractas,reſtituas:tu ſalutē conſerues: tu libertatem noſtram legibus atque armis defendas. Vos etiam, Equites, atque vos Patres conſcripti, memoriam Regis veſtri,piè inuiolatéque ſeruabitis. Plura ne dicā,tuæ me,Auguſte,lachrymę impediūt,veſtræque Equites,non ſolùm meæ: quibus mouemur,vt à Deo precemur, quo Deus huic mortuo propitius, nobis verò benignus velit eſſe.

IN FVNERE *NICOLAI MARCELLI* *Venetiarum Principis, Hermolai Barbari Patricij Veneti Oratio.*

ECquando periculum facere eloquentiæ ſuæ Oratores Veneti debuêre, ſi ſibi hoc tempore ſilendum arbitrantur? quo vniuerſa ciuitas vnius principis interitu conſternata, expectat aliquem, qui aut ſe conſoletur oratione,aut dolorem iuſtiſſimum leniendo, perſuadeat non illum mortuum omnino, ad cuius ornandum funus, mutata veſte, ſqualidi & ſordidati proceſſiſtis. Quorum vtrunque, aut alterum ſi quis fuiſſet aſſecutus, fuerat à Senatu ampliſſimas gratias, populóque vniuerſo relaturus: poterátque

nomen ſibi præſtantiſſimi oratoris ſine vlla controuerſia vendicare: Si verò neutrum perfeciſſet, minorem quidem gloriam, certè nullum dedecus retuliſſet: cùm nulla tam affluens dicendi copia, nullum tam graue elegánſq; ingenium, nullus demùm tantæ authoritatis vir, eorum poſſit deſideriis ſufficere, qui maximas & innumerabiles habent dolendi lamentandíq; cauſas. Quis enimfuit vnquam per Deum aut ſanctiorhabitus, ciuis aut commodior Reipub. Princeps, quàm is, cuius decorandi funeris gratia, magno ſtudio frequentiſſimi conueniſtis? Quis vnquam maiori hominum opinione tam domi, quàm forisvixit? quis tantum natura, virtute & fortuna præſtitit? quo demum iuſtius potuit noſtra hęc ætas cum antiquitatis gloria certare? Suſcepi itaque funebrem hanc commendationem, tametſi inuitus, ea tamen ſpe fretus, quod videbam nemini paratam eſſe ignominiam, qui celeberrimi & optimi Principis Nicolai Marcelli laudes, pro dignitate amplecti dicendo non potuiſſet. Quare veſtræ pietatis erit, Patres mœſtiſſimi, ſedato parumper dolore, patientiſſimas aures accommodare orationi. Conſueuiſtis enim pro veſtra

manſuetudine hoc officium præſtare iis cumulatiſſimè, qui de laudibus eorũ hominum acturi ſunt, quos de vobis optimè meritos eſſe cognoſcitis.

Sanè primo loco patria, ex qua illi origo fuit, laudanda foret, niſi tanta eſſet rerum ab eo geſtarum vbertas & magnitudo, vt verear, ne, ſi communes iſtas laudationes proſecutus fuero, eius laudibus quæ innumerabiles ſunt, videar fraudem facere voluiſſe. Præterea tot & tãta ſunt, quæ de huius, in qua nati ſumus, ciuitatis gloria & ſplendore dicuntur, vt, ſiue imperij diuturnitatem, & libertatis incolumitatẽ admirari, ſiue religionis curam & optimam diſciplinã laudare velimus, ſiue loci ſitúſque raritatem, quaſi nata ad orbis imperiũ ciuitas vna videatur. Singulæ res, ſingulas orationes expoſcunt. Erat & de gentis Marcellorum patriciæ laudibus ſuo loco dicendum. Sed, vt & hoc conſultò præteream, ea potiſſimùm ratio efficit, vt, quemadmodum Nicolaus ſolis ſuorum imaginibus inniti nunquam voluit, vtpote qui conaretur virtute propria, non vmbra aliena, nomen ſibi & gloriam quærere: ita minimè æquum ſit, in hoc extremo exequiarum honore alienas laudes intermiſcere. Non

eſt tamen propterea patris eius grauiſſimi & ornatiſſimi viri, Ioannis Marcelli nomen ſilentio inuoluendum, quando laudes parentum neque alienæ videntur eſſe, neque Nicolaus noſter vnquam niſi inter ſuas numerauit. Sub eo patre ita inſtitui cœpit, vt nihil haberet ante oculos, præterquàm cultum religionis: nulli rei ſtuderet, præterquàm bonis moribus: nihil peteret, præterquàm decus & honeſtatem. His auſpiciis nedum ab illicitis voluptatibus abſtinebat, ſed neque cognoſcebat quidem, quales eſſent illicitæ: ita & ad auaritiam coërcendam, & ad omnes animi labes repellendas inſtitutus, (quæ plurimùm illa in ætate tanquam germinare ſolent) patriam diſciplinam, cādorem vitæ & ſanctimoniam non modò conſeruauit, ſed etiam auxit ſeueritate atque conſtantia. Breui ergo vbi per ætatem licuit, non adiit, ſed vocatus eſt ad Rempub. non petiit magiſtratus, ſed vltro oblatos ſuſcepit: non ambiuit candidatus præturas, præfecturáſque, ſed inuitus ſæpiſſimè magno patricij ordinis ſtudio eſt conſecutus. In iis autem ita munera ciuitatis omnia ſemper*adibat, vt commiſſa ſibi negocia publica, ſingulari adhibita diligentia & *obibat.

ſumma celeritate conficeret. æquitate verò tanta penſiculabat omnia, vt opinioni de illo incredibili in dies aliquid accederet, quod ad admirationem vſque peruenit. Adeò non humanum, ſed diuinum in eo homine conſilium habebatur. Ingreſſus honorum illi fuêre minores vrbani magiſtratus: ex quibus tantum *quis. gloriæ breui retulit, quantum * ſiquis in tota vita retuliſſet. Poterat hoc initio tanquàm ex honeſto titulo ac illuſtri quodam ad omnes dignitatis gradus euehi. Iam igitur cœperat Marcelli nomen ciuitates egredi, & perinde ac non poſſet amplius anguſtis finibus contineri, exiêrat in ora hominum externorum; vnde iam ab his Prętor, ab illis prçfectus ingenti ſtudio, & votis etiam ſuſceptis, deſiderabatur. Quod beneficium ne diu fruſtrà expectaretur, placuit à minoribus Præturis incipere. Ita enim commodiſſimè, ſalua dignitate, poterat per gradus eorum ſatisfieri voluntati, à quibus id ſemper optabatur. Creatus ergo Feltrenſis Prætor, putauit ineundum eſſe magiſtratum: quamuis Præturam ornatiorem, ſi expectare ſequentia comitia voluiſſet, videretur conſequuturus. Quia tamen ad communem vtilitatem omnes

uas cogitationes referebat, non exiſtimauit intereſſe, vtri magis prouinciæ prius conſultum eſſet. Reuerſus in patriam, defuncto magiſtratu, ſine vlla ferè mora Taruiſio præficitur. Libenter adiit & hanc adminiſtrationem: quia in ea vrbe Ioannes pater præturam geſſerat. Poſteà Brixienſibus, inde Veronenſibus, poſtremò Foroiulienſibus datus eſt Prætor. Eas vrbes, Patres grauiſſimi, tãta cum gratia & authoritate gubernauit, vt nunquam ſine plurimis lachrymis à prouincialibus dimiſſus ſit: contrà, imperio functus, nũquam maiore gaudio quiſquam vlnis & humeris ciuium in patriam reportatus: & mediusfidius haud iniuria. Quis enim fuit vnquam, qui tantum vtilitatis attulerit ſubditis? Nam, ne dicam, id quod omnes intelligũt, nihil vnquam egiſſe aut dixiſſe Nicolaum præſtantiſſimo ciue indignum, neminem potentia conculcâſſe, neminẽ cõtumeliis laceſſiſſe: principio flagitioſis hominibus acerrimus hoſtis ſemper & fuit, & habitus eſt: & quaſcunq; prouincias adiiſſet, non antè diſceſſit, quàm vrbe & agro perluſtrato vniuerſo, purgatiſſimam malis hominibus redderet. Simultates verò ita vndique compreſſit, ita lites maximas

compoſuit aut diremit, vt capitales anteà inimicitias & odia deſperatæ concordiæ,ad pacem tranquillitatémque reuocauerit. Iniurios & licentioſos ciues, ab impotentia ſemper deterruit aut monendo, aut comminando , vt & popularium quies ſalua eſſet, & libertas ſociorum defenſa: iura poſtremò vniuſcuiuſque neque ſublata, neque imminuta. In iure dicendo audiēdis aduocatis patientiſſimus erat:& dignitatem nihilominus retinebat,vt neque contemni imperium, neque formidari pateretur. & quamuis facilem in adeundo ſe præberet, ita modum adhibebat, vt æquus tamen iudex omnibus videretur. Nam mehercle neque die,neque noctu oſtium vlli præcludebatur.Prouincialium tamen neminem ad interiorem familiaritatem admittebat. Obſeruabat & illud diligentiſſimè Nicolaus, ne quis reiiceretur ab eo loco, vbi ius diceret:imò & potentiores quoſdam & improbos, pro tribunali ſæpiſſimè caſtigauit, quia ordinem poſtulantium ſua authoritate aut petulantia cōfunderent, interrumperéntque. Mulctarum exactionem tanta moderatione faciebat,vt non ſolùm neceſſitatē ſoluendi prorogaret, ſed etiam remitteret ſemper iis,

iis, qui inopia premerentur: nam & plurimos, qui ob debitam pecuniam in vinculis tenebantur, ſuo aëre liberauit. Annonæ quoque & rerum neceſſariarũ caritati tantam adhibuit diligẽtiam, vt neque pretia quæſtuariorum minuerentur, neque vrbes vnquam aut opulentiores, aut affluentiores viſæ ſint. Erat verò in Nicolao noſtro præcipua illa obſeruatio, ne vllis hoſpitiis prouinciam oneraret. Quòd ſi quando vſu veniebat, vt eſſet opus viſere oppida, circuire agros, nedum xeniis modum adiiciebat, ſed muneribus omnibus abſtinebat, præterquam eduliis: ea, ne inhumanus & agreſtis videretur, libenter *quædam accipiebat, ſed precium ſtatim æſtimatione harum rerum ſolui imperabat. Tecta præterea & ædificia tam publica, quàm priuata, ſi aut antiqua, aut refectionem deſiderare videbantur, prout cuiuſque vires, aut aëris Reip. permittebant, præpoſitis operum curatoribus, celeriter ſarciri inſtaurarique faciebat. Ex iis rebus breui tantam eſt gloriam conſecutus, vt, cùm acceptior ſenatui & bonis omnibus nemo eſſet, Procurator ædis diui Marci non minore lętitia, quàm conſenſu crearetur. & dignitate ſuſcepta, cuius id eſt officiũ,

*quidem.

vt pecuniæ Teſtamento legatæ, rectè legatariis diſtribuantur: non antè putauit periculum eſſe in rebus alienis diſtribuẽdis faciendum, quàm id ex ſuarum diſtributione didiciſſet. Pauperibus ergo bonorum ſuorum portionẽ maximam, factis ritè donationibus, erogauit. ô rem memoria immortali dignam, ô exemplum ſine exemplo memorabile. Quòd ſi hæc ita ſunt, quàm ſapiens, quàm ſincerum fuit illud veſtrum, Patres optimi, de Nicolao iudicium, cùm totius Reip. ſummam, eius curæ fideíque commiſiſtis? Quémnam potiùs in ſuprema totius imperij veſtri arce collocatum oportuit, quàm eum, cuius quotidie integritatem ac fidem conſpiciebamus, ſapiẽtiam experiebamur, liberalitatem ſentiebamus? à quo ad religionem, ad mãſuetudinem, ad honeſtatẽ inſtituebamur? Habet, habet benignitate Deûm aptos huic imperio ſucceſſores, habuítque & habitura ſemper eſt ciuitas noſtra. Non verebor tamen dicere palàm: ex tanto támque celebri numero hominum præſtantiſſimorum, ſanctiorem noſtra ætas aut clementiorem vidiſſe meminit neminem. Afferre poſſum vndique teſtes probitatis religioníſq; optimi Principis, niſi & res eſſet

ſuapte natura perſpicua,& ſuſpecta alioqui teſtimonia viderētur.Nam quoquouerſus circunfero oculos, neminem video, qui non ſit à Nicolao Principe aut obligatus officio, aut aliquo beneficio affectus. Vt enim omittam, quantùm publica authoritate omne hominum genus iuuerit,ſuſtentauerit, defenderit,ſtuduerítque,ne diues inopem impugnaret, aut inops in diuitem inſoleſceret: néve diues diuiti, inops inopi inferret iniuriam: ne aduenæ incolas turbarent, aut incolæ aduenas malè tractarēt:quæ omnia ſunt æqui Principis & diuini opera: vt omittam hæc inquam,quæ publica fide & maieſtate tum compreſſit, tum extinxit, connumerare poſſem infinita priuatæ liberalitatis exempla: quæ ne exirent, quandóque etiam cōminabundus obteſtabatur: ſolámque taciturnitatem pro collato cuique beneficio poſtulabat: hæc priuatim,illa publicè. In ſenatū non dico frequentiſſimus, ſed primus veniebat: abibat poſtremus. deductus domū, nihil nihil niſi de Rep. cogitabat, vbi & labores ſuos inueniebat: nam pecuniarum publicarū curam,vos, Patres,præter morē & inſtituta maiorum,ſoli Nicolao cōmiſeratis.Eas tanta fide,tanta diligen-

tia adminiſtrauit, vt aëraria alioqui iuſtis de cauſis exhauſtiſſima, hactenus nunquam exhauriri potuiſſe videantur. Summo mane auditoria aperiebantur. ſummo mane ingreſſus, accuratiſſimè & diutiſſimè omnes audiebat. Erat & in expediendis negociis aſſiduus, in conſulendis manſuetiſſimus, qui à diſſentientibus minimè læderetur. Nunquam tanta libertas proferendi ſententias, nunquam tanta commoditas deliberãdi, nunquam tantus ordo poſtulandi. Nunc vbi ſunt iſta? ô fragilis & cæca conditio hominum. cùm ad iſtud euectus es dignitatis culmen, Nicolaë Princeps rariſſime, vrbes, populi, nationes plauſu & lætitia effundebantur: nunc te erepto, ciues in luctu & lachrymis relinquuntur. Quò, quò nunc ſe egeni & calamitoſi homines conferent? Vbi, vbi es, qui alebas pauperes? Vbi, vbi es, qui cauſas ſuſcipiebas pupillorum? Vbi, vbi es, qui viduarum iura defendebas? Te, te omnis Italia lamẽtatur. te boni, te religioſi, te amici conqueruntur. Nemo, nemo eſt, qui non cenſeat tecum fortitudinem, tecum patientiam, tecum moderationẽ, tecum æquitatem, tecum clementiam, tecum liberalitatem, extinctas eſſe. ô ſtulta & inanis

ſors rerum humanarum. quò euanuiſti pater? quò raptus es Dux optime? Hucci-ne cogitationes noſtræ ceciderunt? hac ſpe miſer populus ex te fructus colliget? vt nos antè deſereres, quàm te tam bono Duce, tam facili Principe, tam commodo gubernatore frui inciperemus? ô impia & crudelis morbi vis, itáne nobis aduerſa fuiſti? itáne momento citiùs ſanctiſſimum Principem de medio ſuſtuliſti? Dereliquit ille nos in planctu, & in honeſtiorē locum demigrauit. Scimus, ſcimus illi cælum multo antè tempore fuiſſe deſtinatum. ſed cur tam miſerè nobis dij vltores feciſtis? Qui tantum deliquimus, vt nobis illum tam repentè eriperetis? Quid agimus? quid cruciamur, ſi nos neque lachrymæ quidem conſolari poſſunt? amiſimus, amiſimus eum, quem ſemper priuatim & publicè deſideraturi ſumus, amiſimus eum, in quo Reſpub. recumbebat, tanquam in tutiſſimo & certiſſimo præſidio. Sed iam tempus eſt, Optimates reuocare animum, putaréque nihil ad Nicolaum, qui nũc cum ſuperis diuerſatur, iſtas lachrymas pertinere. Illud potiùs cogitate, quomodo dignum tanto taliq; Principe ſucceſſorem habere. Reſp. poſſit. Ita enim & Reip. optimè

conſultum erit, & Nicolao, qui adhuc mortuus curã gerit ciuitatis, gratias maximas eſtis habituri. Vos quoque memineritis, fratrem veſtrum nihil minus vnquam extimuiſſe, quàm mortem: quam ſi magno & forti animo, vt nouit orbis, ſuſcepit: exiſtimare debetis illum moleſtè laturum, ſi vos mortem eius dolere plus velitis, quàm ipſe timuerit.

IN FVNERE *LEONARDI LAVREDANI Venetiarum Principis, Andreæ Naugerij, Patricij Veneti, Oratio.*

CRedo ego, ſiquis eorũ, quæ à nobis geruntur, mortuis ſenſus eſt, Leonardum Lauredanum, cùm ornatiſſimas has, quas illi celebratis, exequias, hanc pompam funeris, hunc nobiliſſimũ conſeſſum veſtrum, hunc vniuerſæ ciuitatis mœrorem videt: quòd ex his omnibus quamplurimorum illius in Remp. meritorum memores ſitis, cognoſcit: & libentiſſimo hæc animo accipere, & non parùm beneuolentia & pietate hac in ſe veſtra lætari: Neque tamen, ſiquis rectè conſideret, vlla re illum magis gaudere,

quàm his laudibus,hac virtutum ſuarum prædicatione exiſtimandum eſt. Vt enim reliqui honores omnes,quibus vos mortuos Principes veſtros ornare conſueuiſtis, & quos nunc huic cumulatiſſimos redditis, & maximi ſint, & pro amplitudine imperij ac Reipub. veſtræ dignitate conſtituti: opulentiam tamen quandam potiùs,ac Reip. ſplendorem præ ſe ferre videntur, quàm vt illi, cui tribuuntur, quicquam afferant, quod illius dici iure poſſit. Laudationes hæ propriæ illius ſunt,qui laudatur: neque quicquam ex his ſibi alius vendicat: ac per aliquot illi dies in vulgi ore ſunt, paulatim deinde è memoria excidunt, & breui tempore contabeſcunt: atque,vt diutiſſimè durent,memoriam certè hominum,qui eos viderint,non excedunt. Hæ,ſi quis rectè eas ſcripſerit, in dies augeſcunt, neque vllo tempore conficiuntur,ſed ex eo potiùs vires ſumunt, atque omnem ſuperare poſteritatem contendunt. atque illi,& eo tantùm in loco, in quo exhibiti ſint, atque ab iis tantùm, qui affuerint, ſpectari queunt. Hæ totum orbem peragrantur: hæ ſe omnibus paſſim oſtendunt,atque eodem etiam tempore diuerſiſſimis in locis eſſe poſſunt. Non imme-

ritò igitur, vt quiſq; eſt optimus, ita maximè laude ducitur: nec vehementiùs vllum in bonis omnibus deſiderium eſt, quàm gloriæ. Difficilem quandam & laborioſam vitæ rationem ſuſcipiunt, qui virtutis via niti conſtituerunt: nulli illis non vel vltro ſuſcipiendi labores, nulla non pericula ſubeunda: omnes contemnendæ voluptates, acerba ſæpè omnia perpetiēda ſunt: neque tamen tam agreſti ac fero animo quiſquam habendus eſt, vt credendum ſit, iis illum, quæ naturæ aſpera atque inimica ſunt, delectari. Quid ergo eſt? Vna laudis ſpes ac gloriæ, pericula & labores leuat, voluptatum illecebras negligit, acerbitates mitigat. Hæc vt vmbra virtutem ſequitur: atque ea merces eſt, quam vnam illa moleſtiarum omnium expoſcit: hæc tam acres bonorum animis ſtimulos admouet, vt non ſolùm, qui vitæ eam commodis anteferrent, inuenti ſint: ſed multi, & hi maximi ac fortiſſimi viri, mortē vltrò ſubiērint, vt immortalem ſui memoriam relinquerent Hoc pacto ſe vitam, quę breuis admodum data nobis eſt, longiſſimè proferre poſſe, atque æternam propè efficere arbitrati ſunt. Quæ cùm cognoſcerent maiores noſtri, hanc bonis à na-

tura inſitam cupiditatem gloriæ, non ſolùm alere, ſed augere etiam, ſi fieri vlla ratione poſſet, Reip. vtile exiſtimarunt: atque vt in omnibus Reip. partibus alia multa diuinitus, ſic ad cæteros hos honores, qui defunctis Principibus conſtituti ſunt, laudationes addi, & eorum celebrari virtutes voluerunt. His enim, non ſolùm qui rectè Reip. præfuerint, quæ meriti ſunt, laudis præmia cõſequuntur: ſed reliqui etiam, qui idem ſubituri munus ſunt, ad rectè agendum accẽduntur, cùm rectè factorum gloriam non ſecum mori, ſed ita memoriæ mandari vident, vt tùm maximè diuturnioris illam vitæ initiũ ſumere, affirmare poſſimus. Vnum fortaſſe ſit, quod hoc tempore, in veſtra hac pietate, in hoc tam grato in Principem veſtrum officio, deſiderari poſſit: quòd non is illi laudator contigit, qui dicendo illius aſſequi virtutes queat: qui idoneus ſit, quæ plurima ille ſemper æternitate digna geſſit, ita ſcriptis mandare, vt ad poſteros peruentura, & in omne æuum celeberrimũ illi nomen prorogatura videantur. Sed ne ob hoc quidem, ſiquis id diligenter perpendat, quicquam eſt, quod queri poſſit. Vos, quantũ in vobis eſt, omnia quæ à gratis animis expe-

ctari poſſunt, prçſtatis: funus ampliſſimũ pro eius in vos meritis, & Reip. opibus ducitis: adeſtis ad id honeſtandum frequentes, Patres optimi: adeſt vniuerſus populus: nemo omnium eſt, qui non illum, vt optimum Reip. parentem, raptũ fleat: qui non illũ, quamuis tradidiſſima ſenectute conſumptum, vt primis tamen annis acerbiſſimè ereptum conqueratur. Ad hæc, eum ego pro concione laudare iuſſus ſum. Nihil, quod officij veſtri eſſet relictum à vobis eſt. à me eſt, ſi qua in re minùs illius meritis ſatisfactũ eſſe exiſtimari debet. Ego verò eas præclari huius Principis virtutes eſſe animaduerto, vt nullius vnquam tanta dicendi vis, tanta ingenij facultas fuerit, quã parẽ illis celebrandis putẽ. Quamobrẽ non mihi id vitio vertendũ eſt, ſi eas aſſequi non poſſum: ſed eo ille admirabilior haberi debet, quo illius laudes, nõ mea ſolùm, quæ minor etiã q̃ mediocris eſt, ſed & omni eloquẽtia maiores ſunt. Neq; verò ob id ſileri de illis decet: malè enim ſe res *habeat, ſi, quo plura ac maiora in quopiam ornamenta ſunt, quòd difficile ſit illa oratione cõplecti, eo de illo minùs dicatur, atque eo præmiõ, quod vnũ maximè virtus exoptat, ob virtutem maximè de-

*habet.

fraudetur. Enitar igitur, quantùm à me fieri poterit,eo munere, quod mihi iniũ-ctum eſt,rectè defungi:cui tum ego profectò ſatisfeciſſe exiſtimandus ſum,cùm illa, quæ à me dici poterunt, pro ea, quæ in me eſt,dicendi facultate explicaro.

Primùm omnium,quoniam de eo mihi Principe verba facienda ſunt, in quo vno, quæ in hominibus laudari ſolent, cumulatiſſimè omnia inuenta ſint : non id mihi ſolùm conſiderandum eſt,quid à me dici, ſed multo magis,quid eorũ,quę plurima ſuppetunt,omitti oporteat. Si enim ea quæ dici poſſent,perſequi omnia voluero:neque id,quod mihi ad dicendũ temporis datum eſt, ſufficiat, neque aures fortaſſe veſtræ pati poſſint. De pulcherrima igitur hac vrbe, præclariſſima hac Rep. maximi imperij ſede, libertatis domicilio, totius Italiæ, atque adeò terrarum omnium tutiſſima quadã arce, & ipſius Principis,& noſtrûm omnium patria cõmuni,nihil eſt,quod hoc tempore dicendum putem. Quanquam enim non parui ad gloriam refert, qua quiſque in ciuitate ſit natus, & ipſe etiam præclariſſimus imperator Themiſtocles,ſi Seriphius natus eſſet, nunquàm ſe nobilẽ futurum fuiſſe confeſſus ſit : multò tamen

ego ea magis laude digna arbitror, quæ in homine ipſo ſunt, quàm hæc externa, & quæ fortunæ arbitrio diſpenſantur. Quamobrem de ipſo etiã Leonardi genere, quod & multo etiam vobis, quàm mihi eſt notius, non eſt, quod à me multa expectetis. Sed ne de tam illuſtri tamen familia omnino nihil audiatur, hoc vnũ dicam: vti Romæ è Curionũ genere plures quondam dicendi facultate, è Scęuolarum, iuris ſcientiam præſtiterunt: ita Lauredanã familiam fato quodam huic Reip. datam, quæ ſeminarium quaſi quoddã ſummorum eſſet imperatorum. Omnes propè huius Reip. opes, omnis dignitas, quæ maxima eſt, maritimis rebus creuit. Multa mari maiores noſtri egregia facinora ſæpè geſſerunt: multa hoc tempore quotidie à præclaris Imperatoribus veſtris, cùm res exigit, geruntur: atque ea ſemper noſtrorum in hac re virtus apparuit, vt non ſine cauſa iam tot annos maris imperium Veneto nomini conceſſum ſit. Sed ſiquis omnia recordari, aut ex annalibus quærere voluerit, plures propè ex vna Lauredanorum familia Imperatores rem præclarè geſſiſſe, quàm ex reliquis omnibus, inueniet: vt mihi diuina quadam men-

te nomen huic familię inditum videatur, quę omni bello ſuperior, victorię ſemper lauream reportaret. Neque verò ex hoc genere ego quenquam nominabo: ne de Hieronymo quidem Leonardi patre, & viro optimo, & ſapientiſſimo ſenatore, quicquam dicetur. Vnus mihi ſit Leonardus ſatis, ad cuius vnius laudes celebrandas, omnes orationis meæ vires, quantæcunque hæ ſunt, conferantur. Qui cùm præclariſſima domi exempla haberet, ac maiorum ſibi ſuorum virtutem, non ſolùm quam imitaretur, ſed etiam quam ſuperaret, propoſuiſſet: ita id cõſecutus eſt, vt in eam familiam, quæ nullo pacto fieri illuſtrior putabatur, multùm tamen luminis intulerit. Ac mihi quidem ſæpenumerò cogitanti, quàm multa ab iis, qui præclaris è maiorib' orti ſunt, expectari ſoleant: quámque illis, ſi vel minimum quid deliquerint, nihil ignoſcatur: dubium viſum eſt, meliùs ne ac cõducibilius homini ſit, non ex ignobilibus quidẽ viris naſci, ſed ex iis tamen, qui nõ ita magni fuerint, vt eorum nobis geſta oneri futura ſint, & eam fortaſſe expectationem excitatura, quæ nullo pacto ſuſtineri à nobis poſſit. & profectò ita ſe rem habere comperio, quanquàm

eunabula quidẽ ipſa tanti Principis prætermittamus. Cũ puer eſſet, egregia quædam pulchritudo, & probitate & pręclara ingenij adiuncta indole, ſic in illo elucebat, vt, cùm multũ ab his illa ornamẽti acciperet, non minùs tamen illius hæc eſſent commendatione gratiora. Primam hanc ille ætatem in literarum ſtudiis exegit, ac (quod mirũ omnibus videri poſſit) tantum puerili illa inſtitutione, quæ vix primis percipiendis rudimentis ſatis eſt, profecit, vt nunquàm poſteà ſit literarum expers habitus. Vt primùm verò è pueris exceſſit, ſimul ea, quæ ſe priùs oſtenderant, augeri videbantur: ſimul prudentia ac virtutes omnes pullulare, atque admirabili quodam prouentu ſe efferre cœperunt, cúmque ille, iam, quæ maiorum ſuorum virtus fuiſſet, quid ab ſe illis deberi crederetur, conſideraret: ac non multò pòſt, cùm tempus eſſet, capeſſendã ſibi Remp. conſtituiſſet: non in vmbra atq; ocio intereà diliteſcẽdum, neque quid agendum eſſet, è libellis quibuſdam ediſcendum, ſed in ſolem atque aciem ſibi prodeundum cenſuit. Ac maiorum quidem ille noſtrorum morẽ, atque inſtitutum id ſecutus eſt, quo ego vno ſeruato, noſtram Remp. maximè

auctam, intermiſſo, non parùm debilitatem puto. Exiſtimarunt maiores noſtri, eos, qui ad Remp. adminiſtrandam admittuntur, omnium rerum peritos eſſe oportere: facilimè enim in ſcopulos intrudi Remp. poſſe, ſi imperito commiſſa ſit. Adoleſcentes ideò ac iuuenes ſic inſtitui, vt, cùm ad Remp. accedunt, gnari ſint rerũ, quæ neceſſariæ ſunt, ſummopere vtile & tutum eſſe crediderunt. Præterea, vt maximæ Reip. diuitiæ, cùm vſus poſceret, præſto eſſe poſſent, omni ſtudio ſibi perficiendum eſſe opinati ſunt: has enim non pacis ſolùm ornamenta, ſed cùm nõnunquàm bella vel inuitis etiam ſuſcipienda ſint, neruos illos eſſe, quibus maximè Reip. vires ſuſtententur. Ad hæc cùm admirabilem & munitiſſimum hunc huius vrbis ſitum intuerentur, quò nulli exercitus, nulla vis, nulli hoſtes, omni aditu mari intercluſo, peruenire poſſint: tum demùm & hanc ſe inexpugnabilem reddituros, & rem Venetam maximè auctam iri arbitrati ſunt, ſi mare, quo ſolo adiri poteſt, validis claſſibus poſſiderent. Hæc tria illi cùm ſibi efficienda propoſuiſſent, admirabili quadam ſapientia vno omnia inſtituto aſſecuti ſunt. Conſtituerunt enim, vt complu-

complures quotannis onerariæ triremes, quæ mercaturam exercerent, ad omnes noſtri maris oras, & extra hoc etiã quædam nauigarent: atque in his patricios ire adoleſcentes voluerunt. Ex hoc id effectũ eſt, vt, cùm illæ omneis propè maritimas Aſiæ vrbes, omne interius Africæ littus, Hiſpanias, Gallias, omnem propè Europam, omneis quæ circa eã ſunt, inſulas adirẽt: qui in his eſſent, diuerſa Reſp. genera, diuerſa imperia intuerentur, multarũ nationũ atque hominum mores cognoſcerent: ac per hæc prudentiores facti, cùm exacta in his iuuentute ad Remp. accederent, eam ſapientiſſimè adminiſtrarent. Atque ego quidem neque negare vllo pacto poſſum, neq; ſi poſſim, negem, multa in libris inueniri, multa ſapientiſſimorum hominum præcepta memoriæ tradita, quibus & hac & omni alia in re, quæ homini agenda ſit, inſtrui poſſimus: ſed vt hoc non negem, ſic id conſtantiſſimè affirmare auſim, multos ſine vllis literis, ipſo rerum vſu edoctos, ſapientiſſimos ac regendæ Reip. ſcientiſſimos extitiſſe. Prudentia enim ea nimirùm eſt, quę in omnibus, quæ à nobis gèruntur, rebus dominatur. Ea quanquàm multa à literis habet adiumenta, eo ta-

men habet,quod,quæ multi viderũt,quę experti ſunt, ea memoriæ prodita legere, & legendo inſtitui ac doceri poſſumus: quę ſi adiumēto eſſe nobis fatemur,quãto id magis referre credēdum eſt, ſi quis, quæ alij legunt, videat: quæ ſcripta in libris ſunt,in his ille verſetur:neque cuiuſquam ſcriptis, quæ plerunque falſa ſunt, ſed ipſis rebus, quæ nulla ratione inuerti poſſunt, erudiatur? Prudentiſſimos Homerus Vlyſſem & Neſtorem, atque omnibus in rebus ſapientiſſimos fingit, neque tamen aut ocio, aut literis deditos vnquàm comperimus. Dum multorum ille hominum & vrbes & mores, videt, prudentiam illam aſſecutus eſt: Hic trium ſeculorum ſpatio, plurima tum videndo, tum audiendo, atque ipſe etiam gerendo, maximum rerum omniũ vſum adeptus, ac ſapiētiſſimus exiſtimatus eſt. Quæ cùm maioribus nota eſſent,pręclarè,quod à nobis dictum eſt,inſtituerunt: ſed & id etiam inſtituto illo aſſecuti ſunt, vt mirùm in modum Reip. opes creſcerent:præter portoria enim, quę maximũ è plurimis,quę & importãtur & exportãtur,rebus Reip. emolumentum afferunt: auctio aſſidua mercatura priuatorum diuitiis, in hac præſertim adminiſtrandæ

Reip. ratione, augeri publicas neceſſe eſt. Fiebat id etiam aſſiduis his nauigationibus, vt multi maritimæ rei peritiſſimi euaderent: atque hi, quoties inſtruendæ claſſes eſſent, eam Reip. operam nauarēt, vt non ſine cauſa per tot annos Venetum nomen cunctis gentibus mari formidoloſum fuerit: ac non ſolùm his propugnaculis ſemper vbs ſe noſtra tutata ſit, ſed & longiſſimè imperij ſui fines protulerit. Dolerem, Patres optimi, inſtitutum hoc aboleri: quererer iuuētutem noſtram non iam his artibus niti, quibus hæc creuit. Reſp. ſed aliis captam ſtudiis, vrbanæ ſe inertiæ atque ocio penitùs dedidiſſe: niſi ſperarem, ac planè iam viderem, omnia iam à vobis, quæ proximi huius belli motu concuſſa ac labefacta erant, firmari: neque quicquam prętermitti, quod vobis aut ad vtilitatem, aut ad dignitatem Reip. neceſſarium videatur. Sed vt vnde digreſſus ſum, redeam: totam Leonardus iuuentutem non inertem, non ocioſam, ſed in laboribus, aſſiduis in diuerſiſſimas regiones nauigationibus, perdiſcendo rerum omnium vſu egit: multas prouincias atque vrbes adijt: multa diuerſorū populorū imperia perſpexit: multarum gentium mores atque

inſtituta percepit. Quo factum eſt, vt nõ ſolùm mercatura opes, quem diligenter & cum dignitate exercuit, ſed & prudendentiam quoque, quæ illi à natura maxima data erat, mirum in modum * tamen hęc cognoſcendo auxerit. Neq; verò hęc ſola in illo conſpiciebatur, ſed & reliquis ita virtutibus abũdabat, vt mirum nemini videri debeat, cùm in Africa negociaretur, id quod diuulgatum eſt, Ægyptium illi quendam ſenem diuinantem dixiſſe, & feliciſſimum, & ſuæ ciuitatis Principẽ futurum. Equidem non nego, potuiſſe ſenem illum cæleſti quodam afflatu cõmoueri, & ea, quæ futura eſſent, huic præſertim, qui diis ſemper chariſſimus fuiſſe exiſtimandus eſt, diuino monitu nunciaſſe: ſed hoc contendo, ſine vlla id etiam diuinatione, ex ipſis huius virtutibus prædici facilè potuiſſe. Non immeritò igitur, vt primùm domum venit, atque animum ad regendam Remp. appulit, omnes honorum gradus adeptus eſt: neque quicquam in Repub. noſtra tam amplum fuit, quo nõ ille digniſſimus iudicaretur. Plures ille magiſtratus tum in vrbe, tũ extra vrbem, aliis multis in locis geſſit: atq; eos ita geſſit, vt geſſit, vt cùm ſumma omnia ſibi homines, ob

* hæc tãtũ

egregiã quandam, quæ de illo in omniũ animis inſederat, opinionem, cùm magiſtratum inibat, pollicerentur: magiſtratu defunctus, non modò, quæ ſibi illi promiſerãt, ſed multo plura, quàm quiſquam aut optare, aut ſibi ipſe fingere auſus eſſet, pręſtitiſſe videretur. Dicenda illi in vrbanis magiſtratibus de Rep. ſententia ſæpè erat. Hic verò prudentia illa admirabilis campum, quò excurreret, ac ſe oſtenderet, nacta, omnium oculos in ſe trahebat. cùm multa ille præterita meminiſſet: præſentia omnia exactiſſimè perpenderet, ac rerum inter ſe nexum & conſequentiam quaſi quandam diligentiſſimè conſideraret, nemo futura acriùs coniectabatur, nemo coniectura minùs fallebatur. Ea verò verborum grauitate, ea dignitate orationis vtebatur, vt, cùm nullis id ille illecebris, nullo artificio aucuparetur, nemo tamen vehementiùs, in quam vellet, partem audientium animos impelleret: in nullius ſententiam frequentiora ſenatuſconſulta fierent. Atque id ille eò etiam faciliùs aſſequebatur, quod egregius illius quidã in Remp. amor erat omnibus perſpectiſſimus. Nemo erat, qui neſciret, nulla illum priuata re, nullis ſuis commodis vnquàm

moueri, non amicitiis peruerti, non inimicitiis perturbari, nihil in gratiam cuiuſquã loqui, nihil dies noctéſq; aliud cogitare, quàm quemadmodum Reip. prodeſſe poſſet: nihil dicere, quod non Reip. vtile arbitraretur. Hæc cùm de illo homines ſentirent, mirum ſi maxima eius verbis authoritas inerat, ſi ſemper eſt ſenatus Princeps habitus? Agè verò in iure tum in vrbe, tum extra vrbem dicundo qualis fuit? Equidem difficilimum eſſe arbitror, ſine multorum offenſione ita iuſtitiæ præcepta ſeruare, vt nihil ab illis recedatur. Ac multi quidem ita triſtes, ita acerbi in iudicando ſunt, vt vel vtranque partem etiam, nemo fortaſſe eſt, qui non eorum ſaltem animos, quos cõtra ſtatuit, offendat. hic, cùm nulla gratia, nullis opibus, nulla vi, nullis precibus permoueri vnquàm potuerit, quin grauiſſimus & ſeueriſſimus iuſtitiæ cuſtos eſſet, ita tamen illam iuſtitiæ aſperitatem clementia & comitate quadam condire eſt ſolitus, vt ne ij quidem, quos contra pronunciabat, cur illi inimici eſſe poſſent, inuenirent. Magna hæc ingenij vis: virtutes eas, quæ diuerſiſſimæ atque aduerſę propè inter ſe eſſe creduntur, ita coniungere, vt non alteri ſolùm

altera non officiat, ſed & magno etiam ſit ornamento. Quid? in cæteris qualis inuentus eſt? abſtinentia ſingulari, ſumma in rebus omnibus temperantia. Ita faciles ad eum aditus patebant, vt neque tempore, neque loco vnquam vllo quiſquam excluſus ſit, quin & eum adire, & quæ vellet, liberè loqui poſſet. Iam populos, qui eius curæ commiſſi erant, non ille vt dominus, ſed vt bonus parens, regebat. Amabat omnes, ęquus erat omnibus: ſed bonos tamen & amore & indulgentia quadã præcipua proſequebatur. Ex his fiebat, vt hæ feliciſſimæ ciuitates eſſe, quibus ille præerat, putarẽtur. His ille gradibus, hac via nixus, in ampliſſimã hãc huius Principatus arcẽ aſſcẽdit. Cum enim eius iã latè nomen increbuiſſet, virtutes omnibus notæ eſſent, Auguſtino Barbadico Principe defuncto, in eius locum ſuffectus eſt. Percurſa ſunt à me multa breuiter, quæ multo profecto & latius & ornatius erãt explicãda: omiſſa etiã nõ pauca. Neq; enim in vlla hic vitæ parte non omni laude, omni admiratione dignus fuit. Sed rapuit me ad ſe citius fortaſſe quam decuit, ipſius Principatus ſplendor. hic ſuo lumine quaſi tenebras reliquis rebus offudit. de

vnum eſſe, cuius conſilio omnia gubernentur: qui non ſui ſolum, ſed & omniũ qui ſub imperio eius ſunt, curam gerat: eorum commodis cõſulat, incommodis medeatur, ſaluti prouideat: qui & præſentia rectè diſponat, & ea etiam, quæ futura ſunt, multò antè præuideat. Ac, cùm cùm hæ difficultates iis omnibus, quibus aliquod ſit imperium adminiſtrandum, propoſitæ eſſe videantur: tum & has, & multo his maiores ſubeat neceſſe eſt, qui noſtræ Reip. Dux perficitur. Atque huius ego rei oſtendendæ cauſa, dum altiùs quædam repeto, ne me quæſo oblitum inſtituti mei putetis. nihil loquar, quod non ad rem pertineat: nihil, quod non & noſtro huic Principi, & vobis omnibus laudi ſit. Tanta prudentia Maiores noſtri, tanta ac tam ſingulari in rebus omnibus ſapiẽtia fuerunt, vt eos potiùs nunquam ſatis admirari, quàm pro meritis laudare poſſimus. Hos ego quanquam in omnibus tum dictis, tum factis diuinos quoſdam viros inuenio: nihil tamen ab his præclariùs, quàm hanc huius Reipu. adminiſtrationem, aut excogitatum, aut conſtitutum arbitror. Tres regendarum ciuitatum rationes ſunt: Vnius, Optimatum, populi dominatus. Vnius imperiũ

ſi quis id rectè gerat, cæteris præfertur. ſecũdo loco optimatũ poſtrema omniũ popularis adminiſtratio, exiſtimatur. ꝙ ſæpiſſimè is tamen, qui omnia vnus poteſt, pro libidine plurima, nihil iure agit: atque eò cæca quadam cupiditate fertur, vt omnia vnus poſſidere, nihil cuiuſquam eſſe proprium velit: quodque extremum ciuitatibus exitium eſſe conſueuit, ſuis ipſe ciuibus, quorum vtilitati præcipuè conſulere deberet, infenſiſſimus hoſtis eſt: & quod populi dominatio velut mare quoddam, ita multis ſæpè ventis, atque adeò auris omnibus agitatur, vt nihil illa ſit commotius: ac tanti plerúnque in ea fluctus excitantur, vt in ciuitatem etiam redundent, atque eam ſæpè demergant. Ob hæc optimatum potentia, quanquam & ſuis ipſa vitiis non careat, maximè tamen tuta, atque omnium optima exiſtimata eſt. Hæc cùm maiores animaduerterent, quod in vnaquáque optimum viſum eſt, transferentes, ac vitia omnia quantum fieri poterat, amputantes, hanc Reip. formam conſtituerunt: quæ quidem ita ex omnibus miſta eſt, vt, cùm optimatum quidem illa gurbernatio eſſe maximè videatur, cæterarum

tamen etiam adminiſtrationẽ quodammodo expers nõ ſit. Comitia, quibus magiſtratus creantur, quod maxima in his ciuium multitudo eſt, atque eò omnes conuenimus, quanquam nullo pacto huc quiſquam è populo adſpirare poſſit atq; vnius ſint nobilitatis omnia, ſpeciem tamen quandam popularis gubernationis præ ſe ferunt. Vnius dominatio in eo, qui Dux creatur, conſpicitur: cætera omnia optimatũ adminiſtrationi conueniũt. Atq; vnũ quidem ex omnibus eligi, qui toti præeſſet Reip. cũ ob alia multa, tũ ob id maximè conſtituerunt, quod videbant id in hac Rep. quod in omni & optimatum & populi imperio fit. fieri neceſſe eſſe, vt annui ſcilicet magiſtratus, aut aliquo certè non longo tempore definiti, crearentur. In eo vero id eſſe incommodi, ꝙ, cùm ij plerúnq;, qui ea, quę in Rep. agenda, ac quo omnía dirigenda conſilia eſſent, tenerent, peracto magiſtratus tempore priuati fierent: noui vero, ac rerũ, quæ gererentur ignari, ſuccederent prætermitti multa, ac magno affici Rẽp. detrimento neceſſe erat. Ob hæc illi vnũ aliquem Reip. præfici vtile eſſe opinati ſunt, qui ad Reip. gubernacula aſſiduus ſedeat: * cæteri munus quiſque munus *cæterorũ.

ſuum exequatur: ille omnia diſponat & quę viſa fuerint, imperet: atque eò curſum dirigat, vbi maximè & ſalutem & vtilitatem Reip. eſſe cognoſcat. Neque vero quemadmodum in rege ſuo Lacedemoniorum Reſpublica, ſucceſſione hoc fieri ſed ex iis, qui in Rep. verſati eſſent, atque egregij in Remp. animi, ac virtutum omnium ſigna multa dediſſent, ſapientiſſimum eligi voluerunt. Huic autem, ne imperandi dulcedine tranſuerſus aliquando rapi poſſet, ita ſuas dixerunt leges, vt cũ in ſumma rerum omnium poteſtate ſit, non minus tamen, quàm noſtrum quilibet, legibus teneatur. Maximo igitur cõſilio, & alta quadam ſit mente præditus neceſſe eſt, qui in noſtra Rep. Princeps cõſtitutus, quæ ab eo debentur, præſtare ac rectè exequi voluerit. Ac cæteris quidem omnibus, qui ciuitatibus ſoli imperant, ſi eas rectè adminiſtraturi ſint, multi & magni ſuſcipiendi labores ſunt, ſed quod pro ſua illi voluntate, omni præſcripto liberi, multa gerere poſſunt, minus id difficile haberi debet, noſtræ Reip. Principi ſimul omnia, quæ illis, onera incũbunt: ſimul ſeueriſſimis legibus obtemperandum eſt. Quod ſi quis hoc, quod omniũ difficilimum eſt, rectè geſſerit, nónne

immortales illi laudes & diuini honores debentur? Quis igitur noſtrũ hunc Principem ſatis pro meritis vnquam laudauerit?qui talis in diuerſiſſimis his rebus inuentus eſt, vt rectè Principatum adminiſtrando,iis,qui in imperio ſunt, quẽadmodũ adminiſtrari imperia debeãt:legib⁹ parendo, priuatis quemadmodũ legibus parendum ſit, propoſuiſſe exemplum videatur. Quæ vt ab omnibus cognoſci poſſint, quemadmodum per xx. hìc annos Remp.adminiſtrarit, quem ſe Principem oſtenderit, quo cœpimus ordine perſequemur. Qua tempeſtate Princeps is veſter creatus eſt,quanquam ne id quidem prætermittendum eſt, maximo illum conſenſu,atq; eodem die, quo ferri ſuffragia cœpta ſunt,quod rarò admodum fieri conſueuit, creatum eſſe;neque paruum hoc teſtimonium illius virtutũ haberi debet,in refertiſſima ſapiẽtiſſimorum ciuium Rep. ne diù quidem dubitatum eſſe,quiſnam præferri omnibus deberet. ſed qua tempeſtate is Princeps creatus eſt,bellum nos cum Baizeto Turcarum Rege aliquot iam annos acerrimum gerebamus: & cùm iam Benedicti piſaurij clariſſimi ac fortiſſimi viriductu, meliore loco res eſſe noſtræ cœpiſſent,

ac pleríſque hoſtium oppidis eius conſilio ac militum virtute captis, repreſſus aliquantum illorum furor videretur, & iam ſatis oſtenſum, non eos nos eſſe, qui illatas vlciſci iniurias nequiremus, non multo poſt de pace agi cœptum eſt: qua tandem, diù re vltro citróque agitata, maxima cum dignitate veſtra conſtituta, per plures vobis annos omnia ſecunda euenêre. Vos pacatiſſimo in ocio, ampliſſimo in imperio maxima cũ dignitate agitabatis. Princeps ipſe inter ea, cum nullæ eſſent in Rep. tempeſtates, quæ magnum admodum gubernatoris laborem poſcerent: non minoris tamen eſſe artis Remp. in pace admiſtrare, oſtēdebat. Hic, ne idem mihi ſæpius dicendũ ſit egregiæ illę animi dotes, de quibus antè dixi: quæ iam tot annos, quibus ille in Repub. verſatus fuerat, omnibus perſpectæ erant, eædem tanto etiam tum in eo maiores videbantur, quanto iis, qui ad aliquam regendæ Reipub. partem admittuntur, præſtare totius Reipub. Principem oportet. Per hæc tempora, cum alia ille multa præclarè geſſit, tum id maximè, quòd, cùm eiuſmodi eſſe omnes Reſp. & inter cæteras noſtram hanc pręcipuè arbitraretur, vt nihil illis magis ca-

uendum,quam bellum,eſſet:nihil magis, quàm pacem, expetendum duceret: hac foueri eas atque ali, neque ſubita aliqua vi, ſed ipſo tempore atque occaſionibus, quæ plurimæ in dies accidunt, augeri oportere:& cum vos hoc illi aſſentiremini,ita id præſtitit,vt cum multa illis temporibus,tum ab Italis, tum ab externis regibus,tota Italia bella geſta, multa variis in locis prælia plurimo ſanguine cõmiſſa,atque omnibus odiis certatum ſit, nemo tamen Venetis hoſtis fuerit: ſed cùm æquè ab omnibus colerentur, vt arbitri illi quidam potius ad componendas inter eos res adhiberentur. Atque hac quidem ille ita pace fruebatur, vt cum eam omni ratione perpetuo conſeruandam putaret, animaduerteret tamen,ea nonnunquam tempora incidere,quibus vel neceſſario bellum gerendum ſit. Itaque, vt periti gubernatores ſolent, qui quanquam omnia obſeruaturi ſigna ſint, omnem in eo curam collocaturi,vt tranquillo mari nauigent,neque ſæuientibus ſe ventis commitant:quod momento tamen plerúnque tempeſtas incidit, iam tum cùm in portu ſunt, omnia præparant, quæ tolerandæ tempeſtati neceſſaria eſſe videantur: ſic ille iam tum

in pace,quę bello,ſi quodincideret,opor-
tuna eſſent,conſiderabat. Qua in re,cum
nihil eorum,quæ agenda eſſent, præter-
mitteret:tum præcipuè ærario ac publi-
cis opibus proſpiciendum cenſuit. Cùm
vero ob ingentes, multis, quæ geſſeratis,
bellis factas impenſas, maximo alieno
ære vrgeri Rem p.ac tantum deberi ciui-
bus videret,vt vel eo,quod illis,dum ple-
nè aliquando ſatisfieret,quotannis pen-
debatur,prope omnia vectigalia ac Rep.
redditus abſumi neceſſe eſſet : omni cu-
ra inuigilandum,vt id ratione aliqua diſ-
ſolui poſſet,exiſtimauit. Eo diſſoluto,tā
latè patere imperium veſtrum , tam opi-
mas , tam fertiles regiones ſub ditione
veſtra eſſe cernebat , vt facilimum factu
eſſet,maximas vobis diuitias exaggerari
ac tantum non multo tempore in ærariū
auri congeri , quantum nullis vnquam
bellis,nullis ſumptibus exhauriri poſſet.
Hanc vos eius ſententiam cùm ſecuti eſ-
ſetis , ita toto ille animo in eam rem
incubuit,eam,vt id fieri poſſet,rationem
inuenit , vt breui tempore tanta res , &
qua nulla vnquam Reip. vtilior ex cogi-
tata eſt confici poſſe , ac porpe iam con-
fecta eſſe videretur. Sed repens id , quod
præter omnium expectationem bellum
ſubitò

ſubito exortum eſt, vt alia nobis multa detrimenta intulit, ita huic etiam rei fuit impedimento. Secuta ſunt tempora, quæ ſi ex ipſa rerum natura euelli vllo pacto poſſent, non ego præclariſſimi huius viri ac veſtrum omnium laudem, quam maximam proximo hoc bello adepti eſtis, tanti faciendam ducerem, vt non id mihi votis omnibus exoptandum exiſtimarem. ſimul enim & moleſtiæ ac calamitates omnes, quibus his temporibus Reſp. affecta eſt, extraherentur. Sed quoniam fieri id non poteſt, non mihi ego, ſi eorum vobis memoriam renouaro, vulnus, quod iam obductum eſt, refricaturus, ſed gloriam potius veſtram prolaturus, atque hominum ſermonibus propoſiturus videor. Ac quo ego magis cogito, & res eas, quæ euenere mecum ipſe conſidero: eo magis fato neſcio quo, cui nullis hominum conſiliis, nulla vi reſiſti poſſet, arma in nos illa concitata, ac tantam ſubito belli molem extitiſſe comperio. Quid enim maiores veſtri, quid vos vnquam aliud egiſtis? quis veſtrarum cogitationum omnium alius vnquam terminus fuit? quid ſibi aliud veſtra vnquam vota poſtularunt, niſi vt in pace atque ocio eſſe, ac veſtra tran-

quillè perfrui Rep.poſſetis? Cùm multas vos ciuitates, multa regna, ob nimiã imperandi cupiditatem concidiſſe, eámque ipſam nõ longiſſimè prolatis finibus, ſed moderatione animi terminari poſſe cognoſceretis, ſatis magnas vobis opes, ſatis amplum eſſe imperium putabatis. Id vero cùm ſola pace diuturnum ac perpetuum fieri poſſe videretis, omnia veſtra ſtudia, omnes cogitationes pacis erant. hac iam ab initio altam ac auctam veſtrã Remp. nôratis: hac illam in poſterum omnem temporum æternitatem ſuperaturam ſperabatis. atque ideò nemini vos vnquam vltro iniurij fuiſtis: neminẽ bello laceſſendum, ſed vobis tantum ac ſociis veſtris illatas iniurias propulſandas cenſuiſtis. At verò officio cum omnibus ſemper certauiſtis: inita fœdera ſanctiſſimè obſeruauiſtis: fidem conſtantiſſimè coluiſtis. Quibus rebus cùm fieri id deberet, vt omnium maximè ab omni iniuria tuti eſſetis, neque quiſquam non beneuolus vobis eſſet: repentino tamen quodam impetu prope omnes totius Europę nationes ad vos tanquam omnium communes hoſtes extinguendos, confluxerunt. Multa ego hic mihi iuſtiſſimas ob cauſas ſilenda arbitror: vnum hoc tamen

dicam:ſi vlla vnquam ratione fidem aliqua in re non obſtinatiſſimè ſeruandam eſſe perſuaderi vobis potuiſſet, facilimè hanc à vobis euitari procellam potuiſſe. ſed vos ne totius quidem orbis imperiũ tanti faciendũ, neq; vllam tam extimeſcendam vim, vllum tam formidabile periculum eſſe iudicauiſtis, vt à fide dimoueri, atque ab officio diſcedere deberetis. Hoc vos animo cum per vos etiam eſſetis, quippe qui in obſeruãtiſſima officiorum omnium Rep. nati, atque educati eſtis: multum tamen ad id conſtantiſſimus vos Princeps veſter & oratione animauit & authoritate confirmauit. Maximam igitur ſimul ille, ſimul vos omnes gloriam conſecuti eſtis: ſed magnas, neque eas tamen culpæ vllius, ſed innocentiæ & laudis pœnas dediſtis. Cum multi huius Reip. ſplendorem, aſſueti ipſi tenebris, ferre non poſſent, atq; extinctum cuperent: alij, qui Italiæ ipſi oppreſſores ac prædones eſſent, æquabile hoc imperiũ hanc per tot annos conſeruatam libertatem & odio proſequerentur, & timerent, ne veſtro aliquando exemplo, ac totius Italiæ iam diù extincta libertas reuiuiſceret: nonnulli, florentiſſimi atque opulentiſſimi imperij diripiendi cupiditate

tenerentur: factum eſt, vt & in vos omnesinter ſe illi coniurarent, & coniũctiſſimi, vobis Reges, ac veſtræ ſemper Reip. amantiſſimi, ita fictis improborum delationibus à vobis diſtraherentur, vt arma etiam ſibi in hancRemp. ſumenda eſſe iudicarent. Hic vero cùm vos ſubita atque inexpectata re oppreſſi, veſtras, hic copias, quæcúnque tum repente contrahi potuerunt, opponere cogeremini: accepta illa calamitas eſt, de qua me quæſo, Patres optimi, ſilere patiamini: eiuſmodi enim fuit, vt ſinè acerbiſſimo animi ſenſu, neque à medici, neque audiri à vobis poſſit. Hac clade nunciata, quod tantum animi robur, tanta vis, tanta firmitas eſſe potuit, quàm non tanto incommodo labefactari ac concidere neceſſe fuerit? & certè (vt verum fateamur) trepidatum aliquantum à multis eſt: multorum animi perturbati ſunt: ciuitas diù paci ac proſperis ſemper aſſueta, tanta & tam repentina rerum omnium mutatione non commoueri non potuit. Sed admirabilis quædam veſtri Principis fortitudo, & ſuis ipſa viribus inconcuſſa permanſit, & eã vocẽ emiſit, ea grauitate veſtri vos decoris ac dignitatis admonuit, vt erectis omnium animis, nemo vnquam

in tolerandis aduerſis firmior, quàm vos vniuerſi fuiſtis, inuentus ſit. Sed non hęc ſolũ eo tempore in vobis virtus enituit. permultæ ſe aliæ, quæ antè latuerant, vt quanque difficilima illa tempora exigebant, oſtenderunt, cùm tantam in vos procellam illam, nullo veſtro merito ſubito extitiſſe videretis, neque facto ſemel periculo, ſuſtinere eius vim potuiſſetis, vel alicui deorum immortalium in vos iræ, vel maioribus quibuſdam viribus cedendum eſſe ſtatuiſtis, neque quicquam, quod ad leniendos hoſtium animos accommodatum eſſe videretur, prætermiſiſtis. quanta hæc animi moderatio haberi debet? ſed cũ ſęuiores in dies illi, ac ferociores fierent, iidem vos, cùm iam moderatione veſtra & deos, ſiqui irati vobis erant, pacatos, & cauſam veſtram omnibus iam probatam iudicaretis bellum vobis acerrimè, atque omni animorum contentione gerendũ eſſe decreuiſtis. & id vero ita geſſiſtis, vt cum nihil iã vobis hoſtes, quod aut agere, aut ſperare poſſetis, reliquum eſſe exiſtimarent, tum vos recuperata vi Patauio, his & illã & Tauriſium præſidiis firmaueritis vt his quaſi frenis quibuſdam hoſtiũ furori iniectis, cum toto hoc bello in has

illi vrbes propè quotannis irruerent, omnis ſemper eorum audacia compreſſa, omnes impetus alio detorti, atque infracti ſint. Sed nihil profecto eorum, quæ à vobis geſta ſunt, mihi æquè memorandum videtur, ac prima illa, recepta recens Patauio, tolerata in ea vrbe oppugnatio. Cētum hoſtium millia ferociſſimis ac pugnaciſſimis è nationibus, maximo cum tumultu, derepente tanquā procella quędam, ad eam occupandam vrbem irruerunt. Vobis quidem, & egregij Imperatores veſtri, & ſelecti, qui aderant, milites ſatis ad eos reprimendos eſſe videbantur. ſed trecentis tamen ego patriciis illis viris, quos, tumultu illo trepidè nunciato, eò mittendos cenſuiſtis, opportuniſſimā vobis vrbem potiſſimum conſeruatam puto. atque in iis quidem omnibus, quæ à me dicuntur, cum maxima vobis omnibus, tum verò præcipua quædam veſtro Principi laus debetur. Ille enim rebus omnibus præerat: ille omnium vobis conſiliorum author erat. Sed nulla tamen ille in re, quàm hac, quæ à me poſtremò dicta eſt, maiori laude dignus exiſtimandus eſt. Recordamini, Patres optimi, cū vos de patriciis illis Patauium mittendis hortaretur, quę verba locutus ſit. quatuor

ſibi eſſe filios dixit: omnes & moribus (niſi patrius ſe amor fallat) & virtutibus ornatiſſimos, ſibi certè iucūdiſſimos: eorum tum in omne ſe diſcrimen duos patriæ offerre, nec recuſare & reliquos, & ſe etiam (ſi id res poſcat) pro ſalute Reip. deuouere. Quæ cum maxima omnium acclamatione excepta eſſent, egregia illa nobilium iuuenum manus, hoc exemplo commoda ad auxilium patriæ ferendum Patauium profecta eſt. hic verò, cum & ipſi illi Principis filij, & reliqui patricij iuuenes vbique adeſſent, nulli non ſe periculo obiicerent, omnes vltrò labores ſubirent: tanta militum veſtrorum animis alacritas, tantus hoſtium contemptus innatus eſt, vt innumeras illas copias: illam vndique circunfuſam multitudinem, non ſolum ad eā, quam ipſi tuerētur, expugnandam vrbē, ſed ne ad congrediendū quidem ſecum acie, parem iudicarēt. Itaque cùm plures ibi dies hoſtes conſumpſiſſent, ſuóſque omnes conatus fruſtra eſſe cernerent: ab incepto deſiſtere, & abire turpiter coacti ſunt. Magna hoc facinore apud omnes gentes huic Reip. parta eſt gloria: magna Veneto nomini authoritas acceſſit: magnæ verò à nobis omnibus noſtro Principi, qui

huius facinoris author fuit, gratiæ haberi debent. Neque vero hac vna in re præclari huius viri authoritate cōpulſi, multum Reipub. profuiſtis: ſed cùm plurimis graui hoc bello ſumptibus iā exhauſtum ærarium eſſet, & impendi tamen in exercitus noſtros multa neceſſe eſſet: credo equidem & egregio vos in patriā amore adductos, priuatas in Rempub. opes contuliſſe, non parum ad id vos tamen aſſiduæ etiam noſtri Principis cohortationes, excitarunt. Quoties ille in ſenatu, quoties in comitiis, vltra etiam ætatis vires, magna contentione, grauiſſima hac de re verba habuit? Factum eſt igitur, vt, cùm penitus iam acciſas Venetorum res, neque vllum iam ab his diutius exercitum ſuſtentari poſſe omnes crederent, tum vero tanta ac tam immenſa ſubito opum vis extiterit, vt mare potius huic ciuitati, quo interluitur, quàm vllas vnquam Reip. diuitias deeſſe poſſe, facilimè omnibus perſuaſum ſit. Sed ne id quidē à me ſileri decet, quod, neſcio an iis omnibus, quæ à me hactenus dicta ſunt, anteferēdū ſit, quod cum multos diuturni iam belli tæderet, multorum animi aduerſis iis, quæ (vt in tam longo bello fieri neceſſe eſt) pleráq;

accidérant, infracti eſſent:hic ea ſemper in ſententia perſeuerauit,quam vos ſecuti,& maximam admirabilis cuiuſdam cõſtantiæ laudem adepti eſtis,& in priſtinã tandem imperij amplitudinem Remp. reſtituiſtis. Multę quotidie pacis cõditiones vobis proponebantur: ac cum de his ſæpius ageretur, atque in eas nonnulli imbecillitatequadam animi nimium pacis cupidi,nõ magna Reip.dignitatis ratione habita,deſcenſuri viderentur,cùm pręter ſenectutem,quę grauiſſimus per ſe ipſa morbus eſt,aduerſa etiam valetudine laboraret, ad hanc tamen ille diſſuadendam nec ſatis fidam, nec decoram pacem, præſto ſemper fuit: ſemper ea, quæ Reip.dignitas poſceret, locutus eſt. Admirãtur Romanarum rerum ſcriptores Appium illum Cæcum,cùm illi ad cæcitatem grauis etiam ſenectus accederet, cum de Pyrrhi pace ſenatus conceleretur ad eam ſe tamen impediendam deferri iuſſiſſe:nos de hoc ſilebimus?qui in ſumma itidẽ ſenectute impeditiore etiã morbo quã haberi cęcitas debeat,penè cõfectus,nõ ſemel,vt Appius,ſed & hãc ad rẽ ſæpius affuit, & aliis omnibus, quæ de Repub. agerentur, rebus, toto hoc decennio ſemper interfuit. Profecto nihil

eſt patriæ charitate præſtantius. ea vna omnem illius morbi vim repellebat, omnes ſenectutis moleſtias abſtergebat. hîc verò, cùm ille magnam quandam animi vim oſtenderet, nihil cuiquam prius, nihil potius Reip. dignitate eſſe debere diceret: pericula & labores omnes, mortem ipſam denique bono cuilibet potius ſubeundam, quam vllam vnquam pati Reip. turpitudinis maculam inſpergi: turpi pace ſuſcepta, nulla vnquam re deleri hanc labem poſſe: fortunam Reip. mutari poſſe, rerum omnium continuas mutationes eſſe: ſperandum ex iis, quæ pertuleramus, aduerſis eſſe, iamiam adeſſe, vt noſtræ res in melius verterentur nunquam Reip. ad tolerandum bellum defuturas opes: Deos etiam immortales ciuitati, quæ tam piè eos ſemper coluiſſet, non defuturos: cauerent modo, ne ignominię notam aliquam Reip. inurentes, deorum ab ſe animos, qui illam tutarentur, auerterent. Hæc cum ille commemoraret, vos ei, Patres optimi, ſemper aſſenſi, bellū potius cum dignitate Reip. vobis gerendum, quam turpi pace quieſcendum ſtatuiſtis. Neque verò eſt, quod huius vos ſententiæ pœnitere poſſit. nam non longo interiecto tempore, opulen-

ſſimus ac potentiſſimus Gallorum Rex
ui ſemper antea coniunctiſſimus huic
eipub.fuerat,ac multas vobiſcum ne-
:ſſitudinis cauſas habebat,cùm falſis ſe
ıaleuolorum ſermonibus ab amicitia
:ſtra, quam fidiſſimam ſibi ſemper ex-
:rtus eſſet, auulſum videret, occultis
ſe illorum odiis ac fraudibus cognitis,
l vobiſcum fœdus iniit, vt quod inter-
:ſſerat diſſidium, reintegratio amoris
uædam (quod nonnunquam fieri con-
ıeuit) fuiſſe videretur. Is ità exercitu pa-
ıtiſſimo, ita omni vobis auxilio prɇſto
iit, vt tantis viribus additis, quæ violen-
ı vobis illa proximi belli tempeſtas ab-
ulerat, ea prope omnia intra paucos
ies in poteſtatem veſtram redacta ſint.
'um vero, cùm ſatisfactum iam dignita-
i veſtræ iudicaretis, atque æqua iam tan-
ē vobis pax offerretur: nullis vos ſum-
tibus, nulli rei parcendum eſſe, dum ea
ieret, cenſuiſtis. Quam cùm item ad rem
onficiendam omnem operam amiciſſi-
nus vobis rex, omne ſtudiũ contuliſſet:
actũ eſt, vt ſub induciarũ nomine, pax
it vobis firmiſſima conſtituta. Sed quo-
ıiã cõmemorandis iis, quæ cum omniũ
eſtrũm laude coniũcta eſſe, & ad Rẽp.
ertinere viſa ſunt, longior fortaſſe

fui, quàm vt plurima à me hoc tempore dici poſſint: multa, quæ mihi ipſe dicenda propoſueram, prætermitti neceſſe eſt. ſed & ſatis ex iis tamen, quæ dicta ſunt, qualis hic fuerit, quàm diuinus quidam vir haberi debeat, cognoſci poteſt. Quā enim è præclariſſimarum illi virtutum cœtu, quæ aut ſolæ, aut certè maximè in homine laudādæ ſunt, defuiſſe dicemus? profectò ſiquis eum iam inde ab adoleſcentia penitus inſpicere, tum quæ ab illo, & in prouincialibus, & in vrbanis magiſtratibus geſta ſint, quemadmodum denique principatum adeptus, tum tranquillis, tum omnium, quæ nobis vnquam inciderunt, difficilimis temporibus, Rempub. adminiſtrarit, conſiderare voluerit: nihil in hoc, eorum, quæ in magnis ac præclaris viris admirari conſueuimus, deſideratum eſſe cognoſcet. Sed ne eorum quidem, quæ aut à natura, aut à fortuna hominibus dari ſolent, quicquam illi admodum defuit. quæ quanquam nulla ratione cum animi bonis, de quibus iam abundè diximus, conferenda ſunt: eiuſmodi tamen ſunt, vt nec ſolam ad beatè viuendum virtutem ſufficere, nec ſine his felicitatem illam, quam omnes appetunt, conſequi quenquam

oſſe, præclariſſimi etiam ac ſapientiſſi-
mi homines exiſtimarint. Ego quidem,
quãquàm nihil à diis immortalibus hu-
mano generi virtute maius aut præſtan-
tius datum arbitror: non parùm tamen
ex his etiam eorum in nos beneuolen-
tiam declarari puto. Quod ſi ita exiſti-
mandum eſt, quis vnquàm diis immor-
talibus charior Leonardo fuit? quis eo-
rum muneribus ornatior? præclariſſima
in ciuitate, maximè nobili atque illuſtri
ortus genere, & egregia quadam forma
fuit: & honeſtè partis diuitiis abundauit,
& ita proſperos rerum omnium ſucceſ-
ſus habuit, ita ſemper illius virtutes for-
tuna comitata eſt, vt nihil vnquam opta-
uit, quod non ſit cumulatiſſimè conſecu-
tus. omnes in optimè cõſtituta Rep. ho-
norum gradus adeptus, atque illius de-
mũ Princeps creatus, in eius adminiſtra-
tione ad extremam vſque ſenectutem
vixit. Acceſſit ad hæc, quod & rarum ad-
modum, & difficilimum haberi ſolet, vt
& plures liberos, & egregiæ omnes pro-
bitatis procrearet: è quibus, cùm prima-
riis ciuitatis viris in matrimonium filias
collocâſſet, & Hieronymo item è filiis
vxorem deſpondiſſet, quod magnæ cu-
iuſdã felicitatis eſſe creditur, & nepotes

& neptes, & ex his & pronepotes & proneptes vidit. Sed vt hoc feliciſſimè illi contigit, ita id non licuit, vt omnes ſibi ſuperſtites filios relinqueret. Nam vltima iam in ſenectute conſtitutus, cum ad id vſque tempus incolumes omnes fuiſſent, importuna morbi vi, altero abhinc anno Bernardum amiſit: quo ingenio? qua comitate? quãtæ ſpei iuuenem? Non leuius ego huius morte illatum patriæ, quàm patri vulnus puto. Quis hic vir? qualis ſenator? quantus in Rep. adminiſtranda fuiſſet? ſed iniqua illum fortuna nobis inuidit. At quanto id tibi, optime ac miſerrime omnium iuuenis, feliciùs cecidiſſet, ſi, cùm ad tuendam Patauium cum *Aloyſio fratre, & inuicto illo noſtræ iuuentutis flore profectus, glorioſa pro patria arma ferres, ac nulla tibi in re parceres, omni te diſcrimini opponeres: tum hoſtiũ tibi telis occumbere, ac ſpecioſiſſimam pro patria mortem obire, licuiſſet? Acerbiſſima hac præſtantiſſimi iuuenis morte, cùm nemo tota in ciuitate eſſet, qui non ingemiſceret, qua eam cõſtantia pater tulit? Eadem, qua tot antè patriæ calamitates tulerat. Non magis hac fortunæ iniuria deiectus, quàm ſecundis vnquam vllis rebus, quæ plurimæ

illi acciderant, ſublatus eſt: vt mihi dij immortales extremum hoc illius, quem paulò pòſt in ſuas ſedes, vbi veram vitam viueret, ac perpetuo ſecũ æuo frueretur, vocaturi erant, virtutis periculum feciſſe videantur. atque hoc quidem illi è filiis incommodum illatum eſt. Quantas verò & quàm magnas ex his eum voluptates percepiſſe arbitramini? quantas fortaſſe nemini vnquam contigiſſe credendum ſit. Quaſi rarum ac ſolum propè quoddam felicitatis exemplum, Metellus celebratur: quòd, cùm quatuor illi eſſent filij, eorum vnum Prætorem, tres Conſules, atque ex his vnum Cenſorem, duos triumpho inſignes vidit. Magnum profectò Metelli patris gaudium fuiſſe arbitrandum eſt, cùm ea filios, quæ ampliſſima in ciuitate eſſent, conſecutos intueretur. Neq; tamen tam ego illum lætatum puto, quod hos ad eos delatos honores videbat, qui, quanquam maximi, quod in populi tamen manu ſunt, mãdari plerunque etiã indignis ſolerent, quàm quod eiuſmodi eſſe illos cognoſcebat, vt digni eſſent, quibus ſumma omnia tribuerentur. Hoc verum demùm gaudium eſt, eas in filiis virtutes adſpicere, vt nullus non illis honos debeatur: quæ ſi ita

ſunt, ne hac quidem in re, vt alia omnia prætermittantur, minor noſtro Principi, quàm Metello, felicitas contigit. Cùm enim quatuor itidem huic eſſent filij, cui tot vnquam virtutibus æquè omnes ornatos intueri conceſſum eſt? Sed & iis etiam, quæ merebātur, dignitatis præmiis honeſtatos, & nullis non honoribus auctos vidiſſet, ſi noſtri Principis filiis, viuo patre, magiſtratus petere per leges liceret: & ſibi tamen id ille polliceri potuit, fore, vt cùm ipſe exceſſiſſet, nullum eſſet in hac Repub. virtutis præmium, quod illis, cùm id à vobis peterent, negari poſſet: & viuens etiam Laurentium filium, ne hoc ſibi vnum defuiſſe queri poſſet, cùm ea tempora incidiſſent, vt is legibus ſolueretur, in proximum poſt ſe dignitatis gradum ſublatum vidit. Cùm verò optatiſſimum eſſe parētibus ſoleat, quàm ſimilimos ſibi naſci filios, cui hoc vnquam benignius, quàm noſtro Principi conceſſum eſt? Atque ego non de hac tantùm corporis, ſed multò de illa magis, quæ in animo conſpicitur, ſimilitudine loquor. Qua in re ita & inter ſe, & patri ſimiles huic filij contigerunt, vt facilimum fuerit in omni virtutum ac morum optimorum genere, & in patre filios,

& in

& in filiis patrem,& in fratribus etiã fratres agnoſcere. quæ quamuis ita ſint, neſcio quo pacto tamen magis omni in re in Laurentio conſpici imago patris poteſt: quem quidem ego cùm intueor, Patres optimi, non video cur Leonardum nobis ipſum ereptum queri poſſimus. En eadem oris lineamẽta adſpicere, eandem verborum grauitatem audire, iiſdem omnibus virtutibus frui licet. Hanc ille egregiã & animi, & corporis ſui effigiem nobis reliquit, multò certè iis omnibus anteferendam, quas plurimas Romani ſibi quondã Imperatores ad propagandam ſui memoriam, vbíque gẽtium collocarunt. Ob hanc ego quidem etiã cauſam, minus illi moleſtam fuiſſe mortem puto, quod, cùm ipſe patrię eriperetur, & in cæteris tamẽ filiis ſimilimam ſui imaginem, & in Laurentio ipſum quaſi ſe ſibi ſuperſtitem relinqui Reip. conſpiciebat. Sed cùm tam multa deorum immortalium benignitate noſtro Principi contigerint, vt nihil propè optari à quoquam poſſit, quod non ad hunc abundè delatum ſit: vna fortaſſe valetudo non benigniſſimè ei conceſſa eſſe videri queat. Nam neque in iuuentute magnis quibuſdam corporis viribus, & infirma

atque affecta morbis ſenectute fuit. Sed qua illi in parte naturæ munus defuit, in hac ſibi ipſe (quod multo eſt præclarius) animi virtute præſtò fuit. Nam eam temperantiam adhibuit, ita omnes ſemper, quæ corpori officerent, voluptates neglexit, vt in hac imbecillitate tamen ad nonageſimum propè vſque annum, quod ne robuſtiſſimis quidem ſæpè accidit, vitam produxerit. Maior profectò ex hac illi virtute laus debetur, quàm ſi illi vel ipſum illud Milonis Crotoniatæ robur à natura contigiſſet. Atque in hac quidem re, Patres optimi, magnũ quiddam eſt, quod noſtro à nobis omnibus Principi debeatur. Ab eo enim tempore, quo proximo hoc maximè ſæuiente bello, grauiſſimo penè morbo oppreſſus eſt: quicquid ad priſtinam illam prorogãdæ vitæ diligentiam addidit, quæcunque, vt viueret, paſſus eſt, quæcunque fecit, ea omnia ſingulari illius quodam in Remp. amore facta eſſe, exiſtimandum eſt: neq; vlla in re magis quàm chara illi eſſet patria, cognoſci potuit. Quid enim? deſiderio hæc illum viuendi feciſſe arbitramini? quid erat, cur tantopere in vita diutiùs eſſe vellet? Tot iam annos vixerat, vt (quod in omni re fieri conſueuit) ſatieta-

tem iam tum illum vitæ quandam cepiſ-
ſe credendum ſit. Eum ex recentibus pa-
triæ incommodis dolorem acceperat, vt
ægerrimè illius ſe ſupereſſe calamitati
paſſus ſit. Cùm omnes etiam tum filios
incolumes haberet, atque omnia propè
adhuc illi ſecunda in priuatis rebus fuiſ-
ſent: magis erat vt vereretur, ne viuendo
quicquam, quod nollet, adſpiceret, quàm
vt lætius quippiam ſperandum eſſet. At
hæc, quæ illi iam eius vitæ cupiditas eſſe
poterat, quæ eò iam venerat, vt nihil a-
liud quàm grauiores quotidie morbos,
& aſſiduos ex his dolores ac cruciatus
expectare poſſet? Quò hæc ergo tam di-
ligens tuendæ vitæ cura? quò hæc viuen-
di cupiditas? cùm videret, ſi media ipſe in
empeſtate ereptus, tantis in fluctibus
Rempub. reliquiſſet, fore, vt vel eo vno,
uod diu in ſubſtituendo gubernatore
ccupata futura erat, multa illi inferri de-
imenta poſſent: omnia ſibi perpetiēda
ſe cenſuit, vt, dum eam in tranquillo ſi-
eret, cùm ſibi iam ſatis vixiſſet, patriæ
rtè, cui nō minus viuendū eſſe cognoſ-
ret, vitā proferret. Non minores huic
tur gratiæ à nobis habendę ſunt, quod
triæ vtilitate permotus, in vita eſſe ſu-
uerit, q̄ ab aliis quondam ciuitatibus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

iis ſunt habitæ, qui vitam pro patria reddiderũt. Eorum enim nonnulli ne morte quidem illa quicquam profuerunt. Hic tantum vita profuit, vt eius potiſſimum conſilio, quod nulla illi vnquam ætas debilitauit, ſed ſemper auctius factum eſt, & plurima proximo hoc bello præclarè à vobis geſta,& in tuto demum Remp. collocatam putem. Quòd ſi aliqua in morte etiam felicitas eſſe exiſtimanda eſt, quæ certè eſt, quis in hac illo felicior vnquam fuit? cui quidẽ eo ipſo, quo optauerat,tẽpore, erepta iam è belli fluctibus Repub.& ea firmiſſima in pace conſtituta,mori contigit. Quin id etiam credendum eſt, nullo illum cum dolore deceſſiſſe. neque enim eundem in omni morte doloris ſenſum eſſe exiſtimãdum eſt. Nam cum omnia, quæ natura fiunt, cum voluptate fiant, ac, quoniam nati mortales ſumus, certus quidam terminus,quo moriendum nobis ſit,natura ſit conſtitutus: mortem illam, quæ natura contingit,vt non contendam cum voluptate eſſe, ſine dolore certè eſt. ſit illa acerba pueris, ſit amara iis, qui in iuuentute ſunt,quos è vita, tanquam immatura ex arboribus poma, vi quadam auelli neceſſe eſt. Senes certè, quibus iam ſua

aturitas aduenit, quod ſenſim his ſine
nſu vita ſurripitur, paulatim deficiunt,
ſine vllo dolore, ſua quaſi ſponte ex-
guntur. Quæ cum ita ſint, nunc demũ
, cum peracto iam totius vitæ curſu, &
atum hunc, & feliciſſimum fuiſſe affir-
are poſſimus.

Quamobrẽ, vt ad id iam veniam, quod
hi poſtremum faciendum eſt, & ad le-
endum hunc, quem in vobis omnibus
ueor, mœrorem aliquid à me dicatur:
n video, Patres optimi, cur illius mor-
n, qui omnes vitæ actus feliciſſimè
egerit, tam moleſtè vobis ferendam
etis. Non infinitum nobis quoddam
endi curriculum propoſitum eſt, ſed
s & carceribus & metis terminatũ. ac
taſſe medio quempiam è curſu abripi
lendum ſit, quod quis omni fortiſſimè
urſo ſpatio, & ad metas peruenerit, &
miſſa virtuti præmia conſecutus ſit, ſi
amici haberi volumus, lætari certè
emus. At ei, qui rectè ac cum virtute
erit, pro imbecilli hac mortalitate,
mortalem ac feliciſſimam à ſuperis
ſt mortẽ vitam dari, cum omnes ſem-
omni tempore homines crediderũt,
n nos præcipuè, quibus à Deo Opt.
ax. verum ad cælum iter oſtenſum eſt,

ſine vlla dubitatione affirmare debemus. quòd ſi hoc illi contingere potuiſſet, vt nunc morti ereptus, reliquo omni tēpore nunquam moreretur, non tamen vos hoc illi optare debuiſſetis. Quid enim? miſera illa inter tot hominum calamitates immortalitas, cum felici hac inter deos & bonis omnibus refertiſſima, quā adeptus eſt, immortalitate conferri poſſet? Tantum abeſt, vt id exiſtimem, vt ſi illa etiam nobis non ſit propoſita, magis tamen optandum arbitrer, ex aſſidua hac humanæ vitæ iactatione aliquando eripi, quàm vel perpetuò in ea verſari. Quare omni iam dolore abiecto, illum potiùs imitari, & quæ ille conſecutus eſt, à diis vobis immortalibus optare debetis. Sed hæc in vniuerſum omnibus dicta ſint. Vobis verò, præclariſſimi optimi Principis filij, quæ à me conſolatio adhiberi poteſt? priuari patre nemini non graue eſt: tali patre priuari, talibus ac tam piis, quales vos eſtis, filiis grauiſſimum. neque fieri vllo pacto poteſt, neque id natura concedit, vt non maximo dolore afficiamini. Sed profectò, ſi ipſa hæc eadem, & quo patre nati, & quales vos ſitis, conſiderare volueritis, omnem à vobis doloris impetum

ortiſſimè reiicietis. Quàm forti pater a-
mo Bernardi filij mortẽ tulit? Qua cõ-
antia tot longè illi filij morte grauio-
s patriæ calamitates? At paternam hanc
rtutem vos præcipuè præſtare conue-
t. & hi verò vos eſtis, hæ iam in vobis
ſæ virtutes ſunt, vt animi fortitudinem,
uæ maximè viros decet, vobis deeſſe
rpiſſimum futurum ſit. quam ne in vo-
s deſiderare videar, omittẽda mihi hæc
nnis orationis pars videtur, & vos po-
us ad tam egregium imitãdum patrem
hortãdi. Sed & eam etiam orationem
ſtra mihi virtus eripuit. Quid enim vos
citem? qui ità in curſu eſtis, vt nõ illius
odò veſtigiis inſiſtatis, ſed & omnibus
m eum virtutibus æquaueritis, & ſi vlla
fieri ratione poteſt, etiam ſuperaturi
e videamini. Quamobrem vos quidẽ,
o cœpiſtis, pergite: & quę in vobis ſunt
æſtate: cætera, quæ patri conceſſa ſunt,
o virtutibus vobis veſtris à diis im-
ortalibus euenient.

IN FVNERE

*. ANTONII TRIVISA-
ni, Venetiarum Principis, Oratio
Bernardini Lauredani Andreæ
F. Patricij Veneti.*

IN magna calamitate, Patres ampliſſimi, quàm modò ex morte M. Anthonij Triuiſani, pręſtantiſſimi Principis noſtri, accepimus, atque omnino in cõmuni totius huius noſtræ ciuitatis mœrore, vix reſiſtere doloris magnitudini me poſſe ſperarem, niſi me ſumma veſtra virtus, quæ ne in maximis quidem vnquàm huius Reip. difficultatibus frangi aut debilitari potuit, præcipuè cõfirmaret. Etenim cùm illius nos viri præſidio ſpoliatos eſſe conſidero, cuius ſingulari ſapientia nitebamur, & in cuius vita, velut in parentis optimi ſinu, iucundiſſimè requieſcebamus, ſic angor animo atq; perturbor, vt neque mente, neque lingua, neque oratione ſatis poſſim pro huius loci dignitate conſiſtere. At verò, cùm eundem à Deo Opt. Max. euocatũ, tardiſſima ſenectute, atque optabili potiùs, quàm deflendo mortis genere ex hac vita exceſſiſſe, venit in mentem, quanquàm omnino à triſtitia atque ab acerbitate animus non deducitur, in ipſo tamen medio dolore leuatur aliquantùm atque reficitur. Sed me tamen neſcio quo modo res illa omnium, vt dixi, maximè conſolatur, quod vos, in communi totius huius ciuitatis luctu, magno atq; erecto

animo ad Remp. ipſam complectendam eſſe intelligo: quibus ſuperſtitibus, non modò à fortuna, ſed ne ab ipſo quidem (propè dixerim) fato vulnus infligi vllũ huic vrbi, aut omnino huic imperio poteſt: & quæ veſtra eſt ſapientia, ita animatos eſſe vos ſentio, vt in fatali calamitate ſquallorem fletúmque, pietatis potiùs, quàm doloris, & officij magis, quã mœroris, eſſe iudicetis. Quanquam ne vos quidem dubitare certò ſcio, Patres ampliſſimi, quin, ſi cuiuſquam vnquàm aliâs funus ac mors, veris fuit ac iuſtis lachrymis huic ordini decoranda, M. Antonij Triuiſani virtus ea fuerit, vt eius obitus iuſtiſſimis triſtitiæ notis, ad perpetuam excellentis eius integritatis memoriam, honeſtandus ſit. Quo quidem in officio vos ita hodierno die verſamini, vt non tam de ipſa Rep. laborare, quæ ſummo Principe orbata, ſuis tamẽ legibus atque inſtitutis ſatis firma eſt, quàm tanti viri iacturam videamini deplorare. Etenim quid ad animorum veſtrorum intimos angores aperiẽdos eſt prętermiſſum? vos vultu, vos lachrymis, vos ſordibus teſtimonium ſummæ veſtræ mœſtitiæ datis. Adeſt ſenatus, adeſt populus: ſquallent plerique, lugent omnes: fletum autem

eorum triſtiſſimus hic huius præſtantiſſimi templi habitus comitatur: cuius etiã parietes & tecta ipſa, M. Antonij mortẽ queri propè ac lamentari videntur. Quod reliquum eſt, vt eius laudes ornata oratione vetere inſtituto commemorentur, id à me hoc tempore poſtulatur. Quo mihi difficilior ad dicendum propoſita ratio eſt, quod, cùm ab eloquentia longiſſimè abſim, excellentem M. Antonij virtutem extollere, cæteróſque ad gloriã honeſtiſſimo illius exemplo accendere, cúmque ipſe conſolationis indigeam, vobis * aberrationem à dolore quærere iuſſus ſum. Quod officium cùm illi à me debitum eſt, quem & affinitate coniunctum habuit, & beneuolentiæ ſuæ teſtimonio decorauit, tum verò propter eorum mandatum etiam neceſſarium, quibus, quo minùs hoc onus ſuſciperem, iuſtam vllam excuſationem afferre non potui. Quamobrem veſtræ erit humanitatis, Patres ampliſſimi, quoniam animatum meliùs me, quàm paratum, ad hoc onus intelligitis acceſſiſſe, curare atque efficere, vt, quod minùs à me propter ingenij mei imbecillitatẽ potuit prouideri, id ipſi veſtra benignitate, atque indulgentia corrigatis. Quod ſi, vt ſpero, fe-

ceritis, tum me oneris huius magnitudine opprimi minimè patiar, verùm contẽtis animi viribus, illud quoad potero, feram. ſin, quod vix metuere poſſum, à vobis deſerar, ſic tamẽ habetote, me in tãta difficultate maluiſſe expectationi de me veſtræ, ſi quam modò excitaueram, minùs reſpondere, quàm aut meæ erga M. Antonium pietati, aut illorum, quibus ego multùm ſoleo tribuere, voluntati parùm cumulatè ſatisfeciſſe.

Qui nobis igitur laudandi præcepta veteres eruditiſſimi homines reliquerũt, quíque demùm mortem alicuius accurata oratione ornarunt, eam ferè rationem huiuſce rei ſuſcipiendæ nobis tradidiſſe videntur, vti, cuius laudes explicaturi eſſemus, eas potiſſimùm à patriæ & à familiæ commendatione repeteremus. Quam rationem mihi in hoc M. Antonio collaudando prætermittendam eſſe putaui, non vt à ſummorum virorum, quos maximè ſequi debeo, præceptis & conſuetudine vllo modo recederem, ſed quod patriam quidem huius laudare ſine ſumma cõmunis aſſentationis ſuſpicione, ac niſi longiori oratione non poſſem: familiam autem cuiuſque qui extollat, is maiorum potiùs laudes, qui

tantam gloriam nobilitatis reliquerint, quàm illius ipſius,qui acceperit, exponere videatur. Neque tamen omnino mihi prętereundũ illud eſſe duco, quin in huius laudationis quaſi veſtibulo ponam: M. Antonium Triuiſanum, quod ad cuiuſque dignitatem illuſtrandam maximè pertinet, ortum eſſe Venetiis, vrbe, ſi gẽtis originem replices, ea vetuſtate, vt antiquiſſima ſit: ſi ciuitatis, ita libera, vt eũdem ipſa & originis ſuæ natalem diem colat, & libertatis: ſi Reip. maieſtatem ſpectes, ea imperij gloria, cui ne parem quidem cuiquam alij in terris dij immortales neque noſtra, neque veterum ſeculorum memoria, tribuerunt. Nam quid ipſam, quemadmodum oratores cæteri ſolent, florem Italiæ, ornamentum Europæ, orbis terrarum theatrum ampliſſimum nominẽ? aut quid admirabilẽ ſitus eius opportunitatem? Quid publicorum operum magnificentiam, priuatorum ædificiorum ornatũ commemorem, quorum ea ratio eſt, vt hæc vna vrbs in terris ad decus, ad voluptatem, ad æternitatem condita videatur? Quid porrò iuſtitiæ, fidei, religionis, atque omniũ denique bonarum artium ſtudium prædicem, quibus rebus non minorem ipſa

ſibi, quàm libertatis & imperij diuturna conſeruatione, gloriam comparauit? Sũt hæc quidem magna, Patres ampliſſimi, ac neſcio, an dicam maxima, ſed ea partim ita omnium gentium vocibus ac literis celebrata, vt, ea ſi hoc tẽpore ſingulatim attingam, veſtrarum aurium patientia non ſine maxima repræhenſione abutar: partim ita huic M. Antonio cum multis aliis communia, vt exiguam ipſe ſibi ex hac re dignitatis ſuæ partem, quæ eſt ampliſſima, vendicare videatur. Neque vero de Triuiſanorum gente multa mihi verba facienda eſſe exiſtimo, quòd eius nobilitas cùm publicis literarum monumẽtis ſit conſignata, tum apud omnes homines ità teſtata, vt ne longioris quidem meæ commemorationis indigeat: præſertim verò, cùm (vt cæteros omittam) & Nicolai Triuiſani, eius qui Procurationem Marciam geſſit, ſplendidiſſima virtus, & Angeli, Pauli F. maritima imperia, & Melchioris, qui ter claſſi noſtræ imperatorio nomine prę fuit, clariſſima ad immortalitatem monumenta ſatis oſtendant, nullum eſſe in hac ciuitate honoris ac dignitatis gradum, cùm ad gloriam poſteritatis, tum ad commendationem nobilitatis inſignem, ad quem domus a-

liqua aſſcendere ſuorum maximè virtute atque induſtria poſſit, quò Triuiſanorum familia facilimè nõ aſcenderit. Vnus adhuc tantùm, íſque altiſſimus, relinqui videbatur ad ſummam eius amplitudinem Principatus ipſius gradus : quem cùm modò M. hic Antonius incredibili ſua integritate atque prudentia ceperit, ſingulari & ſanctitate & ſapientia adminiſtrarit, honeſtiſſima nunc deniquè & glorioſiſſima morte confecerit, eam demùm in hanc gentem gloriam intulit, vt nulla tam deſerta ora, nulla tam inculta regio, nulla tam barbara gens hodiè in terris exiſtat, quò non Triuiſanæ familiæ fama, ampliſſimi huius Principis memoria, finibus noſtri imperij non contenta, peruaſerit. Sed quoniam is eſt M. Antonius, qui non maiorum potiùs, quàm ſuę ipſe virtutis ſplendore, ac magnitudine ornetur, non mihi videtur eſſe faciendũ, vt ad eos memoriam illuſtrandam admodùm multa à me ex domeſticis imaginibus, atque ex vetere familiæ gloria colligantur. Quarè vt ad ipſum, de quo mihi copioſiùs vberiúſque dicendum eſt poſſim oratione aliquanto celeriùs peruenire, facite vos, Patres ampliſſimi, vt hic Zachariam Triuiſanum, M. Antonij

auum,virum cùm ingenij laude,tũ Reip. adminiſtratione clariſſimum, ipſi taciti recordemini. tum enim deniquè, quanta hunc maiorum ſuorũ gloria ad amplitudinẽ incitarit, intelligetis. Nam patris quidem ipſius Dominici Triuiſani,quem virum non Venetiarũ ſolùm, ſed totius etiam Italiæ ac terrarum omnium,conſilio, authoritate, atque exiſtimatione principem poſſumus nominare,ea virtutis magnitudo fuit, vt,ſi M. Antonio alia omnia ſplendoris ornamenta deeſſent, hoc vnum ei futurum fuerit ad nominis & famæ celebritatẽ ampliſſimum, quod ab eo parente creatus,educatus,eruditúſque fuerit,qui nõ huius memorię ſolùm, ſed etiam præteritorum ſeculorum homines ſapientia & magnitudine animi ſuperarit. Quo mihi grauius ad dicendũ onus imponitur,qui neque tacitus tantas huius viri laudes, propter ſingularia eius in hanc Remp.beneficia,pręterire,neque eaſdem propter illarum magnitudinem ſatìs poſſum pro dignitate ornare. Vndè autem incipiam? quod initium ſumam, Patres ampliſſimi?ea eſt enim curationũ, magiſtratuũ,legationũ ratio,quas veſtro hic maximè beneficio geſſit,cõfecit,obiit, vt, qui de his verba factur⁹ ſit, meritò

non tam de earum magnitudine videatur,quàm de multitudine laborare. Me autem hui⁹ totius rationis fortaſſe ignarum,neſcio quo modo legationum ipſaram grauiſſima ratio præcipuè afficit. Etenim ità mihi perſuaſi,non in hac ſolùm ſed in omni etiam alia benè conſtituta Rep. grauius munus nullum prudenti & forti ſenatori poſſe legatione ipſa mandari. ſiquidem qui publico ciuitatis nomine legetur, is non iam particulã Reip. ſed totam ipſam Remp. ſuis propè humeris ſuſtinere, nec priuatam ſolùm ſenatoris authoritatem ſecum ferre,ſed totius ſenatûs grauitatem, imperij maieſtatem, ac vniuerſæ Reip. propè faciem videatur:neque verò ſolùm aut induſtriã aut diligẽtiam afferre debeat, ſed fidem, eloquentiam, ſplendorem, ſapientiam, atque animi magnitudinem tãtam, quãtam ne tota quidem Reſp. adminiſtranda deſideret. Eiuſmodi igitur (vt dixi) legationes,veſtra delectus ſententia, Dominicus Triuiſanus tam multas obiuit, vt plures ipſe confecerit, quàm alij exoptârint, tam varias, vt remotiſſimas nationes ac ferociſſimas gentes ipſe ſæpiùs legationis nomine adierit, quàm alij aut conſequendi quæſtus, aut obeundi negocij

gocij

gocij ſtudio propinquas has oras atque mitiſſimas peragrarint: tam graues, vt nulla res huic Reip. accidere vel pace vel bello tam magna, aut tam periculoſa potuerit, quæ non huius prudentiæ & fidei, adiecta repentè legationis authoritate, cõmiſſa ſit. Nã ſi officij cauſa, vt ſæpè fit, decernẽda legatio fuit, vt aut gratulatione aut gratiarũ actione, aut alia eiuſmodi congreſſione opus eſſet, quẽ alium niſi Dominicum Triuiſanum miſiſtis? Age enim: fuit Friderico imperatori, & Maximiliano eius filio, Romanorum Regi declarato, ſenatus nomine de eiuſmodi appellatione Regia gratulandum. Dominicus gratulatus eſt. Fuit item Iulius ii. Pont. Max. deſignatus, Romæ eiuſdẽ officij cauſa conueniendus. conuenit Dominicus. Fuit Ludouico, potentiſſimo Gallorum Regi, de regno Neapolitano ab imperium ſuum ſubacto, iterúmque recepta, quæ ab eo defecerat, Genua, éмque filio eius Franciſco de re benè Carmignanum geſta, gratulatio vera ſignificanda. nónne ſignificauit Dominicus? Fecit deniquè Ioannis Luſitanæ Regis ſingularis erga ciues noſtros liberalitas; quos Columbus iunior, neqiſſimus predo, ſpoliátos ac multis vul-

neribus debilitatos, in littus Regis abiecerat, vt Regi, qui eos tecto exceptos veſtibus ac viatico cumulaſſet, gratiæ coràm eſſent ampliſſimis verbis agendæ. Quis demùm alius egit, quàm Dominicus? Atque hęc quidem ſunt officioſarum legationum, quas ipſe magna comitate obiuit, clariſſima documenta. Iam verò eas, in quibus Reip. ſalus agebatur, quanta alacritate ſuſceperit, diligentia tractârit, grauitate confecerit, fide renunciârit, accipite. Quid enim grauiùs agi potuit, quàm quod ab ipſo cum eodem, quem modò nominaui, Iulio Pont. Max. pro Rep. actum eſt? Etenim cùm is contra vos Chriſtianorum omnium regum arma ſolicitâſſet, ciuéſque veſtros in vincula conieciſſet, & ciuitati ipſi ſacris interdixiſſet: tum Dominicus Triuiſanus ad eum legatus ità egit, vt & interdictum huic ciuitati acerbiſſimum reſcindendũ, & ciues è vinculis eximendos, placato ipſo Pontifice, primo quoque tempore procurarit. Quid porrò magnificentiùs effici potuit, quàm cùm aut ad Carolum VIII. Gallorum Regem maximum, qui à Ludouico Mediolani imperium obtinẽte, & ab Alexandro Pontifice Maximo in Italiã accerſitus, vt Ferdinando Regi

llum inferret, maximis copiis Pado
iecto, primo aduentu multa oppida
erat; ipſe conſeruandæ dubiis in re-
s regiæ erga hanc Remp. beneuolen-
cauſa eſt profectus: aut cùm ad fero-
imum Turcarum Regem, de grauiſſi-
noſtro magiſtratu Byzantij retinen-
eſt miſſus? Nam cùm Hieronymus
rcellus, ſpectata virtute vir, qui Byzã-
um magiſtratum magnum atque ho-
ificum, ex fœdere & ſocietate conſti-
um, vetere inſtituto gerebat, in ſuſpi-
nem Regi veniſſet, ſua conſilia factá-
huic ſenatui nunciâſſe, ob eámque
ſam iratus ei Rex imperâſſet, vt con-
im ex vrbe excederet, quòd ſe decre-
e diceret, nullum in poſterum eiuſ-
di* magiſtratuum Byzantij eſſe: dele-
s eſt Dominicus Triuiſanus, qui inci-
m Regis animũ ſenatûs nomine mi-
ret. atque is quidẽ, quanquàm affecta
e erat, & plurima eáq; honorificen-
ma ſenatûs de ſe iudicia habebat, ta-
periculoſum iter, ac rem ex omni par-
ifficilem, magno animo aggreſſus, ad
em ſumma celeritate contendit, at-
expoſita ſenatûs voluntate, cauſam
git, vt Regis animũ, quãquàm valdè
num, ad veſtrã ſubitò voluntatẽ arbi-

triúmque traduxerit, atque idem, qui antè fuerat Byzantij magiſtratus, vt in poſterum eſſet, effecerit. Quid prætereà opportuniùs agi potuit, quàm cùm, vobis ex ſemeſtribus induciis pace iungi perpetua cum omnib⁹ Chriſtianis Regibus cupientibus, ipſe maximo è ſenatorum numero lectus, qui Reges Hiſpaniarum ad pacem diuturnam componendã adhortaretur, pacem vobis ab illis omnium optatiſſimam atque iucundiſſimam reportauit? Nam quod ab eodem legato cũ Ægyptio Rege tranſactum eſt, tanta profectò animi magnitudine eſt cõfectum, vt maiore confici non potuerit. Siquidẽ cùm, à Campſonis Ægypti, Siriæque Sulthani miniſtris nauiculatoribus noſtris iniurioſiùs tractatis, Venetis ciuib⁹, qui tum in Ægypto negociabantur cóque præſertim, qui Alexandriæ maiorum inſtituto ius dicebat, in vincula coniectis, & eorum bonis pecuniíſque direptis decreuiſſetis, vt Memphim ad Regem legatus mitteretur etiam ex iis, qui in magiſtratu eſſent, qui res, quæ mercaturæ rationem attingerent, miniſtrorum regiorum iniuria lapſás erigeret, & ciuiũ cauſam apud Sulthanum Reip. nomine tueretur: tum Dominicus vſque in Ægy

am mandato veſtro profectus, ità vel
oquentia, vel prudentia, vel authorita-
, quibus eo tempore maximè florebat
er omnes, effecit, vt non modò Regẽ
inſita acerbitate abduxerit, ſed ſum-
o etiam ab illo habitus in honore, ve-
e renouato fœdere, datíſque & acce-
s ampliſſimis muneribus, cum literis à
ge ad ſenatum de ipſo, déque toto ne-
cio honorificentiſſimè ſcriptis, in pa-
m ſe retulerit. Qua in re cùm aliorum
nium, tum C. illius Popilij legati, qui
ndam Antiochum Syriæ Regem, ad
m à ſenatu Romano miſſus erat, reſ-
ſum dare cunctantem virgula cir-
ſcripſit, gloriam ſuperauit. Ille enim,
ma populi Romani potentia fretus,
biore: hic, quod nõ tantis eſſet Reip.
ous fultus, mitiore, quod voluit, ora-
e eſt conſecutus. Itaque quanto in-
nta cruentæ victoria eſt præferen-
tanto hæc illi legationi videtur an-
nenda. Reliqua prudens omitto.
ue enim alius quiſquam in hac Rep.
ùs hoc ipſo legationis munere, ve-
eſt potiſſimùm beneficio functus.
od ipſum eam habet vim, vt non
tantiſſimum de eo ſolùm ſenatûs
cium declarare, ſed virtutis etiam il-

lius præſtantiam facilè poſſit oſtendere. Etenim magiſtratum ſemèl vnum vni mādari, nobilitatis: iterùm atque iterùm, non niſi expertæ perſpectæq́ue virtutis eſt argumētum. Venio nunc ad reliquos eius honorum gradus, quos ipſe ſplendidiſſimos in hac ciuitate honeſtiſſimis potiſſimùm veſtris ſentētiis eſt adeptus. Cui enim vnquàm alij anteà vniuerſæ noſtræ claſſis imperium aut maiore ſtudio, aut grauiore cum Reip. emolumento, quàm Dominico Triuiſano, mandatū̄ eſt? Teſtis eſt grauis illa tempeſtas, qua cùm Solimanus Turcarum Rex potentiſſimus, ducentis armatorum millibus & claſſe ingenti, Rhodiis bellum inferret, ac veſtris fructuoſiſſimis inſulis Cretæ Cyproque iam iam immineret, vóſque, quæ veſtra eſt ſapientia, quia, quæ accidere poterant, nè acciderent, metuendum eſſe putabatis, maximis claſſibus & firmiſſimis exercitibus inſulas has ab acerrimo Turcarum impetu defendendas eſſe decreuiſſetis: neminem alium niſi Dominicum Triuiſanum, ſummæ rerum & toti rei maritimæ præfeciſtis. atque is quidē eo tempore, niſi veſtro iuſſu coactus ſe à pugna continuiſſet, qui fœdus violandū veteri exemplo non putauiſtis, ornatiſſi-

mam profectò Regis claſſem, ac maximas copias metu nominis ſui perculſas, ſuperâſſet ac deleuiſſet. Neque verò prætereunda eſt illius etiam temporis ſingularis eius erga hanc ciuitatem beneficẽtia, qui maximam mercedem, quę in ſingulos menſes veteribus legibus Imperatoribus noſtris conſtituta eſt, reſpuit, eámque Reip. condonauit. Ex quo iudicare poteſtis, quæ auri, quæ argenti in eo viro cupiditas fuerit, cùm iuſtam etiam ac debitam ſuis laboribus pecuniam tantam repudiârit. Quæ virtus eo in illo admirabilior fuit, quo maioribus ipſe rei familiaris anguſtiis premebatur: quas ipſe eo ſemper animo tulit, vt ex iis maior ad illum laus, quàm ad alios ex maxima opulentia redundârit. Quid dicam, qua ſapientia & moderatione animi Fauentiam ciuitatem, quæ dubiis ſuis in rebus veſtram opem implorauerat, eò à vobis miſſus adminiſtrauerit? aut qua fortitudine Cremonam, quæ Melchioris Triuiſani imperio veſtra erat, gubernarit. aut quo ſtudio, & qua æquitate vrbanorum magiſtratuum pręſtantiſſimũ quénque, & maximè Procurationem Marciam & ceperit, & geſſerit? quantam deniquè eloquentiam, fidem, induſtriam tum in

ſententiis in ſenatu dicendis, tum in omni ſenatoria adminiſtratione adhibuerit? Equidem ſic ſentio, Patres ampliſſimi, cùm ea huius viri erga hanc Remp. merita extiterint, vt eam domi foríſque ſæpiùs afflictam erexerit, diffidétem rebus ſuis cõfirmarit, grauiſſimis feſſam bellis, pace demùm honeſtiſſima recreârit, omnia nos ei & ſingularia in perpetuum laudis ornamenta debere: verùm nihil aliud eſſe, de quo maiores ei gratiæ ſint habendæ, quàm quod, cùm alios filios multos, tum præſertim hunc M. Antonium effigiem morum, integritatis & prudentiæ ſuæ reliquerit, qui, quam ille domus ſuæ amplitudinem inchoauerat, vltimo hoc atque excelſo Principatus honore perfecerit: vt non magis ſibi, quod tali parente ortus ſit, quàm patri, quod talem filium procrearit, lætandum fuiſſe videatur. cuius virtuti mater etiam ipſa plurimùm attuliſſe adiumenti putatur, honeſtiſſimi & ſapiẽtiſſimi viri Petri Marcelli, Marcij Procuratoris, amita, & Nicolai clariſſimi Principis neptis, omni ſummæ modeſtiæ ſummæ probitatis, ſummæ caſtimoniæ laude ornatiſſima. à qua ipſe cum reliquis fratribus natu minoribus ità educatus eſt, vt priſcæ in iis omni-

bus innocentiæ, maternæ item notæ non obſcuriſſimæ noſcerentur. de quibus ne plura dicam, M. huius Antonij, cuius cauſa hæc ſuſcepta laudatio eſt, amplitudo ac dignitas efficit, vt meritò, quia maior in illos ab ipſo fratre, quàm ab eorum rebus geſtis, gloria proficiſcitur, quo citiùs ad illorum dignitatis fontem M. Antonium, qui me ad ſeſe iandudùm vocat, perueniam, facta mihi illorum omnia, quanquàm inuitis eorum fortaſſe Manibus, ſilentio mihi putem eſſe prætereunda. Ego me, Patres ampliſſimi, ad eum laudandum accedere facilè intelligo, cuius multæ magnæque virtutes non modo à me, in quo nulla vis ingenij, nulla dicendi facultas ineſt, ſed ne ab eloquentiſſimo quidem alio quoquam ſatìs copioſè narrari, nedùm pro dignitate augeri poſſint. Quamobrem veſtræ erit humanitatis, vt ſi me difficili aliquo orationis in loco laborare ſenſeritis, ſumma veſtra, qua adhuc vſi eſtis, audiendi benignitate leuetis. Quod ipſum vt eo libentiùs faciatis, polliceor me de hoc M. Antonio ità eſſe dicturum, vt ſummatìm integerrimam prudentiſſimi hominis vitam primis penè vſque ab eius incunabulis agnoſcatis. Nam &

primis illius ætatis temporibus eam hic ſpem de ſe dedit, vt in eo tanquàm in herbis non fallacibus, quæ probitatis maturitas & quantæ ſapientiæ fruges eſſent futuræ, facilè appareret. Etenim ſiue quod ità natus, vel potiùs à Deo factus eſſet, primùm ſanctiſſimis pudoris atque modeſtiæ legibus adeò ſe adſtrinxit, vt in ætate maximè lubrica atque flexibili, certiſſimus & conſtantiſſimus officij ac pudicitiæ cuſtos eſſet: deindè verò ingenio & induſtria ſic puerilem ætatem præcurrit, vt prudentiæ etiam, quam ſummi philoſophi in adoleſcentia deſperârunt, iam tum in puero notæ vel clariſſimæ cernerentur. Vt autem ex pueris exceſſit, adeò ætatem illam temperantiæ & continentiæ munimento ſepſit, vt turpiores voluptates, quas ipſa per ſe natura profundit, quæque in communibus hominum ſenſibus ſunt infixæ, conſtantiſſimo animo aſpernaretur, ità vt, quod vix credibile viſum iri puto, his præſertim moribus atque temporibus, eas ne guſtâſſe quidem vnquàm in omni vita, & integrum ſe perpetuò, caſtúmque ſeruaſſe ab omnibus iudicatus ſit. Quæ voluptates etſi vitio iuuentuti penitùs vertendæ non ſunt, propterea quod illi ætati

conceſſu omniũ dantur,quia ità illi inſitę ſunt , vt ex ipſa euelli non poſſint , niſi prorſus ex hominum vita adoleſcentia euellatur : tamen quos adoleſcentes non adoleſcentiæ vis à virtute poteſt detorquere, ij quo magìs ſupra hominem , eo minùs infra deorum conditionem poſiti eſſe videntur. His igitur inſtructus præſidiis,cùm ſe vt patris bonorum,ità gloriæ quoque hęredẽ eſſe oportere intelligeret cúmque de futuræ vitæ ſuę genere ſecum diù multúmque,tanquàm in vmbra,prudentiſſimè cogitaſſet , tandém in aciem atque in ſolem ſibi eſſe prodeundum putauit . Et quoniam non tam veterum libros ſtudioſè legendo , quàm multarum gentium mores (vt dixit poëta ſnmmus) & inſtituta cognoſcẽdo, vſum rerum gerendarum comparari intelligebat,DOMINICUM ipſum patrem admodùm adoleſcens, primùm ad Ludouicum Gallorũ, deindè ad Campſonem Ægyptiorum Regem legatum proficiſcentem eſt proſequutus.Quibus in itineribus plurimas, eáſque nobiliſſimas vrbes inſpexit, multa potentium populorum inſtituta cognouit, incredibilem denique ſibi propè maximarum rerum vſum atque ſcientiã vindicauit.Quo factum eſt,vt poſteà do-

mum ſe recipiens, facilè æquales ſuos omnes, qui tum Venetæ iuuentutis ferè Principes erant, ſingulari conſilio & minimè vulgari in gerendis & iudicãdis rebus prudentia ſuperaret: & meritò. Quid enim difficile ei fuit in omni virtutis ratione proficere, parente præſertim tanto, authore, contubernali, atque magiſtro, ad cuius imitationem & ſimilitudinem ipſe ſapientiſſimè ſe ab ineunte ætate formauerat? Qui contubernij mos cum apud patres noſtros fuerit ad prudentiam, víſúmque rerum adipiſcendum munitiſſimus, neſcio cur eundem nos hoc tempore tacita noſtra antiquari deſidia patiamur. Nam eæ quidem duæ peregrinationes, incredibile eſt, quantũ ad animum, mentémque iuuenilem eius ſenili quaſi prudentia confirmandam attulerint: Quam prudentiã adeò incredibili illa ſua vitæ integritate, & morũ bonitate condiêrat, vt, vtrum melior eſſet, an prudentior, diiudicari interim haud facilè poſſet. Etenim cum Deo cultum iam inde ab illo tempore tribuebat, vt à duobus ſanctiſſimis illius mandatis ſanctiſſimè atq; caſtiſſimè retinẽdis, nũquam animum declinaret, quibus monemur, primum, vt ſeipſum, omnium pa

rentem, toto animo & tota noſtra mente colam⁹, tũ vt ipſi inter nos fraterna charitate amemus. O egregia atque præclara ſapientiæ rudimenta illa, quæ pientiſſimo ab ipſo timore Dei proficiſcuntur: rectiſſimam autem priſcorum hominũ in tuenda pietate conſuetudinem, quæ hodierno die, quod facile, conſtat, in paucis inuenitur. Fit enim multis in vrbibus, vt pleríque homines honoris gratia illi quidem ciuium aucupentur, verum quæ non ſanctitatis potius, vt quondam, opinione, quam aut egregia dicendi facultate, aut forenſi exercitatione, aut blanda ſingulorum ſalutatione quæſita ſit. cum autem veterem illum ſanctiſſimum morem M. hic Antonius imitaretur, itaque animatus ad capeſſendam Rempub. acceſſiſſet, quis eſt qui miretur eum in tota comitiorum ratione adeò floruiſſe, vt, quos demum honores petiêrit, eos facilimè ceperit, quos autem ceperit, eoſdem rectiſſimè atque ſapientiſſimè adminiſtrarit? Nam primum quidem vrbanos omnes magiſtratus, præſertim verò ampliſſimum quémque eo ciuium ſtudio eſt adeptus, vt, qui nũc maximis natu etiã denegãtur, ei adoleſcenti liberaliſſimè deferrentur

ea verò cum omnium admiratione ſic adminiſtrauit, vt, quam virtutis atq; prudentiæ ſuę, cum magiſtratum iniret, opinionem omnibus excitaſſet, eandem cùm abiret, multo etiam grauiorem certiorémque relinqueret. Præclarè etenim in priuatorum controuerſiis iudicandis æquitatem, in ſententiis in ſenatu dicendis Reip. dignitatem, in tota ipſa Marcia Procuratione* ſanctiſſima adminiſtranda, piorum maxinè hominum voluntatem, ac pauperum egeſtatem ſemper ſpectauit: neque aut gratia, aut precibus, aut vlla mentis permotione adduci vnquam potuit, vt quicquam faceret aut ſentiret, niſi quod lex atque religio ipſa præſcriberet. Quid? Cretam verò Cyprúmque maximas inſulas noſtras, in quibus ſummũ ipſe magiſtratũ adminiſtrauit, non aliter atque * vrbem fecerat, gubernauit? Non certè. Immo verò in iis tam iuſtè, tam ſanctè, támque abſtinẽter ſe geſſit, vt, quemadmodũ quondã Aſia Q. Scæuolæ, ſic nunc Creta Cypriúſque ſtent M. Antonij Triuiſani inſtitutis præclariſſimis obſeruandis. Quæ cũ laudata ſunt omnia, tũ illud imprimis conſtanti hominũ fama concelebratum eſt, quod impiorũ hominũ impotẽtiam, qui

*ſanctiſſimè.

*in vrbe

*vrbẽ, gubernauit?

fœdis & atrocibus verbis Deum, diuóſq; omnes quotidie per contemptum in ſectarentur, ſeueris legibus & pœnis adeo refrenauit, vt hoc etiam tempore, ne illi delinquant, vetere illa M. Antonij ſeueritate potiſſimum deterreri videãtur. Quibus de cauſis effectum eſt, vt Cretenſes Cypriíque nomen ipſum clariſſimũ M. Antonij, & dũ apud eos fuit, gratiſſimis ſemper animis proſecuti ſint, & poſtquã deceſſit, priuatis & publicis ad immortalitatis memoriam monumẽtis plurimis exornarint. Hac tanta famæ celebritate cum iam domũ reuerſus M. Antonius, in ipſius Reip. diuturna adminiſtratione cõſenuiſſet, & grauiſſimis in rebus plurimis virtute ac ſapientia ſua ſingulari omnibus ciuibus cumulatè ſatisfeciſſet, incidit tempus illud, quo Frãciſcus Donatus, Princeps ſanctiſſimus & prudẽtiſſimus, mortuus eſt. Itaq; cùm de ſufficiendo in tãti viri locũ alio ageretur, viſus eſt M. Antonius cùm paternæ memoriæ cauſa, tum propriæ virtutis gratia, qui Franciſco ſuccederet, eſſe digniſſimus. Quamobrẽ delatus eſt ei, vt ſcitis, huius potentiſſimæ Reip. Principatus: delatus eſt autem ei non modo non petenti, ſed etiam ꝗ futuris ſeculis omnibus admiratio-

ni futurum maximè puto, inuito & repugnanti: non quod & noſtra & veterum memoria, & in hac, & in aliis ciuitatibus non multi munera ſæpè publica recuſarint, ſed quod eorum magiſtratuum aut temporum ea ratio fuerit, vt, ſi cum his conferantur, repudiandi fuiſſe maximè videantur. Sæpè oblatum Romæ Cõſulatum, recuſatũ eſſe accepimus. Fateor. At annuus magiſtratus, at difficilimo & periculoſiſſimo Reip. tẽpore, at imbecilla ad bellicos labores valetudine eſt recuſatus. Venetiarũ autẽ Principatũ, honorẽ perpetuum aſpernari, ídque pacata Rep. firmo corpore, ſumma animi moderatione, tam nouum ac inuſitatum eſt, vt, quemadmodum nulla id ſeculorum memoria auditum aut traditum eſt, ſicne vlla quidem vnquam inobſcuratura aut præſentiũ hominũ, aut futurorũ eſſe obliuio videatur. Quo in magiſtratu efficeleri, quæ conſecuta eſt, morte, quantũ à tãta ſapientiæ magnitudine expectabatur, præſtare cumulatè non potuit: ea tamen certè præſtitit, quæ cũ ſuperiori vitæ, ſanctiſſimè atque honeſtiſſimè actæ, cõſentanea eſſent, tum tanti magiſtratus maieſtati atque officio conuenirẽt. Nã incredibile illud ſuum religionis colendæ ſtudium,

dium,non modo maximi huius honoris acceſſione non imminuit, verum etiam, quod augeri in eo anteà poſſe non videbatur, mirabiliter auxit. imprimis autem diuina ipſa charitatis præcepta, quæ optimo cuique potiſſimum debent eſſe propoſita, caſtiſſimè coluit, ita vt antea alios hoc demum tempore ſemetipſum in eo ſtudio ſuperaret. cuius rei teſtimonio innumerabiles eſſe pauperes poſſunt, quorum ſummam inopiam opibus ipſe ſuis quanquam tenuibus, ſuſtentauit: infinitę virgines nubiles, quas ipſe pecunia ſua quia, vnde dos daretur, non erat, liberaliſſimè collocauit. Publica vero munera obiuit ea magnificentia atque ſplendore, quem huic Reipub. & tanti Imperij maieſtati congruere iampridem ipſe didicerat: ea diligentia, vt, quanquam extrema ſenectute & incommoda maxime valetudine erat, ſemper tamen in ſenatũ venerit, quotidiè collegium frequentarit nunquam non ſolennia comitia obierit iudiciorum ac tribunalium orbem, atque adeò forum ipſum, certis diebus totũ ita oculis perluſtrauerit, vt res ipſa forenſis, quæ longo interuallo magna ex parte labefactata corruerat, tandẽ maximo ipſo authore agente, facilimè reſti-

tuta ſi- : poſtremò ea pietate obiuit, quæ ab optimo viro & ſtudioſiſſimo Rei.ciue, ſimul & Deo & patriæ ſuæ iucundiſſimæ tribui vel plurima potuit. cuius ſanctiſſimos demum ſenſus reſpiciens immortalis ac præpotens Deus, quid de integritate hominis ſentiret, ſupremo illius die apertiſſimè demonſtrauit, cùm eum in ipſa rei diuinæ cum patribus audiendæ meditatione vehementius ſe, quàm ſolebat, etiam intendentem, integrum, valentémque ſubito maximo cum omnium mœrore nobis eripuit. Quas ob res, Patres ampliſſimi, ego hūc M. Antonium non ſolum cum ſummis viris omnibus, qui & in noſtra & in aliorū Rep. floruerūt, comparandū, ſed iis longè etiam anteponendum exiſtimo. Nam alios fortaſſe vel rerum geſtarum magnitudine, vel bellicæ rei cognitione vel dicendi certè facultate clariores multos inueniemus, at tantā, tamē tamq; perpetuam & conſtantem vitæ ſanctitatem & caſtimoniam, in nemine certè reperiemus. Itaque quanto difficilius eſt ſibi ipſi, quàm aliis, perpetuo poſſe imperare, tanto noua hæc M. Antonij eſt, quàm illa vetus aliorum, laus illuſtrior. Quam laudem qui contemnunt, intelligere non

videntur, vnius eiuſdémque priuati quōdam Naſicæ, qui in vrbe Romana vir optimus à ſenatu iudicatus fuit, famam nomenq́ue pluris, quàm ſplēdidiſſimos triumphos & clariſſima trophæorum inſignia omnium aliorum fuiſſe. Atque ille tamen caſtiſſimis manibus ſuis deorum matrem Idæam, Peſſinunte Romā aduectā, tantū excepit, cùm M. ipſe Antonius ſanctiſſimis propè Dei ipſius manibus, quantum ex mortis eius miraculo coniicere poſſumus, in cæleſtem tanſlatus eſſe patriam videatur.

Quæ cùm ita ſint, Patres ampliſſimi, quid eſt cur quiſquam noſtrum lachrymis & fletu potius, quàm iucunda virtutis eius recordatione grataq; beneficiorum commemoratione, cohoneſtare funus eius præſtantiſſimum atque clariſſimum velit? Nam ſi dolori cedendū eſt, ſatis adhuc lachrymarum effuſum eſt; & iuſti doloris acerbitas & his ſordibus, & hac hodierna veſtitus fœditate notata eſt. Sin autem, quod prudentiſſimæ eſſe ciuitatis exiſtimo, rationi obtemperandum eſt: quid eſt, cur non mens noſtra potius ad tantæ virtutis imitationem conuertitur? quod quidem cùm cæteros, tum imprimis propinquos eius hortor

vt faciant: quibus domeſticæ laudis memoriam, acerrimum video appetendæ gloriæ relictum eſſe incitamentum: ídque eo etiam magis, quod ipſe ſic mortuus eſt, vt hæc ei mors, ſicut oſtendi, optabilis potius, quàm formidabilis fuerit. Mortuus eſt enim in patria, quam vehementiſſimè ſemper coluit atque dilexit: atque ita mortuus eſt, vt non miſeri, diuturníque morbi grauitate confectus ſit, ſed leni horæ languore coagmentatio ipſa corporis diſſolui ſine ſenſu cum quadam quaſi naturæ voluptate viſa ſit. Ea verò ætate eſt mortuus, quam nemo propter vel corporis deformitatem, inſuauem, vel imbecillitatem, inutilem vel mentis infirmitatem, deſpiciendam eſſe iudicauiſſet, & in qua, quæ bona omnium maxima mortalibus contingere poſſunt, ipſe cumulatiſſimè diuino beneficio eſt conſecutus. Iucundum eſt enim hominum iudicio, in clara ciuitate nobili genere naſci: in clariſſima, nobiliſſimo natus eſt. multo iucundius, potenti in Rep. magnos poſſe honores aliquod adipiſci in potentiſſima cũ omnes alios, tum præſtantiſſimum ipſum atque clariſſimum Principatum adeptus eſt. lõgè omnium iucundiſſimum, ex vita ita de-

cedere,vt antè,quid ingenio,quid conſilio,quid virtute conſequi poſſis, ciuibus oſtenderis tuis:Cumulatiſſimè oſtendit. Quis igitur vberiori illius felicitati locus relinquebatur: aut quo feliciori fato extremum edere ſpiritum poterat, quàm quem modo in ſuauiſſimæ ipſius Reip. propè gremio,in complexu patrum clariſſimorum, ſacras ipſas antè Dei aras, præſenti ipſi quaſi Deo conſtantiſſimo animo reddidit?& lugebimus nũc illum caſum? quẽ inter omnes ille nactus eſt optatiſſimum?quid eſt aliud hoc facere, quàm præſentem,qua nunc fruitur, beatitudinem indigniſſimè ferre? quod quoniam nullo modo faciundum eſt, propterea cẽſeo, iam non fletu & lachrymis amplius animos eſſe abiiciendos,verùm firmiſſimis atq; aptiſſimis eſſe rationibus erigendos:propinquorum, quod domeſticum in perpetuum habituri ſint ſingularis cuiuſdã bonitatis atq; virtutis exẽplũ:ciuiũ,quod,ſi ſe ad eius ſimilitudinẽ conformarint, certiſſimum ſimilis euẽtus habeãt documentum:omnium denique,quod ex his corporis vinculis, tanquã ex carcere, quemadmodũ noſtrũ vnumquémq; neceſſe eſt,in cælũ ad optatiſſimã libertatẽ, quæ eſt optimo cuique

à Deo parata, lætiſſimo am̃o euolauerit.

IN FVNERE FRANCISCI VENERII *Venetiarum Principis, Oratio Bernardini Lauredani Andreæ F. Patricij Veneti.*

HVmanum genus, Patres ampliſſimi, omnibus aliis in rebus calamitoſum ac miſerum, hac vna in re felix atq; beatum prudentiſſimorũ hominũ iudicio exiſtimatur, ꝙ à Deo Opt. Max. fatali corporũ interitu, ac neceſſaria morte multatum eſt. Factũ eſt enim, vt, quẽadmodũ nauis ſæuiſſimis diu iactata fluctibus, tuto tandem in portu conquieſcit, ſic vita noſtra maximis vexata atque oppreſſa laboribus, in morte omnes ſuas moleſtias doloréſque deponeret. Hæc autem mors cùm per ſe ſatis magnam beatitudinem affert, quod ea ſolicitudines noſtræ omnes ac miſeriæ terminantur, tum eo etiã eſſe fortunatior videtur, quo aut ſanctiorẽ vitã honeſtioréq; expleuerit, aut certè ſanctius, honeſtiúſque obita ſit. Itaq; ſapientiſſimè veteres hoc etiã homines vſurpârũt, neminẽ niſi mortuũ, verèaut eſſe aut appellari beatum poſſe. Intellexerunt enim, propter fortunæ leuitatem & rerũ humanarum inconſtantiam, nihil

in vita ſtabile, nihil certum, lubrica atque incerta omnia eſſe: mortem autem vnam, præſertim quæ vitam integerrimã atque honeſtiſſimã clauderet, perfectam felicitatem ipſam hominis demonſtrare. Quamobrem ſiquis eſt, qui cum Franciſco Venerio præſtantiſſimo Principe noſtro, cuius mortui ſolennes nunc exequias celebramus, malè actum hoc tempore exiſtimet, quod ex hac vita deceſſerit, vehementer errat: neque enim intelligit felicitatem illam, quam vix adumbratam atque inchoatam in vita viderat, perfectã eum atq; expreſſam neceſſario ipſo corporis interitu eſſe adeptum, præſertim verò, cùm vitæ eius antè actæ mors ita conſenſerit, vt beatam vitam mors beatiſſima conſecuta ſit. Beatam enim noſtram vitam cùm multis aliis ex rebus effici, Patres ampliſſimi, opinamur, tum maximam felicitatis noſtræ partem ex generis nobilitate, liberali educatione, virtute denique & virtutis inſignibus atque ornamentis duci exiſtimamus: quarum rerum omnium decore Franciſcus Venerius ita ornatus fuit, vt qui ſplendidiſſimè, idem etiam beatiſſimè vixiſſe videri poſſit. Quod vt ita eſſe omnes intelligant, etſi rogãdi non eſtis,

tamen vt conſuetudinem ſeruem, peto vt diligēter & attentè, vt cœpiſtis, audiatis, dum ego non ambitione aut gratia aliqua, verùm eorum, quorum voluntati nihil denegare honeſtè poſſum, iuſſu adductus, præſtantiſſimi huius Principis honeſtam vitam, egregios mores, præclaras in republica actiones expono. Vnde autē generis eius explicandi primordia ducam, Patres Ampliſſimi? aut vnde præclara nobilitatis eius initia traham, paternáne, an materna familia? Eſt enim vtraque gens ſummis ad perpetuam in hac ciuitate gloriam virtutis atque egregiæ erga hanc Remp. beneuolentiæ inſignita monumētis. Ipſe autem hoc etiam nomine cæteris gentilibus ſuis antecellit, quòd ex duorum clariſſimorum huius Reip. Principum, Antonij Venerij & Leonardi Lauredani, qui in iis familiis omni virtute & dignitate ornatiſſimi fuerunt, ſanguine ortus eſt. Itaque, ſi in alio quoquam vox illa valuit, quę bonos ex bonis, fortes ex fortibus naſci nos admonet, in hoc certè valere iuſtiſſimè debet, qui ſummam maiorum ſuorum amplitudinem non modò non imminuit, ſed etiā (quod inter omnes conſtat) quàm maximè amplificauit. Quid enim nunc

prçclara cùm aliorum,tum Aloyſij proaui eius Marcij Procuratoris facta, aut Franciſci aui,aut Marini fratris, qui tanta integritate fuit, vt, quæ expeti à cæteris ſummo ſtudio ſolet,ea ſe ipſe Marcia procuratoria dignitate antè abdicarit, aut Ioannis patris excellentem probitatem, atque innocentiam ſingularem exponam? Maria quidem certè mater eius lectiſſima fœmina,cùm multa alia habet ad ſummam laudem prudentiæ & caſtitatis grauiſſima teſtimonia, tum illud vnum ad incredibilem ſui nominis claritatẽ ampliſſimum, quòd duorum ſummorum Principum,illius filia, huius mater extiterit. Itaq; ſi Corneliæ illi quondam à Romanis, vt ex eorum hiſtoriis cognouimus, tantum eo nomine tributum eſt, quòd Africano magno viro nata,duos Gracchos ſummos iis temporibus oratores procreaſſet, quãto hæc noſtra præſtantior, quæ non Gracchos duo portenta Ro. Reip. ſed Franciſcum Venerium optimum huius Reip. parentem generauit?Nam quid de Andrea & Petro fratribus eius dicam? quorum in altero tantam moderationem, quanta maxima in homine intelligi poteſt, fuiſſe perſpexiſtis?alter autẽ, qui nunc præſens adeſt,

eam virtutem, conſtantiam, pietatẽ præ ſe fert, vt ad propriam laudẽ nihil aliunde, quàm ex ſe quærere videatur? aut cur ſorores horum omnium mulieres ſanctiſſimas atque optimas nominem, quæ honeſtiſſimis nuptiis in nobiliſſimas & locupletiſſimas familias Vendraminã & Foſcarã tranſeũtes, illam ex ſe progeniẽ propagârũt, quę facilè omni virtutis genere ſuperiorum Principum, qui in iis familiis floruerunt, laudem & gloriam adęquaret? ſed quid ago? aut cur Franciſcum Venerium, qui nunquam generis amplitudine ſeſe extulit, ſemper virtute, vnde ſolida quæri à ſapiente gloria ſolet, gloriatus eſt, ita laudo, vt ad eius commendationem quidquam ex domeſticis eius imaginibus, atque ex vetere laude familiæ repetam? Non faciam igitur: neque à propinquis, aut ab affinibus eius ſumma dignitate præditis, ad hunc exornandum quidquam hauriam. omnem ex ingenio, ſtudio, ſapientia, probitate ipſius laudationis rationem petam. illa enim communis, hæc propria: illa naturæ, hæc induſtrię eſt: illam etiam habent, qui pueri in ea familia deceſſerunt: hac ſoli digni ſunt, qui per omnes ſe ætatis gradus honeſtiſſimè integerrimèq;,

vt hic ipſe,geſſerunt, qui cùm ab ineunte ætate ſe in honeſtiſſima & copioſiſſima familia natum eſſe intelligeret, non generis ſplendore, nec diuitiarum magnitudine elatus, in ocio atque deſidia ſibi elangueſcendum putauit,verùm cùm tales parentes atque maiores, ac cùm tantum demum exemplorum domi ad virtutem haberet, omnibus neruis contendit, vt & ipſe ſui honeſtiſſimum monumentum aliquod relinqueret,quo ſe maioribus ſuis dignum eſſe oſtenderet. Itaque cùm pleríque in ſummis præſertim opibus,& affluenti rerum copiá educati, liberam vitæ rationem ingreſſi, impetu quodam animi naturali ad neſcio quæ inania ætatis illius oblectamenta ducantur, hic cùm iis omnibus rebus omni ex parte abundaret,quæ allicere cęteros ſolent, in cupiditate tamen continebatur. vnius enim virtutis adipiſcendæ ſtudio inflammatus, gloriæ etiam ipſius, cuius cupiditas vix in eam ętatem cadere videtur poſſe,dulcedine quadam vel maximè commouebatur. Quamobrem totum illud lubricum ætatis ſpatium in literis & doctrinis iis, quibus puerilis ætas imbui ad humanitatem ſolet, collocauit: in quibus breuiter ei contigit, vt & ingenij

præſtantia, & aſſiduitate quotidiana lõgiùs progrederetur, quàm vt generoſi condiſcipuli æquales eius, quos omnes facilè ſuperabat, æquo ferre animo poſſent. His tam præclaris iactis adoleſcentiæ fundamentis, quæ vna omnium ad amplitudinem in Rep. comparendã eſſe firmiſſima exiſtimantur, cùm ipſe iam animo maiora ac grauiora conciperet, ac diu ſecum, multúmq; reputaſſet, qua potiſſimum ratione Reip. & patriæ ſuæ prodeſſe poſſet, ita ſtatuit denique cætera omnia fluxa, incerta, fugacia eſſe, in vna modò virtute atque eruditione conſequenda, omnem ſibi eſſe operam collocandam. Itaque cùm ſe ad eam toto pectore contuliſſet, audiendo, legendo, meditando, eam breui de ſe opinionem præbuit, vt liberalium artium omnium peritiſſimus haberetur. Quo ſtudio tantum ad moderationem animi, tantum ad prudentiam, tantum ad eloquentiam ipſam profecit, vt eum ab his initiis ad ſummam amplitudinem perueniſſe nemini, videri mirabile debeat. Nam cùm philoſophię partem illam, quę rationem benè viuẽdi continet, totam penitus cognouiſſet, hinc fiebat, vt neque in illa ætatis inſolentiſſima parte modeſtiã eius,

nec in tanta opum affluentia continentiam, neque in reliquis officiis colendis diligẽtiam vllo tempore deſideràres. Ad rectum enim cùm eſſet primùm natura, deinde inſtitutione formatus, nihil niſi rectum, nihil niſi laudabile aut gerebat, aut loquebatur, aut ſentiebat, vt ne locũ quidem aut prudentibus amicis admonendi, aut inuidis obtrectatoribus repręhendendi relinqueret, ſed ſingulari quadam in parentes pietate, eximio erga amicos ſtudio, incredibili erga omnes humanitate efficiebat, vt eodem tempore omnibus æquè probatus atque iucundus eſſet Iam verò in rebus diiudicandis prudentiam, in explicandis eloquentiam tantam ſibi comparârat, vt conſilium in ſuadendo eius admirareris, dicẽdi facultatem ac verborum copiam non requireres. Eam enim rationem in dicendo ſequebatur, vt firmis rationibus potiùs & argumẽtis, quàm fucata & compta oratione, pugnaret: quòd illud grauitatem habere, hoc inane quoddam ſtudium indicare cenſeret. Nolite enim putare, Patres ampliſſimi, liberaliũ harum artium ſtudiis humana ingenia ad agendum hebetiora fieri, quæ veterum prudẽtiſſimorum hominum ſententia vel plurimùm

excitentur. Sunt enim in nobis, quod ſapientiſſimis illorum monumentis continetur, præclara quædam ad omnem virtutem à natura inſita ſemina, quæ quidem, quanquam per ſe fructum edere vberrimum poſſunt, tamen multò & citiùs & copioſius, ſi quædam quaſi magiſtra diſciplina præceſſerit, ferunt: vt hæc conſtans ſapientum hominum opinio fuerit, tum denique ciuitates optimè administratum iri, ſi aut qui Remp. gubernarent, ſe doctrinarum ſtudio dedidiſſent, aut doctiſſimi homines ad Remp. acceſſiſſent. His ergo ille artibus, quæ non modò ad ſummũ ætatis illius commẽdationem, ſed ad egregiam etiam ingentis futuræ ſpem gloriæ pertinebant, tantam beneuolentiam, tantam gratiam, tanta erga ſe omnium ſtudia excitauit, vt, cùm paulopòſt ad Remp. ſe contuliſſet, ampliſſimum quénq; honoris ac dignitatis gradum facilimè conſecutus ſit. Meritò. Etenim eximiis eius, de quibus diximus, virtutibus, quas vos nunquã in obſcuro humilíque loco latére, ſed in omnium adſpectu & luce verſari ſemper voluiſtis, excellens eius quędam integritas atque innocentia vitæ adiungebatur, quæ vna in hac Repub. tantam vim

ſemper obtinuit, vt ciues ciuibus vehementius, quàm vlla alia ratio commendarit: Egregiè. Cur enim aut ingenium potiſſimum, aut eloquentiam cupiamus in eo, cui partem aliquam Reip. committamus, quæ, recta ipſa mentis ratione deſerta, facilè ad perniciem traduci totius Reip. poſſint? Neq; enim, ſi veterũ euoluantur annales, per vllos alios pręclaras antiquas ciuitates, quàm per diſertos illos quidem, ſed improbos, homines eſſe euerſas ac labefactatas reperiemus. Quid Athenas clariſſimum quondam Græciæ lumen, quid Carthaginem toti ferè Africæ atque Hiſpaniæ imperātem, quid denique Romam ipſam totius ferè orbis terrarum dominam perculit aliud, niſi eorũ, qui dicendo valuerunt, improbitas & audacia? In magiſtratibus autem ipſis adminiſtrandis, qui latiſſimus propoſitus eſt optimo cuique virtutis ſuæ declarandæ campus, ita ſe geſſit, vt eo pręſtantiſſimorum duorum Principum, à quibus genus ducebat, virtutē cum propria quadam eius ipſius integritate coniunctam, facilè omnes agnoſcerent, vt quæ iam antè diuturna philoſophorũ tractatione didicerat, ea, quoad res poſtularet, in ipſo gerēdo magiſtratu cōſumeret, neq;

eos imitaretur, qui in libera ciuitate nati, ita ſe in literis & in honeſtiſſimis artium ſtudiis abdiderunt, vt tamen ex iis nihil in lucem & adſpectum proferre, nihil ad ciuium ſuorum ſalutem & commodum haurire poſſint, non intelligentes, eum, qui ad Remp. accedat, ita ſe comparare oportere, vt, quemadmodum fax vna in portu cõſtitutá, multis quæ in alto iactẽtur, nauibus ſplendore ſuo opitulatur, ſic ipſe ciuibus ſuis omni virtutis genere prælucens, auxilium ferat. Cùm autem multi ſint in hac Repub. magiſtratus, qui omnes gradatim more maiorum, ſuffragiis ſtudiíſque ciuilibus capiuntur, quorum alij ad Remp. ipſam adminiſtrandam, alij ad priuatorum controuerſias diiudicandas pertinẽt, atque ex his *aliis ciuibus noſtris ius in vrbe, *aliis ſociis in prouincia * dicatur: in hoc viro cùm illud egregium fuit, quòd præſtãtiſſimum quenque magiſtratum facilè cepit, tum verò omnibus literis ac vocibus prædicandum, quòd eos ſanctiſſimè, prudentiſſimè & diligentiſſimè geſſit. Etenim in gubernanda Rep. nihil vnquam, niſi Reip. incolumitatem & dignitatem ſpectauit, neque partem aliquam eius, ſed vt ſapiẽtes medici ſolent, totum corpus curauit.

*alij *alij *dicantur.

curauit. Si frequentiſſimo Senatu de maximis rebus conſilium dandum fuit, prę-
clarè & egregiè ſenſit: ſi de Rep. ſententia dicenda, audacter & fortiter dixit: ſi lex ſuadenda, vel diſſuadenda, ſumma contentione ſemper egit. In priuatis autem litibus iudicandis, ſemper in conſilio egregiam æquitatem ac conſciẽtiam habuit, quod eius ſe Deum teſtem ac iudicem habere exiſtimaret: nulla re optimi eius iudicij religio & veritas adulterari, nõ gratia inflecti, non precibus permoueri, non potentia infringi potuit. Ex quo illud conſequebatur, quod vnicuiq; magiſtratum adepto, ſummopere procurandum veteres cenſuerũt, vt non magiſtratus maieſtate, ſed virtutis magnitudine, ſui admirationem incuteret, atque vt, vbi magiſtratu abiiſſet, eodem propè, atq; tunc, cùm in magiſtratu erat, honore coleretur. Multa præterea conſultò in magiſtratibus vrbanis & prudenter ab eo dicta, & ſapientiùs acta, vt ad illuſtriora eius prouincialia munera veniam, ad quæ exponenda me iamdudum tacitè veſtra expectatio vocat. Etenim quo maior quædam res eſt, foris, quàm domi, magiſtratus adminiſtrare, quòd ibi, quàm hîc, ſit ad libidinẽ & fla-

gitium licētia liberior, eo magis in prouinciali, quàm in vrbano munere, eius ipſius innocētia ſingularis & eximia virtus eluxit. Fuit igitur*Fori Iulij, fuit Pa- *Foriiulij
tauij, fuit Brixiæ, fuit Veronæ ſumma cū *Foriulij.
poteſtate. Quæ adminiſtratio quantam afferre dignitatem poſſit, vnuſquiſque, qui prouinciæ Foroiulienſis magnitudinem, vrbiū Patauij, Brixiæ & Veronę antiquitatē & amplitudinē cognoſcat, facilè intelligere poteſt. His igitur in locis quid aliud eū egiſſe cēſetis, quàm vt eorum, quibus ipſe præeſſet, cōmodis vtilitatíq; ſeruiret, eoſdémque quos ſibi hæc Reſp. cōmiſiſſet, ita tueretur, vt eſſe quā beatiſſimos vellet? Nā vt de Foroiulienſi adminiſtratione primùm dicam, quæ propter inueteratas eorū inter ſe hominum inimicitias plurimùm ſemper difficultatis habuit, hîc ita ſaluti eius prouincię ſtuduit, vt nihil aliud diligentiùs prouiderit, quàm vt pacē & ociū toti ei prouinciæ compararet: quod etſi vel propter partiū ſtudium, vel propter graues iniurias, vel denique propter elata eorū hominū ingenia in perpetuū præſtare non potuit: tanta tamen ſapiētia ac moderatione fuit, vt ſatis conſtet, nunquam alias pacem firmiorē ei prouinciæ, quàm dum

ipſe ei præfuit, affuiſſe, atque in implacabili eorum inter ſe hominũ odio ipſum tamen bonis iucundiſſimũ, malis formidoloſiſſimũ fuiſſe. Atque hac quidẽ arte ſedatæ diſcordiæ, cædes repreſſæ, latrocinia depulſa, prouincia tota ſęuiſſimis antè iactata ſeditionũ procellis, ſumma cũ huius Reip. gloria cõpoſita & conſtituta eſt. Iam verò Patauiũ, Brixiam & Veronã præclariſſimas vrbes noſtras, qua prudẽtia, æquitate, humanitate, innocentia rexit? Nullum fuit malum, quod ille non multo antè prouiderit: nulla difficultas, quam non idem conſilio & ratione depulerit: ita ciuium concordia in iis oppidis, & annonæ copia, quæ duo bona, optimæ cuiq; ciuitati iucundiſſima, prudẽtiſſimo cuique Rectori imprimis præſtanda ſunt, ſumma diligẽtia procurata, abundè affuerunt. Seueritatem autem in iure dicendo eam adhibuit: primùm, quę non gratia variaretur, ſed conſeruaretur æquabilis, deinde, quæ tanta cum comitate coniuncta eſſet, vt non maiorẽ pœnæ metum malis incuteret, quàm bonis ſpẽ præmiorũ ex eorũ rectè factis oſtenderet. cúmque hoc quidẽ maximè cuſtodiendum ſit, Patres, ampliſſimi, ab iis, qui in prouincia ius dicũt, vt expedita ſit vni-

cuique ad poſcendum ius ſuum & libera facultas, ne in tãta poteſtate vlla alia poteſtas ab iis, quibus præſint, quod non ſine cõmuni infamia fiat, deſideretur: hic hac virtute, & natura, & doctrina inſtitutus, ita excelluit, vt neminẽ vnquã à ſuo limine abſterruerit, omnibus faciles ad ſe ſemper aditus eſſe voluerit, liberæ denique infimo etiam cuíque apud illum querimoniæ fuerint. Iam de continentia plura non dicam: neque enim incredibile viſum iri exiſtimo, cũ qui doctrina perfectam ipſam per ſe naturam ad excellentis cuiuſdam ſpeciem integritatis excoluiſſet, qui magiſtratibus vrbanis omnibus maxima abſtinẽtiæ ſuæ argumenta dediſſet, eundem in prouincia etiam ita ſe continuiſſe, vt non manus ſolùm, ſed etiam oculos & aures, in quas fictè ſæpè quæſtus cauſa inſuſurrari ſolet, ea diligentia ab omni flagitij genere cohibuerit, vt non ſolùm à peccato, ſed etiam à ſuſpicione peccati in omni ſua vita abhorruerit. Itaque idem apud ſocios veſtros ita fuit, vt ipſi non eum, quem audierãt, non eum, quem vos miſeratis, ſed tanquã virtutum omnium, quæ in eo requiruntur, qui aliis præſit, dominũ & regem, aut earum virtutũ expreſſam in eo

imaginem ſe intueri atque adſpicere ſibi viderentur. Quid de legationibus eius, aut legum cuſtodia dicam? Honeſtiſſimum ſemper atque ampliſſimũ habitum eſt, Patres ampliſſimi, in hac Rep. legationis ipſius munus: & meritò. Nam qui legatus mittitur, is vnus totius Reip. maieſtatẽ ſecum deferre, totius ſenatus repræſentare authoritatem videtur: atque id munus incredibili quadam & grauitate, & virtute eget, & eloquentia, & aſſiduitate. quo in genere hic ita ſe geſſit apud Paulum iij. Pont. Max. vt in tractanda huius Reipub. cauſa, & in veſtris exequendis mandatis nemo vnquam aut diligentiam, aut facultatem dicendi in eo deſiderarit, ſplẽdorem autem & magnificentiam, in qua maxima etiam huius Reip. dignitas poſita eſt, omnes admirati ſint. Paulo quidem certè ita probatus fuit, vt (quòd fuit in eo viro diuinum ac ſingulare iudicium, ac prudentia tanta, quanta vix compræhẽdi in homine poſſet) eum iam tum Roma decedentem, iis (quod inter omnes conſtat) vocibus proſecutus ſit, vt breui Venetiarũ fore Principem dixerit. Inſidebat videlicet in eius viri mente vel humana quædam ex virtute & ſapientia eius ducta ad futuram

ipſius proſpiciendam magnitudinem diuinatio, vel certè diuina quædam, vt in Pont. Max. de rebus humanis prædictio, qua priſci illi quondam Hebræorum ſanctiſſimi Pontifices maximè valuiſſe dicuntur, ad quos ita vulgo, vt ad oraculum, de dubiis atque incertis ciuitatis caſibus, ab hominibus adibatur. Quod autem ad leges attinet, illud ſatis conſtat, cùm multis aliis rebus hanc Remp. tum maximè legibus & iure maiorum, & diſciplina vetere contineri. His autem legibus conſeruandis cùm aliis alio tempore à vobis præpoſiti ſint, tum paulo antè cùm Franciſco Donato præſtantiſſimo Principe mortuo, labentem maiorum diſciplinam reſtituere cuperetis, tres viros, quibus legum & iudiciorum & fori cuſtodia cõmiſſa eſſet, ſumma cum poteſtate ſine prouocatione feciſtis. Cúmque magiſtratui illi authoritatem ex perſonarum dignitate quæreretis, principes ciuitatis creaſtis, atque inter eos ſummo iis temporibus omnium conſenſu Franciſcus hic Venerius lectus eſt. cui muneri ipſe ita præfuit, vt non magis legum ipſarum, quibus præfectus erat, quàm earum conſeruatoris authoritate Reſpub. teneretur: nec ma-

gis homines legum, quàm magiſtratus eius ſeueritate deterriti, in officio permanerent. Expoſui vobis breuiter, Patres ampliſſimi, quibus hic quaſi gradibus ad tantã in hac Rep. dignitatẽ aſcenderit, ac quemadmodum veſtris magiſtratibus iuſtè, integréque gerendis, aditũ ſibi ad ſummũ huiuſce ciuitatis principatũ patefecerit: nunc, quemadmodũ eum ipſum Principatum adeptus ſit, aperiam. Multa enim veſtra ſunt de hoc homine iudicia, eáq; præclara atq; honeſta, quæ ipſe vel in præcipua laudum ſuarum parte numerare meritò poſſit. Verùm vt veriſſimè dicam, nullum aut amplius, aut ſplendidius, aut magnificentius reperiri poteſt, quàm quod veſtris ſuffagiis maximum huius Reip. Principatũ ita adeptus eſt, quo modo pauci in hac ciuitate eiuſmodi honorem ſunt conſecuti. Etenim ſi ętatem quęramus, vixdum quinto & ſexageſimo anno creatus eſt: ſi dignitatem, quod maxima eſſet ille quidẽ autoritate, ſed nondum Procuratoria decoratus: ſi ſtudiũ ciuiũ, quod tanto omnium conſenſu factus ſit, vt multis aliis nobiliſſimis & clariſſimis viris petẽtibus ſit prælatus. Itaque ſi tantùm Princeps ipſe factus eſſet, hoc ipſum tamen aut ad

præſentem, aut ad futuram ipſius & familiæ eius amplitudinem magnum, immò verò maximum ducerem: quo tamen honore, iam inde ab huius vrbis initio ad hæc vſque tempora, plurimi affecti ſunt: at verò integerrima ætate Procuratoriæ dignitatis expertem, Principem factũ eſſe, (quod huic vni poſt hominum memoriam fortaſſe contigit) id adeò ratum eſt, vt vnum omnium maximum propterea atque ampliſſimum eſſe videatur. Non enim aut ſenectuti, cuius maxima per ſe maieſtas ſæpè ornatur, nec Procuratoriæ authoritati, qui proximus ad Principatũ gradus eſſe ſolet, ſed virtuti, ingenio, pietati honorẽ illũ ampliſſimum omnibus ſuffragiis detuliſtis. Quamobrẽ cùm ob alias res hũc excellere cæteris puto, tum quod vnus, ac neſcio an primus altiſſimũ hunc locũ ſummis antè difficultatibus vndique vallatũ, propria ſapientia aperuerit, virtutíque in poſterũ patefecerit. Quòd ſi tantam laudem adeptus eſt in Principatu capiendo, quantam eundẽ conſecutum eſſe putatis in gerendo? Non abutar veſtra patiẽtia, Patres ampliſſimi, in iis rebus cõmemorãdis, quæ vobis, qui omnibus eius actis interfuiſtis, notiſſimę ſunt: neq; enim af-

ferre quidquam tam nouum atque inauditũ poſſum, quod non vobis cognitum ſit atque perſpectum, in eius præſertim Principatu, qui quantus fuit, in iſta luce, in veſtris oculis, in veſtro conſpectu incredibili eſt cũ dignitate verſatus. Si qua attigero, admonendi, non docendi vos cauſa, breuiſſimè fecero, vt neque anguſtiis orationis meæ quidquam laudibus tanti Principis adimam; neq; longitudine veſtras prudentiſſimas aures obtundam. Sed per Deum immortalẽ, quid eſt aliud, quod tam à Principe Venetiarum deſideretur, quàm ſumma quædam in iis muneribus obeundis, quæ Principi more maiorũ conueniunt, diligentia? id eſt, vt comitia, collegium, Senatum ſua præſentia & ſua maieſtate honeſtet, vt certis diebus forum, iudicia, tribunalia perluſtret, omnes magiſtratus, iudices, curatores in officio cõtineat, lites dirimat, aditum ad ius ſuum poſcendum omnibus patefaciat, nec tenuiores propter imbecillitatem circunueniri, aut locupletiores inuidia opprimi patiatur, atque vno verbo, ne partem Reip. ſed totam ipſam Rempub. authoritate ac ſtudio tueatur. Quis porrò extitit, qui illius in hoc rerũ genere obeundo eximiam etiam ſeduli-

tatem quandam non maximè admiratus ſit? Iam verò ſapientiam, conſtantiã, grauitatem quis in eo vnquam deſiderauit? aut quis eloquentiã eius vel in Rep. defendenda, vel in externorum Principum legatis accipiendis, vel in reſponſis pro Reip. dignitate reddendis vllo tempore requiſiuit? aut quis denique eundem in ſumma vnquã poteſtate vel gratiæ amicorum, vel beneuolentię propinquorum quidquam, non iuſtitiæ & æquitati dediſſe omnia animaduertit? cur ita? religione enim, quæ omnis virtutis & ſapiẽtiæ fundamentum eſt, ea præditus fuit, vt cætera illi cum aliis cõmunia eſſe, huius propria ipſius eſſe poſſeſſio videretur. Itaque in exigendis pecuniis publicis, quod munus Principis eſſe maximè cõſtat, tantam diligẽtiam ac tantam comitatem adhibuit, vt Reip. ne magis, an ciuium, qui deberent, rationibus vtilitatíque ſeruiret, non facilè intelligeres. An expectatis vt hoc loco conuiuiorum, aut epularum lautiſſimas pompas, lectos, abacos, precioſam veſtem, multáque id genus cõmendem? At ea omnia, etſi tãtæ Reip. Principi maximè conueniunt, tamen virtutũ eius ſplẽdore ita obſcurantur, multitudine ita obruuntur, vt in eo

locum ad laudandum vix habeant. Hoc tantùm vno verbo cõplectar, quanquam huic Reip. datum eſt, vt & ſapientia veſtra, & diuina erga vos beneuolentia, eximióque quodam huius Reip. fato nemo ferè ad hanc adminiſtrandam Princeps aduocatus ſit, niſi qui ſit omni virtutum genere præſtãtiſſimus: hoc tamen verè dici ac prædicari poſſe, multos adhuc multis virtutib9 prȩditos, huic Reip. prȩfuiſſe: qui pluribus, neminem, aut certè paucos extitiſſe. alij enim valuêre conſilio, dicendi facultate nulla præditi fuerunt. optimè alij ſenſerunt, ad exequenda verò ea, quæ rectiſſima mente agitabant, momenta nulla à natura habuerũt. alij in vrbanis magiſtratibus floruerunt, prouinciali verò laude prorſus caruerũt. Qui autem * domi, foris integritate, induſtria, conſilio, ingeniόque præſtiterint, pauci adhuc huic Reipub. præfuerunt. Sinite me humanam hoc loco imbecillitatem, Patres ampliſſimi, atque inconſtantem rerum noſtrarum ſtatum in ſummi viri obitu deplorare, quarum ea ratio eſt, vt quo meliores felicioréſq; ſint, eo fragiliores ac minùs diuturnæ eſſe conſueuerint, nihílq; ſit, in quo minùs noſtris votis fortuna, quàm in earum

*& domi, &.

rerũm, quæ hominibus optabiles ac iucundæ ſint, diuturna poſſeſſione reſpondeat: vt verum illud eſſe hac vna maximè re appareat, quod ſapientiſſimorum virorum monumentis eſt traditum, exiguam à nobis in hac vita beatitudinis particulam poſſe percipi, veram ac perpetuam felicitatẽ duntaxat poſt mortem ſperandam, atque pro explorata eſſe habendam. Quis hominum exiſtimatione paulò antè beatior noſtro hoc Principe habebatur, qui in ſumma familia natus, honeſtiſſimis artibus eruditus, ampliſſimis honoribus perfunctus, ætate integra, valenti corpore, maximum in hac Rep. locum ità obtinuiſſet, vt, quæ erat ciuium omnium & ſpes, & voluntas, facilè per plurimos annos præfuturus huic Reip. videretur? Mortuus tamen, & quidem intra biennium mortuus eſt. vt aliquam etiam huius ſpatij partem in diuturni morbi dolore perferendo conſumpſerit: quem tamen ille tanta conſtantia tolerauit, vt hoc ei traditum fuiſſe à natura videatur, vt ad cæteras virtutes ſummæ etiam in eo fortitudinis inſigne ad poſteritatem exemplum ederetur: Non enim ſuam ille aliquandò, ſed Reip. ſemper, cui inſeruire morbo in-

grauefcente non poſſet, vicem doluit: nullam quiſquam vnquàm eius de ſe,ſed de tota ciuitate, cui ipſe præfectus eſſet, querelam audiuit, vt etiam, quod inter omnes conſtat, medicos quotidiè ad omne artis periculum in ſuo capite faciẽdum, ne morbi ſui diuturnitate detrimenti aliquid Reſp. caperet, hortaretur. Quamobrem meritò veſtra laudanda eſt erga tantum Principem pietas, quam hodierno die in funere eius celebrando, & laudatione eiuſdem audienda incredibilẽ oſtendiſtis, cùm & frequentiſſimè conueniſtis, & me dicentem attentiſſimè audiſtis. Neque enim aut tanta virtus alio iudicio, aut tanta iactura alio mœrore, aut tanta erga vos merita alio officio, quàm hodierno iſto veſtro compenſari debuerunt, qui, cùm omni virtute præſtaret, ac ſemper de Rep. rectiſſimè ſenſiſſet, Forumjulium Patauium, Brixiam, Veronam, veſtras præſtantiſſimas prouincias atque vrbes, ſanctiſſimè diligentiſſiméque rexiſſet, in omni ſenatoria actione fidem, in decernendo prudentiam, in gerendo magnitudinem animi, in ſumma poteſtate modeſtiam adhibuiſſet, legationes veſtras honorificè atque è Rep. obiiſſet, legum ſanctiſſimus & ſeueriſſi-

mus cuſtos extitiſſet: poſtremò Principatu ſumma innocẽtia geſto, honeſtiſſimè ex hac vita ità ceſſit, vt deſiderium ſui incredibile omnibus reliquerit. Ego verò cùm vos valdè laudo, Patres ampliſſimi, quod tanta pietate tanti Principis funus ornatis, tum verò præſenti etiam mœrori veſtro maximè ignoſco. Quis enim in tantæ virtutis recordatione, ac tantorum erga hanc Remp. meritorum commemoratione, vel ſapientiſſimus non magnoperè moueatur? Aut quis eſt tam nihil aut de ſe, aut de Rep. cogitans, qui tantam Principis iacturam audire aut ſine lachrymis, aut certè ſine dolore poſſit? cui⁹ doloris acerbitate cùm alios omnes, tum te inprimìs, Petre frater, vóſque Ioannes & Aloyſi, fratris filij, cæteróſque natura illi & neceſſitudine coniunctiſſimos, confici ex vultu oculíſque veſtris intelligo. Credo autẽ alios alias, eáque iuſtas, ſui mœroris habere cauſas: te Petre, quod non fratrem, (quod ipſum tamen eſt maximum) ſed amore fratrẽ, ſuauitate æqualem, pietate filium, perdideris: vos fratris ſororúmque*filios, quod eo, qui paterno ſtudio vos ſemper coluerit, omni beneuolentiæ teſtimonio decorauerit, omnibus officiis proſecutus ſit, orbati ſitis: vos

*filij.

*reliquos,quòd eum, qui gentem veſtrā * *reliqui.*
illuſtrauerit,familias veſtras ornauerit,amiſeritis.ſed quò grauiùs omnes iuſtiúſque doletis,eò ipſe præ vobis afflictiore conditione ſum, qui ad leniēdū veſtrum dolorem vocor. Quanquàm autem in hoc genere orationis vix me verſari rectè poſſe ſentio,quod ab iis,quos conſolari cupio, conſolandus ipſe ſim, tamen ne muneri meo videar defuiſſe, aliquid dicam.Quid eſt enim per Deum immortalem, quod huius Principis obitu commoueamini, ac non ei potiùs gratulemini? huic*enim,quæ potuit, virtus, ornamenta, in hac Rep. dare, omnia dedit; quæ adimere natura, ademit: corpus enim mortale eripuit,gloriam ſanctiſſimè actæ vitæ, quæ nulla vnquàm extingui morte poterit,non eripuit. Quæ autem ſpes erat,quæ illum ad videndum diutiùs inuitaret?vt honore ampliſſimos gereret? vt virtutis ſuæ ſpecimen Reip. relinqueret? vt extrema ætate in ocio cum dignitate viueret?quid horū fuit,ꝙ non priùs, quàm eno cupièrit, conſecutus ſit?Ergo, cùm mortuus ſit,vt omnes neceſſè eſt,eáq; adept⁹ ſit, quę paucis nec ſperare licitū eſt,ꝓfectò ipſi⁹ cauſa dolēdū nō videtur: quid ſi ne Reip.quidem?eſt enim optimo

** enim virtus ornamenta,quæ potuit in hac Rep. dare.*

Reip.ſtatu mortuus,quē & illi⁹ & veſtra ſapientia confirmârat: eos ſtudiorum ſuorum æmulos & imitatores reliquit fratrem,propinquos,affines cùm ſumma virtute præditos,tum huius ſemper Reip. ſtudioſiſſimos,multóſque,qui adſunt, alios, quibus nihil aliud ad ſummam dignitatem deeſſe,niſi Principatûs inſignia videntur,vt eam,ne calamitatem quidem vllam accepturam eſſe hac florente diſciplina verendum ſit: ea veſtra prudentia eſt,vt,quem proximè ad optimi Principis ſpeciem accedere intelligetis, eum his tantis rebus præfecturos eſſe* credendum ſit. Quamobrem in fatali caſu eo omnes animo eſſe oportere cenſeo, vt propinqui aucta domeſtica gloria,patres optimo tradito ad Remp. adminiſtrandam exemplo delectati, mœrorem omnem abiiciant,atque optimè de Rep.ſperent.reliquis omnibus(nobiles adoleſcẽtes dico)vtile & honeſtum documentum ad ineundam maximorum honorum viam,& ſolidam parandam gloriam, datam eſſe huius Principis vitam video, ad cuius ſimilitudinem ſe ipſos fingere ac formare oportet, vt iiſdem, quibus ille, artibus,quaſi quibuſdam gradibus.patrũ ipſorum ſuffragiis facilè ſe, florenti etiã

ætate,

ætate, ad eandem gloriam peruenire poſſe intelligant, *vt, quantò præſtantiſſimæ * *quātum.* Franciſci Venerij virtuti laudis hodierno die tributum eſt, tantum ſuæ aliquandò iure optimo tributum iri confidant.

IN FVNERE
BENEDICTI PISAVRI, Claſsis Venetæ Imperatoris, ac diui Marci Procuratoris: Gabrielis Mauri Particij Veneti Oratio.

SI omnes ità natura comparati ſumus, Leonarde Lauredane Princeps clariſſime, patriæque Pater clemētiſſime, Oratores Excellentiſſimi, Senatores grauiſſimi, vt audito cuiuſquā viri boni interitu, non poſſimus non contrahi animo, doleréque plurimùm: quid nobis faciūdum exiſtimemus in tā acerbo, támque Reip. incommodo Benedicti Piſauri fortiſſimi viri & ſummi Imperatoris obitu? Amiſit enim hæc ciuitas virum, in quo ſumma erant omnia, & in quo grauiſſimis & periculoſiſſimis Reip. temporibus omnis ſalutis noſtræ ſpes tutiſſimè collocata fuit. amiſit noſtra Reſp. ciuē optimū, Senatorem grauiſſimum, Imperatorē clariſſimum, & hoſtib⁹ formidabilem. ami-

ſit noſtrum Imperiũ tutelam certiſſimam & ingens propugnaculum. Quàm quieto trãquillóque animo, hoc fortiſſimo Imperatore maritimo bello prępoſito, degebamus? quàm ſecuri, eodem pro patria vigilante, dormiebamus? Quocircà maximam ſpem rerum noſtrarum in huius viri virtute atq; authoritate collocaueramus, vt in tutiſſimo quodam portu nobis iam nauigare videremur. ſed ô vanas hominum ſpes: ô fallacia vota: ô inaneis noſtras cogitationes, ô ineuitabilem humanæ naturę neceſſitatem. Eccè, cuius vitam quàm longiſſimam optabamus, quē vniuerſus ſenatus, ſua geſta & conſilia referentem, auditurum ſe propediem ſperabat, cui patriam, de qua tam benemeritus erat, reuiſenti tota ciuitas lætabunda obuiam ſeſe effundere parabat: hunc heu pietas ante pedes exanimem cernimus: hunc, proh dolor, cadauer effectum intuemur. ô infauſtam diem, qua te Benedicte optime, amiſimus: ô luctuoſam diem, qua nuncium tuæ mortis acerbiſſimum accepimus: ô lachrymabilem iterùm atque iterùm lucem hanc, qua te vita functum vidimus: ô quanta & quàm grauis in te vno patriæ noſtræ iactura facta eſt. Sed quò feror demens? leniturus

accerſor, nõ exaſperatutus doloris acerbitatem. Quocircà conſiderandum nobis maturiùs eſt, quid mali Benedicto Piſauro, viro innocentiſſimo, mors ipſa afferre potuerit, quo nobis dolendum cenſeamus. Nam ſi noſtra cauſa ingemiſcere ac flere velimus, quod firmiſſimum præſidium atque ornamentum ampliſſimũ, illius interitu, nobis ſublatum ſit: ignaui proculdubiò ac prorſus nullius virtutis videamur. eſt enim magni animi ità aduerſam ſuam fortunam ſuſtinere, vt nõ deiiciatur, non opprimatur, ſed rectus ſemper firmúſq; maneat. Quod ſi ad Benedictum virum optimum atque integerrimum, vita functum, animũ referam⁹, nihil profectò eſt, quo illius mors dolẽda videri poſſit, quippe quæ mortalitati eius finem, & initium dedit immortalitati. Sed ego illud cõſolandi genus, & dolentibus præſentiſſimi remedij, & audientibus ſummę vtilitatis eſſe iudico, vt defuncti vita, innocenter, præclarè, omníq; cũ laude acta, recẽſeatur. quãobrem benè à maioribus inſtitutũ eſt, vt de clarorũ virorũ laudibus funebres orationes haberentur: quem ego morem ſecutus, vt Pericles Athenienſis, ciuitatis ſuæ Princeps, militũ bello interfectorũ ſtre-

nuitatem luculenta oratione proſecutus eſt, ità ipſe vel multo iuſtiùs de clariſſimi Imperatoris noſtri innocentia, temperantia, fide, facilitate, ingenio, humanitate, cæteríſque virtutibus breuiter dicam.

Silentio igitur conſultò præteribo ciuitatem hanc, in qua ille natus eſt: cuius quidam amplitudini atque ſplendori par oratio inueniri non poteſt. præteribo nobiliſſimam Piſaurorum familiam, ex qua innumerabiles clariſſimi viri prodiêre: Lucas Diui Marci Procurator, vir nunquàm ſatìs laudatus: vt Angelus, qui Adriaticæ claſſi præpoſitus, apud Mitylenen ſtrenuè pro patria pugnando occubuit: vt Nicolaus Benedicti noſtri frater germanus, qui poſt Remp. domi foríſque ſæpè optimè adminiſtratam, ob ſingularem prudentiã, egregiámque virtutem, ad Ferrarienſe bellum quod cum tota Italia geſſimus, Senatus decreto miſſus, pacem nobis cum dignitate & amplificatione imperij peperit. Tacebitur & Marcus alter frater germanus, quem ſummo ingenio & ſingulari prudentia præditum, videndum terris fata dedêre, non fruendum. Tacebitur & clariſſima Thronorũ familia, ex qua hic noſter maternum genus ducit: nam &

marmora illa, quæ videtis nobili epigrã-
mate inciſo, ornamenta virtutum, quæ
in multis eius familiæ extitêre, in vno
declarant. Prętermittentur etiam à nobis
tenerioris ætatis actiones: non quòd
multa & pręclara dici non poſſint, ſed
tum quia illa futuræ potiùs, quàm perfe-
ctę virtutis indicia ſunt, tum quia proue-
ctioris ætatis facta, anteactæ vitæ facilè
teſtimonium perhibebunt, virtute per
gradus & quaſi numeros eunte. Cùm igi-
tur tertio ab hinc anno Græcia bello
Turcarum arderet, & Methone ciuitas
veſtra, quæ in Peloponneſo poſita eſt,
maximis copiis terra maríque à poten-
tiſſimo Rege oppugnaretur, audito ſupe-
rioris Imperatoris noſtri obitu, omnium
ſuffragiis Benedicto Piſauro ingens &
periculoſum bellum decernitur: qui di-
uino quodam conſilio ad id bellum ad-
miniſtrandum huic Vrbi datus fuiſſe vi-
detur. in quo quidẽ bello quantùm om-
nes heroicas virtutes expreſſerit, breui-
ter conſideremus. Suſcepto Imperio III.
Calend. Auguſti, cùm inſequenti die hinc
ſoluiſſet, pridiè Idus Zacynthum perue-
nit. hanc tãtam celeritatem & tam incre-
dibilem curſum non vis quædam noua
ventorũ, non inaudĩtum robur remigum

præſtitêre:ſed quòd illa, quæ cæteros remorari ſolēt,prędę cupiditas,libido,ignauia,hunc ab inſtituto curſu minimè auocare poterant. Pridiè autem illius diei, quo Imperator hic noſter Zacynthum appulit, Methone capta fuerat:& Corone ac Pylos, propinqua oppida, audita Methones expugnatione, nec adhuc cognito tā egregij Imperatoris aduētu, deditionem fecerant. Hac clade accepta, noſtrorum animi deiecti ac conſternati, hoſtium, victoria elati,noſtri trepidare, hoſtes parare etiam alia loca veſtra eodem belli impetu occupare,claſſis veſtra variis locis diuiſa ac ſeparata, hoſtilis in vnum collecta. Rebus ità afflictis, & hoc triſti nuncio accepto, inuictus Imperator veſter tum maximè animos concipit, & ſuos erigit atque confirmat, claſſem ſumma feſtinatione colligit, hoſti victori intrepidè occurſurus. is fortiſſimi Imperatoris aduentu cognito, ſeſe cum tota claſſe domum recipere conſtituit. Hic veſter intrepidus Imperator cum ſexaginta nauibus (tot enim collegerat) ducentas & quinquaginta naues hoſtiles omnib⁹ rebus ornatas vſq; in Helleſponti anguſtias perſecutus eſt, ſexaginta captis. Hic conſiderate, quęſo,

& cognoſcite veſtri fortiſſimi Imperatoris laborem in negociis, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo. Hinc etiam animaduertite, quanta fuerit authoritate cùm apud ſuos, tum apud hoſtes, quod ſuos tanta belli offenſione trepidantes in ſpem erexerit, hoſtes vero victoria exultantes in fugam verterit. Hæ virtutes tantæ ac tam præclaræ raræ ſunt, & in paucis admodum, multis retro temporibus repertæ fuêre. Sed ne commemorandis Imperatoris noſtri rebus geſtis longior inter ſcientes ſim, taceo multarum inſularum ac locorum hoſtilium depopulationem, Cephaleniæ expugnationem à ſuperioribus Imperatoribus bis fruſtra tentatam, Pyli,* quem Luncum vocant, & Æginæ recuperationem, Naupliam obſidione liberatam, claſſem hoſtilem ex Aoo flumine, hunc Voiuſſa vocitato, egredi non ſemel conantem, repreſſam. Taceo Richum pyratam immaniſſimum & qui veſtris ciuibus ac ſociis multa & magna damna intulerat, captum, ac viuum cõbuſtũ, vt quod in multos fecerat, ipſe pateretur. Nõ cõmemoro etiã Leucademiã inſulam, quam ſanctam Mauram appel-

lant, intra paucos dies vi captam. Illud conſilium fortiſſimum non ſilebo, cum noſter intrepidiſſimus Imperator, claſſe apud Cephaleniam demiſſa, ipſe cum octo triremibus, re per exploratores cognita, Ambracium ſinum, quem Arctam vocant, ingreſſus per anguſtiſſimum oſtium, in quo præſidium omni tormentorum ac miſſilium genere ornatum, poſitum eſt, ſumma cum celeritate, bellico apparatu, qui in terra erat, incenſo, vndecim triremes ornatiſſimas, cuſtodibus partim occiſis, partim fugatis, ipſe cum ſuis incolumis eduxit: tantam fortitudinem ac virtutem hoſtes mirati obſtupuêre, triremes ſuas ſub ſuis oculis abduci cernentes. Quàm magnificè vero de Imperatore veſtro Hiſpanus & Gallicus ſummi & clariſſimi Imperatores & ſenſerint, & locuti fuerint, vos ipſi teſtes eſtis, qui etiam eius authoritatem veſtris iudiciis amplificaſtis: Nam & Diui Marci procuratorem cunctis ſuffragiis abſentem creaſtis, & Hieronymum filium omni virtutum genere ornatum, annum agentem trigeſimumprimum, in Senatorium ordinem aſſumpſiſtis, ac poſtremò Britannicis triremibus præfeciſtis. Iam verò quanta innocencia ac temperan-

tia fuerit, hinc cognoſcite: quod pecuniam ex ærario depromptam ad bellum adminiſtrandum, in quæſtu non habuit: quod decimam omnis prædę, quæ iure optimo Imperatori debetur, diuidēdam inter nautas ſemper cōceſſit: quod nullam vnquam iniuriam veſtris ſociis atque amicis afferri paſſus eſt. Iuſtitia verò tanta fuit, vt eum & boni omnes colerent, & mali vehementer formidarent: qua potiſſimum ratione omnes ſuos in officio continuit, ac Imperio parentes reddidit. in qua quidem obedientia Reip. ſalus verſari videbatur. Sed quid de prudentia eius & humanitate dicam? qui ita ſuos continuerit, externos ita tractauerit, vt cum Gallis & Hiſpanis, citra omnem militum ac nautarum mutuę iniuriæ illationem, ſocia arma cōiunxerit? Quid dicam, quàm faciles fuerint ad eum priuatorum aditus? quàm liberæ querimoniæ de aliorum iniuriis? Dies profectò deficeret, ſi omnia perſequi vellem. Nouiſſimè vero facta per ſenatum poteſtate redeundi in patriam, alui profluuio correptus, intra quadraginta dies animā immortali Deo reddidit Sed fuerat illi in votis non in patria ſepeliri, vt nunc, ſed pro patria pugnando mori, quo

ſibi ſepulcrum immortale in hominum memoria pararet. quo tamen non eſt cariturus: ſiquidem ampliſſimas & innumerabiles eius virtutes ac res præclarè geſtas, nulla vnquam ætas cõticeſcet. Quoties, dum ſe morbo ſuperari ſentiret, ſimilis eum cogitatio ſubiit, quæ & Æneam, apud Vergiliũ, tempeſtate depræhenſum, dicentem: O térque quatérque beati, Quîs ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis Contigit oppetere.

Reliquum eſt, clementiſſime Princeps, Patres humaniſſimi, vt memoriam tanti viri, quem ob ſingulas eius virtutes, quæ mihi erant exploratiſſimæ, ſemper colui, loco filij ab eo redamatus, vobis toto corde commendem. Igitur ſi triennij labor Benedicti Piſauri Imperatoris veſtri ſi vigiliæ, ſi curę pro vobis ac imperio veſtro ſuſceptæ, ſi denique vita extra patriã pro patria effuſa, apud veſtros gratiſſimos animos aliquid poſſunt, vt certè plurimum poſſunt: Hieronymum filium & nepotes Petrum & Franciſcum, quos ille filiorum loco ſemper habuit, omnes probos ac paternę virtutis æmulos ſuſcipite, quæſo, tuemini, defendite, promouete, honoribus augete: quo cæteri ciues veſtri eodem exemplo incitati atque in-

flammati, pro gloria Imperij veſtri retinenda & amplificanda, vitam exponere non dubitent.

IN FVNERE *CAROLI ZENI PAtricij Veneti, Procuratoris S. Marci, Leonardi Iuſtiniani Patricij Veneti Oratio.*

MAximum & ampliſſimum munus, Illuſtriſſime Princeps, hodierno die ad me delatum video, qui dignitati ac magnitudini rerum, de quibus dicturus ſum, omne ingenium & eloquentiam imparem eſſe cognoſco. Nō enim video, vbi latius, vbi ſublimi' mea potuiſſet verſari oratio, quā ſi de clariſſimo & ornatiſſimo viro Carolo Zeno dicerem: cuius interitu nō florentiſſima modò noſtra Reſp. verum etiam totus terrarum orbis ſingulare quoddam decus ac ornamentum amiſit. Fuit enim natura, virtute, gloria tam excellens, vt etiam hoc vno ætas noſtra potuerit in omni genere laudis cū antiquitate certare. Quęnam igitur tam affluens elegánſque dicendi copia? quæ tāta ingenij vis aut maieſtas, in hoc tam

communi omnium luctu atque iactura, ſatis dignè ſufficiat? cùm in tanto præſtātiſſimorum hominum concurſu atque frequentia, neminem eſſe videam qui nō ſit tanti viri deſiderio, huiúſque funeris acerbitate vehemēter affectus. Quę quāquam ita ſint, humaniſſime Princeps, iniquum tamen eſſe ducebam, ſi ego, qui ciues optimos omni ſemper laudationis officio proſequendos eſſe putarem, hoc tam egregium honeſtúmque laudandi munus recuſarem, ab his præſertim ad me delatum, quorum ego beneuolentiā & authoritatem meo de me iudicio præferendam eſſe arbitrarer. Dolebam præterea, Patres ampliſſimi, & indignum eſſe cenſebam, nobiliſſimorum funerum laudes, in hac potiſſimum vrbe, tanto humanitatis & eloquentiæ ſtudio affluenti, ab externis hominibus vſurpari: cùm id & maximis, & optimis ciuibus, quos omne patrię officium explere decet, priſca laudabilíque conſuetudine concedi ſoleret. Ego verò cùm nec ingenium, nec eloquentiam, nec ætatem deniq; meam, parem huic loco authoritatem præſtare poſſe confidam: omnem ſpem meam atque conſilium, humaniſſime Princeps, in te locaui. Soles enim pro innata tibi

manſuetudine, cùm de laude ciuiũ tuorum agitur,& eorũ maximè qui de Rep. benemeriti ſunt, aures tuas incredibili quadam attentione præſtare. Vóſque, patres optimi: qui huius funeris decorandi cauſa tanto ſtudio, tam inuſitata frequentia conueniſtis, omiſſo dolore, aures iam veſtras accommodate his laudibus, quas de vita, de ingenio, de virtute, de gloria huius præſtantiſſimi viri ciuis noſtri dicturi ſumus.

Quæ cùm, quanta ſint, mecum conſiderarem, verererq́ue ne maximarum rerum vbertas orationis modum excederet: ſtatui ea tantũ, quę veſtra expectatione aut funeris huius amplitudine digna eſſent, breuiter oratione complecti. Non dicam vtique de huius, in qua natus eſt, ciuitatis gloria & ſplendore: quæ rerum à ſe geſtarum magnitudine, incomparabili diuturnitate, liberalitate, præſtãtia ciuium, & nouitate quadam ac ſitus opportunitate, vix vlla laude dignè ornari poſſet. Non dicam de antiqua, patriciáque familia ſua, quę tot egregios ciues edidit, vt non ſatis conſtituerim, plus ne illa huic ciuitati, an hæc ciuitas illi ſplendoris attulerit. Non dicam de iuſtiſſimo & fortiſſimo viro, Petro Zeno eius patre:

te ſuperaſſet. O liberalem inſtitutionem & præclaræ vitæ fundamenta: quibus Athenæ illæ omnium artium inuentrices, neque plura, neque meliora potuerunt excogitare. Itaque vt primum è ludo atque his puerilibus erudimentis exceſſit, vt illuſtrem aliquando ocij ſui fructum ex negocio vendicaret, in militiam confeſtim profectus eſt: in qua cùm ingenio viribus, fortitudine cæteris facilè præſtitiſſet, ad Pontificem Maximum expectatus, adoleſcens conceſſit: à quo dignitatem quandam apud Patras, ætate ſua lōgè ampliorem, eſt aſſecutus: Pulcherrrimum profecto iudiciū, Maximo Pontifice dignum: qui cum adoleſcētem moribus & diſciplina egregiè præditum cognouiſſet, non virtutem annis, ſed annos virtute metiendos eſſe putauit. Patras ergo traiiciens, cum difficilimas pacis & belli res tum cōſilio, tū opere & imperio adminiſtraſſet, in varias deinde terrarum regiones enauigauit, tum orbis viſendi ſtudio, quod pleróſq; ſummos & viros & philoſophos feciſſe legimus, tū etiā vt naualis rei diſciplinā, qua potiſſimū hæc ciuitas tātū imperiū adepta eſt, lōga exercitatione teneret. His artibus præditus, cùm in patriam in ſumma

rerum ac temporum difficultate veniſſet, apud patricium ordinem & Senatum ampliſſimis honoribus & magiſtratibus continuo donatus eſt. In quibus tantum fortitudinis atque conſtantię tantum conſilij ac prudentiæ declarauit, vt expectationem omnium, quæ de eo maxima erat, clariſſimis rebus terra maríque geſtis facilè ſuperarit. Quarum cũ maxima famæ celebritas eſſet, pleríque illum potentiſſimi Reges deſiderabant: aliqui vero apud ſe etiam habuerunt, his tamen annis, quibus noſtra Reſp. cum tranquillitate & ocio, tum præſtantiſſimorum ciuium copia, qua plurimũ ſemper excelluit, fruebatur. Quid demum is graui iam ætate confectus, cùm à Rep. cui omnem fermè vitæ ſuæ curſum & agendo & conſulendo præſtiterat, in ociũ ſe contuliſſet, quid inquam ſuo ingenio, ſua virtute, ſua gloria dignius aut facere aut excogitare potuerat, quàm ſenium ſuum innumeris laboribus, longa vigilia crebra nauigatione, aſſidua militia variis fortunę caſibus ac periculis iam defeſſum ſuauiſſimis & honeſtiſſimis literarũ ſtudiis confouere? ſic Solonem, Catonem, Lucullum, multóſque clariſſimos viros ſenectutem ſuã ſolitos laxare legimus.

In his

In his tamen ſtudiis hic noſter ita modeſte verſatus eſt, vt cũ nullã iucundiorẽ voluptatem haberet in vita, nunquam tamẽ neque patriæ, neque amicis priuato cõſilio defuerit. Quonam igitur pacto omni ſuę vitę aut prudẽtius, aut pulchrius potuiſſet conſulere? qui cum probe ociũ ad negocia retuliſſet, ita perfecte vtraq; complexus eſt, vt ex eis & maximas virtutes, & ampliſſimam fuerit gloriam cõſecutus. Quid honeſtius ex ocio Socrates? quid ex negocio clarius Alexander quæſiſſe potuerit? Hæc itaque cùm maxima ſint, Patres ampliſſimi, exiſtimo tamẽ ab his, qui pręſtantiſſimum hunc hominem cognouerunt, haud minus diuinum illud ingenium laudari: de quo cum hoc mihi loco dicendum ſit, lætor imprimis, humaniſſime Princeps, quod apud te dico, qui id cogitatione potius, quàm verbis æquari poſſe intelligis. Scis enim quanta ingenij celeritate viguerit, quantã in perſpiciendis rebus facilitatẽ habuerit: qui non addiſcere, ſed reminiſci non appræhendere, ſed tenuiſſe omnia viſus eſt. an fortè poterat ingenium illud rerũ ſublimitate ſuperari? an varietate cõfundi? an multitudine obrui? dicã profecto, Illuſtriſſime princeps, dicam, quod

te ſentire non dubito, neminem facilè potuiſſe aut in rebus altis ſublimius, aut in diuerſis perfectius, aut in multis copioſius dicere atque ornatius. Legimus pleróſque ſummos viros eximia animi magnitudine floruiſſe, ſed eam tamen & numero rerum, & proprietate quadam fuiſſe finitam: qui non in omnibus, ſed in quibuſdam tantum artibus excellere potuerant. hunc autem prorſus neſcio ad quem primum ingenij vſum natura genuerit, cùm ſingulis in rebus non verſatus, ſed genitus eſſe videretur. nihil minus ex ea ingenij facilitate, ſtudij ac vigiliarum in cognoſcendis rebus adhibuit. At quantum cæteri aut ludis, aut ſpectaculis, aut eiuſmodi voluptatibus ad corporis animíque requiem temporis concedere ſolent, totum id Carolus ad relaxandos publicos labores, iucundiſſimis literarum ſtudiis conferebat. Maximus enim fuit in eo colendi ſtudij ardor, & vehemens optimarũ artiũ. multos ille eruditiſſimos ac ſummos viros hoſpitalitate donauit: multos prætereà ſingulari quadã cognitione ac amicitia dignos fecit. quo enim (vt alios omittam) ſtudio, qua humanitate Antonium Maxanum eloquentiſſimum & integrum hominem

ac diuinarum artium eruditiſſimum coluit? quanto amore ac vſu Guarinũ noſtrum, Græcæ ac Latinæ linguæ peritiſſimum, complexus eſt? non Lyſander Antilochum, non Athenodorum Cato, non Lucullus Antiochum maiori conſuetudine ac humanitatis officio proſecuti ſunt. Vidit ſanè vir ſapiens, quantum ad gloriam atque laudem hæc literarum ornamenta conducãt. qui cùm philoſophiam potiſſimùm & eloquentiæ ſtudium, tum ad benè beatéque viuendum, tum etiam ad publicam hominũ vtilitatem conferre intellexiſſet, non quantùm occupatiſſimo viro, & in quotidiana maximarum rerum varietate verſato, ſed quantum aut philoſopho, aut oratori par fuerat, in his eſt artibus aſſecutus. Quid enim enim ſublimem philoſophię cognitionẽ extollam? quid illũ dicendi vſum & rationẽ? Teſtis es tu, illuſtriſſime Princeps, vóſq; conſcripti Patres, qui ſæpè cùm in Senatũ rogati conueniſſetis, ſuauiſſimã, illam vocẽ, grauiſſimaſq; ſententias maxima ſemper cũ admiratione audiuiſtis. Teſtis eſt Rom. curia quæ hũc ipſũ quatuor & decẽ annos natũ, oratorẽ ſũmo ſtudio laudauit. Teſtis eſt Italia, teſtis eſt Gręcia, teſtis eſt Britannia: in quibus ſæ-

pè cùm grauiſſimas altiſſimáſque cauſas peroraſſet, ſingularem ſemper dicendi palmam omnium doctiſſimorum hominum iudicio eſt conſecutus. Quid illam rei militaris diſciplinam laudem? Nullũ eſt tam nouum, tam inauditum bellorum genus, quod illi tum noſtra, tum etiam aliarum gentium fortuna ignotum fuerit. Quid diuitias & humanas leges commemorem? quid patrias conſuetudines? quid iura gentium? quid varias hominum naturas? quid ſitum orbis? quid ipſam propè omnium rerum ac artium cognitionem? quæ omnia Carolus ipſe ita egregiè tenuit, vt vix credibile ſit, aut in multis hominibus vna ętate, aut in multis ętatibus ab vno homine colligi potuiſſe. Quo vero pacto hęc ſine ſingulari ac penè diuina memoria fieri poterant? Lucullum maxima rerum recordatione viguiſſe legimus, maiori tamen verborum Hortenſium. Hic verò cùm miro quodam modo in his excelleret, nec multitudine impleri, nec eius memoria temporis diuturnitate exhauriri poterat. Itaque cum eius ingenium tanta celeritate, facilitate, amplitudine, tanto ſtudio & induſtria, tot denique rerum ac artium cognitione ornatũ eſſet: hoc tamen am-

pliori laude dignum arbitror, quod hæc ipſa non niſi ad virtutem accommodanda eſſe exiſtimauit. Ità enim, dum viueret ſentiebat, ſinè virtute nil eſſe in vita magnoperè expetendum: contra verò, propter virtutem extremos cruciatus, dolores, pericula, & ipſam denique mortem forti animo eſſe tolerandam. Cur ita? quia cùm de animorum immortalitate gloriosè religioſéque ſentiret, nemini aditum in cælum patere poſſe arbitrabatur, niſi ei, qui virtutem imprimis conſtantiſsimè coluiſſet. Quæ cùm non ſolùm noſtræ, ſed priſcorum quoque philoſophorum religione conſentanea ſint: quo in loco conſtitutum eſſe credimus eum, qui tot tantíſque virtutibus præditus atque ornamentis *, è vita diſceſſit? quas equidem, ſi ſicut à me inſtitutum erat, ſingulas recenſere contendam, ſcio profectò hanc vocem meam, ipſúmque dië mediis in laudibus defuturum. Quarè, humaniſſime Princeps, in dicendo mihi modus habëdus eſt, vt tanti viri virtutes penitus laudatione non careant, & ego hac tua benigna facilitate audiendi longius non abutar. Atque vt à publicis rebus initium ſumam, penultimum Liguſticum bellum omnium pernicioſiſſi-

*ornatus.

mũ,quæ vnquam hęc ciuitas noſtra geſſit,innumeras huius viri virtutes efferre poteſt.Nam cùm in armis ſemper aut legatus,aut imperator terra marique fuiſſet? quod fuit illud in dubiis rebus conſilium?quantus in difficultate labor?quę in periculis fortitudo ? quæ celeritas in conficiendo?quæ induſtria in explorando?quæ tolerantia in agendo? Maximas in eo bello opes effudit:vulnera ſuſcepit, oculum amiſit : hoſtes profligauit:inteſtinos mercenariorum militũ tumultus ſolus ipſe compreſſit. Scipionis exẽplo, cùm littora veſtra vndique hoſtilium armorum fragore ſonarent , in Ligurum fines cum claſſe inuectus , plurima diripuit,incendit , atque vaſtauit. quod ante* bellum nemo non dico fecerat, ſed nec excogitauerat quidem Barchinonæ vero illius vulgatiſſimæ nauis oppugnationem prætereo , multáſq; res eo bello clariſſimè geſtas:quas hic Carolus ad leuandas noſtras calamitates,quas ſine omni perturbatione audire vos poſſe arbitror,iuſtè,fortiter,cõſtantérq; declarauit. Vidiſti hæc omnia , fortiſſimè Pricenps,qui in his ipſe periculis ſumma cũ laude quotidie verſabaris . Viderunt hæc plurimi: viderunt patres clariſſimi,

bellũ illud.

quorum opera & conſilio ingentem ille Reip. reſpirationem atque victoriam attulit: viderunt hæc hoſtes ipſi, qui neſcio huius ne ornatiſſimi viri virtutes maiori odio, an admiratione, dignas faciant. Sed quid ego antiqua commemoro? enſes veſtri adhuc hoſtili cruore rubent ex ea victoria, quam poſtremo ex nauali cum Liguribus pugna glorioſiſſimè retuliſtis cum id quoque bellum eius imperio, prudentia, virtute ſuſceptum, adminiſtratũ, atquè confectum fuerit: vbi tantum vberiores illas clariſſimáſque virtutes ſuperauit, quantum ex ætate & quotidiana armorum & maximarum rerum exercitatione ſibi vendicaſſe par fuit. Video hîc egregiæ illius virtutis teſtes, pluréſque nobiliſſimos ciues noſtros, qui in ea expeditione fuerunt: imprimis iuſtiſſimũ & optimum virum Leonardum Mocenicũ fratrẽ tuũ, * quicũ legatus cũ aliquot triremibus haud mediocrẽ in ea pugna laudẽ eſt aſſecutus. Taceo reliquas ampliſſimas Venetorũ ætate ſua victorias: quibus quãtũ momẽti * ſua virtus, prẹſẽtiáq; præſtiterit, hoc loco prætereo: Nã id ſicuti nobis, ita * vniuerſa penè Italia celebraiũ eſt. Ampliorẽ autẽ dicẽdi locũ eius laudes deſiderare videntur. Quod

qui legat'.

* *virt' eius*

* *vniuerſæ penè Italiæ*

ſi Caroli virtutes ſingulatim numerare potius,quàm collectas breuiter attingere inſtituiſſem,qua ego verborum copia, quóve ſplendore orationis res illas complecti poſſem, quas decem annis apud Mediolani Ducem ſumma ſua cum laude,atque omniũ admiratione geſſiſſe cõſtat?nam & Prætor, & ſocius, & legatus quantũ authoritate,conſilio,ingenio valuerit, perſpicuum eſt omnibus, ac prætor plerúnque in prouincias cum veniſſet, in his eſt tam caſtè tam integrè,tam fortiter, ſtrenuéque verſatus, vt ipſius Ducis grauiſſimi viri ſententia qui ſummę rerum præficeretur, dignus haberetur. Neque verò minorem ſibi gloriam vendicauit virtute propria, quàm militũ adiumẽto.cùm enim rebus tota citeriori Gallia à ſe clariſſimè geſtis,omnes fermè eius ætatis imperatores ſuperaſſet,ſibi tñ ipſe ceſſiſſe viſus eſt,cùm in Cumanas Alpes profectus, cùm parua admodũ militum manu, ferociſſimã & vi & armis antè in domitam multitudinem, comitate, eloquentia,conſilio ſibi cõciliauit. Quot ibi militũ legiones antea trucidatæ fuerunt? quot exercitus deleti? quot duces cæſi?non ferro,non viribus,non acierum conflictu, gẽs ea cùm animorum imma-

nitate,tum difficultate locorum debellari poterat, ſed nouo quodam & inuſitato bellandi genere,authoritate,humanitate, clementia, affabilitate, comitate, eloquentia: quibus Carolus inuictas vrbes, agreſtes animos vicit, domuit, atque ſubegit. vt qui maximis imperatoribus prudentia & fortitudine par fuiſſet, his quoq; artibus Cineæ illi præſtantiſſimo & eloquentiſſimo viro non ſuccumberet. O decus ætatis noſtræ, & clariſſimum ſeculi noſtri lumen, quid tibi inter tot & tanta aut naturæ,aut ſtudij,aut fortunæ ornameuta datum erat quod non ad communem hominum ſalutem tibi datum eſſe arbitrareris? Quod ad rerum gerendarum adiumenta* ſibi ętas conceſſit,haud magis ſibi ipſi, quàm ſuæ gloriæ ac hominum commodis, viuere ſeſe putabat. Septuageſimum natus annum,cùm in Cyprum traieciſſet,quod rerum ante geſtarum, quod ibi virtutis ſuæ argumentum non expreſſit? Nam vt ea omittam,quæ ad mores hominum, ac eius regni dignitatem amplitudinémque tuendam inſtituit, quantam eſt eo bello laudem aſſecutus,quod à Rege,ſe Duce, cum Liguribus actum eſt? cum enim hoſtium inſultu res Cypriæ in maximum

*illi.

diſcrimen veniſſent, Carolus & copiis, & bellorum machinis longè inferior, fortiſſimos hoſtes conuertit in fugam, & regnum ac Regem ipſum ſummo periculo liberauit. Digna certè ſenectus, quam talis adoleſcentia præceſſiſſet. Multa enim apud Patras militari & publica virtute adoleſcens geſſit: quæ ſicut i æterna ſunt memoria digna, ita & hac temporis anguſtia longè ampliora ſunt. Quod ſi quis fortè putaret, eum aut trepidum militem, aut parum fortem imperatorē fuiſſe nudatum Carolum noſtrum adſpiciat: cum difficile ſit cognitu, pluráne membra, an vulnera in corpore ſuo habuerit. Habeo prætereà multa, sereniſſime Princeps, quæ, ſi aut tempus, aut dignitas ſua poſtularet, in medium afferre poſſem, nec ea imperatoria aut militaria ſed priuata etiam domeſticáque virtute confecta. Quis enim, vt ex eis hoc vnū attingam, eius fidem, animi magnitudinem, liberalitatem non magnificiat, cū adoleſcens adhuc, Patrenſi illa opulentiſſima dignitate ſponte ſe abdicaſſet, vt cū Apulo milite, duello de vita certaret? nō enim maximus labor fidē, nō periculū, nō fortitudinē nō expectata paupertas liberalitatē ſuā extīguere potuit. Qua vero

humanitate,qua clemẽtia in ciues,in neceſſarios,in amicos fuiſſe credemus, qui Apulũ iſtum,iure belli ſibi captiuum datum cõfeſtim libertate donarit:Hęc certè vel ipſam Cæſaris clementiam, tantis laudibus celebratam , viciſſe pro certo affirmari poteſt , cum ille ciues ſuos, & eos præſtantiſſimos quidem viros , & optimè de Rep.meritos , non libertati, ſed patriæ reſtituiſſet. Quo nouo , quo inuſitato genere laudandi, hanc ſingularem virtutem complectemur , qua externum hoſtem , nec eum certè probum hominem , aut noſtra de Rep.benemeritum , & vita & libertate donauit ? Plena eſt profecto noſtrorum hominum memoria earum virtutum , quas Carolus priuatus exercuit fortitudine , patientia,moderatione,conſtãtia,ęquitate, clementia,grauitate, cõſilio,liberalitate. Quæ in hoc vno & perfectè , & copioſè viguerunt. Itaq; quos Triumphos,humaniſſime princeps,*ſuis victoriis?quas coronas ſuis vulnerib⁹?quas ſtatuas ſuis virtutibus decernemus ? Sed hæc priſca virũ inſignia ac monumenta exoleuerunt. Iã nullũ eius vita,ingenio,virtute dignũ fructum putabimus,niſi gloriam ipſam atque laudem , qua nihil homini pul- *eius.

chrius in hoc mortalium curſu poteſt excogitari. Quòd ſi gloriam exiſtimamus celebrem eam,quæ ab hominum opinione,& à publicis virtutum meritis emanauit, nihil video huic viro ad ſummam gloriam defuiſſe,cùm is in ampliſſima Venetorū Rep. omnes fermè, quas poterat, dignitates antè habuerit, quàm voluerit,antè tenuerit,quàm quęſiêrit: vt de imperiis & magiſtratibus taceā,quos ille ſæpè domi & foris, pace & bello,terra maríq; geſſit.quod fuit illud, ac quantum patricij ordinis de illo iudiciū, cùm ædem Sancti Marci, quem maximè ex ſuperis optimum ſemper patronum hæc ciuitas ſenſit, eius curæ fideíque commiſit? cùm ex eo loco tu Illuſtriſſime Princeps, in hac ſuprema totius imperij arce fueris collocatus. id autem cùm illi domi, & paulò ante eius ſenectutem obtigerit,eiuſmodi fortè adoleſcentia maximis honoribus caruit.bellū atrox, quod Patrenſis populus cum finitimis geſſit, hic quartum & vigeſimum vitæ annum agens,ſuo ductu & auſpiciis adminiſtrauit.Quanta verò apud Ioannem *Galeazium,MediolaniDucem,ingenij ſui monumenta repoſuiſſet, non ſatis habuiſſe credidit, niſi hunc ipſum in ſummorum

Principum numero collocatum vidiſſet. Regem verò Cyprium vſqueadeò hunc ipſum probâſſe ſcimus, vt, quanti is Regni ſui incolumitatem atque ſalutẽ, tanti profectò eum æſtimarit. Fortunam verò quis ignorat id * ſibi gloriæ tribuiſſe, *ei. quod paucis vnquam cõceſſit? quæ cùm pręcipuè bellicis in rebus varietatem ſoleat atque inconſtantiam declarare, nullum tam Carolo, cùm ille ſæpè conflixiſſet, aut aduerſum, aut non felicem pugnę exitum apportauit. Quænam amplior gloriæ maieſtas? qui clarior ſplẽdor huic viro adiungi poterat? qui in ampliſſima Venetorum Rep. qui apud potentiſſimos Reges & populos, qui apud deniq; fortunam ipſam domi & foris, terra & mari, tantum gloriæ, tantum laudis habuit, vt eius vitam laudent omnes, ingenium mirentur, virtutes ſumma celebratione colãt. Facit hoc, Patres ampliſſimi, vt noſtram iacturam ac eius interitum minus moleſto animo perferamus, qui vitam omni genere laudis accumulatam, primo & octuageſimo ætatis anno dimiſit. quo numero, cùm in ſe omnium prorſus perfectionem collectam teneat, eos qui perfuncti erant, diuinitatem quandam aſſecutos putauit antiquitas.

Quæ cùm ita ſint, Illuſtriſſime Princeps, iam lachrymas atque mœrorem, quibus hoc celebratiſſimum funus decoratum eſt, dimittendum eſſe cenſeo. neque tam mœſtos eſſe oportet eius diſceſſu, quàm lætos ea pręſentia, qua olim, dũ viueret, fruebamur. Nam poſteri homines, ad quos celebritas tantarũ rerum defluxerit, beatos nos appellabunt, qui hunc diuinum hominẽ his noſtris oculis intueri potuimus. Imprimis verò tu Petre optime, omiſſis lachrymis, id ſolùm videas, quomodo paternã gloriam hæreditario tibi relictam iure poſſideas. Nos autem, Patres ampliſſimi, quibus Caroli noſtri nomen, eiúſque virtutum imago relicta eſt, ſummo ſtudio & vigilantia niti decet, vt eius nomen laudibus noſtris celebratum, æternum immortaléque faciamus: & diuinam tantarum virtutum imaginem, non ſtatuis tantùm aut picturis, ſed imitatione quoque ac opere declaremus.

IN FVNERE *ZACHARIÆ BARBARI,* *Patricij Veneti, Equitis, & Procuratoris S. Marci, M. Antonij Sabellici Oratio.*

NIhil eſt, Sereniſſime Princeps, Patres & viri ampliſſimi, quod ego aut ſæpiùs, aut intentiùs ſim ſolitus à Deo Opt. Max. precari, quàm ſi quid ingenij in me eſt, ſi qua dicendi facultas, ſi quis cultus, copiáve ſermonis, ſi quis denique meorum nunc eſt ſtudiorum vſus, aut deinceps eſſe poterit, hunc ipſum ita mihi omni tempore, loco, occaſione diſponere liceat, veſtríſque laudibus & ornamentis accõmodare, vt pro publica & priuata ampliſſimi ordinis veſtri in me beneficẽtia, non in te tantùm, Auguſtine Princeps optime, & in hos viros Patricios, qui hodie tecum rem Venetam tàm feliciter, quàm ſapienter adminiſtrant, grato ſim animo exiſtimandus, ſed grata etiam piáque in eos memoria, qui ex hac vita deceſſerunt: quando & illi pari ſtudio & pietate contenderũt, vt pulcherrimum hoc & feliciſſimũ Imperiũ, quàm opulentiſſimũ à ſe vobis per manus traderetur. Eſſem ego verè ingratus, ne impius dicam, ſi hoc ſtudio & voluntate in eos eſſem, qui vtiliter hodie in veſtra Repub. verſantur, ſi illorum memoriam, qui tantum decus, tantas opes, ſua virtute quæſiuerunt, & qui quæſitas tueri & augere perſeuerarunt, nullo pietatis

proſequerer officio, paterérque nefario ſilētio talium virorum memoriam obliterari: præſertim quum nulla gens in terris, nullus populus, nulla ciuitas, poſt diuinos honores, ſtatáſque ſacrorum cęremonias, tanta defunctos veneratione ac pietate proſequatur, quàm veſtra hæc, quam illi inſtituerunt, inſtitutam vobis reliquerunt. Huc accedit, quod & vetus eſt, & à multis gentibus receptum, vt iis, qui de patria, de vniuerſa Repub. de ſuis ciuibus benè meriti eſſent, non ſolùm magnificè funerarentur, ſed pro concione etiam vitæ anteactæ amplum illis teſtimonium redderetur, publicéque laudarentur. Quod cùm ita ſit, ſatis ſcio me ex hodierno officio, ſi non ingenij (nam id quàm ſit in me tenue, ieiunum & infirmum, obſcurè nunquam præ me tuli) *at gratitudinis laudem & pietatis haud dubiè reportaturum: quod Patricij viri, quod equitis ſplendidiſſimi ſenatoris optimi, de Repub. de vniuerſa ciuitate benemeriti memoriam laudaturus, celeberrimum hunc locum conſcēdi. Id ego vt ſtudioſiùs facerem, nihil æquè me ac veſtra hortata eſt pietas, Princeps & Patres optimi: qui ciuem hunc dignum cenſuiſtis, quem tam celebri frequentiâ,

**laudē, at gratitudinis ſaltem & pietatis, haud.*

tanto

tāto funeris apparatu nouo penè exemplo extolleretis. Cæterùm vellem ego, quando ad hoc veni, vt de præſtantiſſimi ciuis laudibus dicerem, tātum mihi temporis ad id dari, vt per omnes ipſius vitæ laudes liberè noſtra euagari poſſet oratio. Quòd ſi de ingenij præſtātia, de conſilio, comitate, temperantia, cæteríſque animi virtutibus, ſi de corporis cultu, ſenatoriáq; maieſtate, ſi de maiorū ſplendore & amplitudine, aliíſque vitæ ornamentis ordine dicere liceret: tam ampla & redundans agenti mihi ſeſe aperiret materia, tam varia, tam multiplex, vt non vnde ſumendum mihi eſſet principium, aut qua ſequendum, proſpici oporteret, ſed inſtituti ſermonis exitus ſolicitè requirendus. Verùm quia non adeò multa complecti in tanta temporis datur anguſtia, dabo ipſe operam, vt nullius rei magis hodie, quàm breuitatis, rationem videar habuiſſe: haud ſanè tam multa illa ſtudio ſecutus, quæ cæteri in funebri ſolent laudatione. Nam ne Peripateticos quidē ſequar, qui hoc, quod in vita laudabile ducimus, nō ſolùm à bonis animi & naturæ hauriunt, ſed ab iis etiam, quæ in fortunę poteſtate eſſe dicuntur. Quòd ſi per ocium liceat in Zachariæ Equitis

ſplendidiſſimi memoria celebranda, ex ſententia rem tãtam tractare, vel clariſſimum Barbaræ familiæ ſtemma tam diu me in ſuis laudibus explicandis detineret, vt non poſſet ad vlteriora peruenire. Sed quid ego ſtemma dixi, quum vel ſolus defuncti pater ſatis dicentem fatigare poſſit, ſi ad hoc veniſſem, vt de eius laudibus dicerem?

Etenim quis veſtrûm eſt, Princeps & patres optimi, qui non aut fama acceperit, aut in huius vrbis annalibus & hiſtoriis aliquando legerit, quàm eminens Græca & Latina facundia fuerit Franciſcus Barbarus huius Zachariæ pater, quo conſilio in toga, qua in bello authoritate? Nullius credo tam procul ab vrbe peregrinantur aures, qui non aliquando audierit, quanta is olim prudentia, fortitudine, ſolertia Brixiam vrbem clariſſimam Prætor, longa obſidione cinctam, defenderit: quàm inuicto animo vno eodémque tempore famem, hoſtem, peſtilentiam tulerit. Proditum memoriæ eſt, quandiu obſidio illa tenuit, tenuit autem vnũ & amplius annum, nunquam illum niſi in aperto eſitaſſe, neq; interim alium panem, quàm hordeaceũ aut furfurium, in eius menſa conſpectum. quæ hominis

frugalitas & in modicis conſtantia, effecit, vt, quæ de Menenij, Curij, Cincinnati victu, déque eorum patientia, qui ad Caſilinum diu aſſidentem Pœnum tulêre, memoriæ ſunt tradita, minore admiratione audiantur. Nec dicam, quibus ille artibus ſit ſæpè hoſtem ludificatus, quo ſucceſſu ſingulos appellando, hortando, ſubleuando, ciuitatem ſanè fidelem & conſtantem, multo fideliorem conſtantiorémque veſtro reddidit imperio. fuítque talis ille. Agè verò & ipſa defuncti mater quanta? quali fuit indole? quanta virtute fœmina? digna, quæ Lauredanum patrem virum clariſſimum habuerit, eum dico, qui in Liguſtica ora, circa Siciliam, circa Padum, toto ſupero inferóque mari, penè plura vno Genuenſi bello pro Veneto nomine geſſit, quàm omnibus bellis eorũ quiſquam, qui rem Venetam foris adminiſtrarũt: digna, quæ Iacobum fratrẽ, paternæ virtutis æmulũ, qui pari ſucceſſu rerúmque geſtarũ gloria veſtræ aliquãdo præfuit claſſi: digna, quæ fuerit iunioris Lauredani amita, qui his paucis annis Othomanicas opes, in ora Macedoniæ ad Scodram, nõ pertulit ſolùm, ſed lõga etiã obſidione fregit. qui deinde veſtræ claſſis Imperator factus,

incredibile dictu eſt, quàm fortiter Naupactum defenderit, Lemnum ſeruauerit, Zacynthum ſubegerit. digna demũ mulier, quæ Procuratoris mater fuerit, filia, & ſoror: rarum in Veneta vrbe felicitatis exemplum, nec multum ab eo Lacedæmoniæ Lampidus ac Pherenices diuerſum: quarũ hæc trium olympionicarum, illa trium Regum, & illorum quidẽ potentiſſimorum, perneceſſaria fuiſſe dicitur. Sed hęc eo tendũt, vt vel ſolis parentũ laudibus ſatis ſupérq; mihi fuerit immorandum, ſi omnia cõplecti voluiſſem: vbi & illud vna oſtendere potuiſſem, veriſſimum eſſe, quod Euripides ſcribit, ex bonis bonos procreari. Nam cùm tales fuerint, qui eum genuerunt, non potuit, non optimus eſſe is, cuius hodie funus maxima cùm ſenatus, tum populi & vniuerſæ ciuitatis frequẽtia celebratis: quãquam in omni genere laudis vir ille tãtus extitit, vt non modò, non defuerit ſuis maioribus, ſed lõgè ſuperfuerit. Etenim quadrageſimo ab hinc anno Reip. admotus, penè plures prouincias obiit, vt Phocion ille Athenienſis, quàm ab eo tẽpore annos vixerit. & vt ſilentio prętereã domeſticos honores, quos incredibili totius ordinis fauore penè priùs quã per

ætatẽ liceret, decurrit, vt præturas & externas legationes, & in his vnam ad Fridericum Imperatorẽ, vnde ſibi & familię clariſſima inſignia reportauit: nullus eſt in Italia populus, nulla libera ciuitas, nullus quidem Princeps, ad quem non ille fuerit oratoris functus munere. quo factum eſt, vt non pax, non bellũ, non induciæ, non fœdus, non ſocietas vlla ſit publicè inita, cuius non aut domi conſiliarius fuerit, aut foris arbiter. homo ad negocium, non ad ocium natus: ad virtutem, vt Ariſtoni placuit, non ad deſidiam & voluptatẽ. Senator grauis, & in dicendo vehemens ac circunſpectus, & ad hominum animos in vtranq; partẽ verſandos, ſuprà quàm dici poſſit, accõmodatus. Honeſtatis amicus, turpitudinis hoſtis: frugi, parcus, induſtrius, domeſticęq; diſciplinæ exactor diligens: vtilis patriæ, iucundus amicis, comis hoſpitibus. & vt breuiter dicam, ad omnium gratiã promerendam diuino quodam ac præſtanti naturæ beneficio cõparatus. dignus qui patre ſummo eſſet procreatus, qui matre fœmina inſigni virtute, ſummóque loco ornata, qui vxorem clariſſimo Principe ortam duxerit, qui tres ex ea filios ſuſceperit præſtãti ingenio viros, qui in luctu

hic ſunt:de quibus ſuperuacaneum arbitror hoc tempore quicquam recenſere. Satis ſunt vobis noti. in gremio ciuitatis orti ſunt,in luce educati,publicè inſtituti. Vos illos à pueris amâſtis, fouiſtis, ornâſtis, veſtróque ſuffragio extuliſtis. Veſtræ ſapientiæ eſt, non meum, de iis iudicare. Sed ille,quantuſcunq; fuit,(fuit enim, vt ſcitis, vir per omnia egregius) fatali neceſſitate periit. Homo quidem erat,eáque lege natus,vt ex humanis aliquando decederet. Debemur morti nos noſtráque: nec eſt mortalis, quem non dolor & interitus attingat. Verùm tum periit, quum illi ac ſapientiſſimo cuíque mors fuit optabilis: vxore,liberis, nepotibus,atque omnibus,qui illi in vita chariſſimi fuerunt, ſuperſtitibus: incolumi patria,qua nihil fuit ei charius:incolumi ciuitate,Rep.opibus& imperio florente: te Principe & Reip. moderatore, Auguſtine Dux feliciſſime, qui tua ſapientia, conſilio,innocẽtia, ſaluberrimóq; genio tuo cõſecutus es, vt tam hodie te Principe res Venetæ floreãt, quàm à prima huius vrbis origine ad hunc diem maximè floruerũt. Abiit itaque ille lætus,omníq; cura & ſolicitudine ſolutus,optimam ſecum ſpem ferens,publicę & priuatæ feli-

citatis ad veſtros maiores nūcius: & iam ex ipſo piorum cœtu, cui eorum animæ, qui benè de Rep. meriti ſunt, conciliari creduntur, ad hæc, quæ ſibi hodierna die tam honorificentiſſimo funere tribuuntur, conuerſus, agit tibi gratias, pientiſſime Princeps, agit vobis viri patricij, agit vniuerſæ ciuitati, quæ ſe tam celebri pompa extulit, eximio hoc exequiarum ſplendore, numeroſo clero, longóque flammarum ordine, clamat, fatetur, teſtatur perpetui amoris ſui, ſtudij, officij, obſeruãtiæ in Remp. in ciues, in amicos, vberrimum ſe hodie fructum percepiſſe, cumulatiſſimam ſibi gratiam relatam. Vna duntaxat cura adhuc hæret animo, quæ (ſiquis noſtrarum rerum apud eos, qui vita defuncti ſunt, ſupereſt ſenſus) optimum quénque patrem, præcipuáque in filios charitate, comitetur neceſſe eſt. Hac ille cura, incredibilíque in ſuos pietate diſtrictus, ex eadem illa piorum ſede ſupplices ad vos manus intendit, multo fletu, multíſque lachrymis tibi, clementiſſime Princeps, vobis viri patricij, amãtiſſimã cõiugẽ, filios ſuauiſſimos, nurus, nepotes, atque vniuerſam domum ſuppliciter commendat. Hanc ſuo præſidio, fauore, cõſilio ſpoliatã, veſtrę fidei

tradit, in veſtręque clementiæ ſinu collocat: precatur, obteſtatur per patris ſui vetus in Remp. ſtudium, per Lauredani aui fidem, ſiquid ipſe egit aliquandò, quod vobis, quod patrię, quod vniuerſæ ciuitati fuerit gratum, commodum, & honorificum, ne dulciſſimos filios, ne tantas neceſſitudines iacere patiamini: ſed publica & priuata claritate fauoréque complexos, piè tueamini. quod vnum cùm à veſtra clementia ſenſerit impetratum, & tibi, Princeps optime, longa feliciáque vitæ tempora precabitur, huic vrbi incolumitatem, imperio diuturnitatem, & perpetuum rerum omniũ ſucceſſum, vniuerſis ciuibus felicitatem, veſtri beneficij memor inter maiorum manes feliciter quieturus.

IN FVNERE
FRANCISCI FASEOLI,
Magni Venetiarum Cancellarij,
Io. Baptiſtæ Rhamnuſij Oratio.

ET ſi multo id mihi magis erat optãdum, Leonarde Lauredane Princeps, viuo Franciſco Faſeolo multorum eius in me officiorum atque amoris, quo me proſequebatur, gratiam aliquam referre

poſſe: nullo tamen pacto committendũ arbitror, vt mortuo etiam non omnia, quæ à me expectari poſſunt, quantùm in me eſt, præſtentur. ac, ſi exiſtimarem talem hunc virum, tot virtutibus, tot egregiis animi dotibus præditum, poſſe à me ſatis pro meritis eius laudari, audacter dicerem, nullam à me maiorem referri illi gratiam potuiſſe. Quid enim maius, quàm quod boni ſemper viri non diuitiis ſolùm, non voluptatibus, non cæteris rebus, quæ mortales appetunt, ſed ipſi etiã ſæpe numerò vitæ prætulerunt? Neque id iniuria. Laus enim vna eſt, quæ verum ſit virtutis præmium: quæ breue hoc admodùm humanæ vitæ ſpatium eò proferat, vt per eam propè immortalitatem conſequamur. Hac abſentes noſcimur, ignoti diligimur, mortui viuimus. Sed quoniam tenues admodùm & longè im pares illius laudibus, & ſtudij & ingenij mei vires ſunt: tantum abeſt, vt id audeã dicere, vt mihi ſatis ducam, non ingratũ haberi. Ac tua quidem, Franciſce Faſeole, in me merita, nulla vnquàm ex animo meo vis, nulla ætas euellet, nulla vnquàm delebit obliuio. tibi ſemper pro his, quã meritus es, pietatem remetiar: tuum ſemper nomen colam. hoc ſi ſatis eſt, hoc ſi

eſt gratum eſſe,non vereor,ne quis me in hoc,quod poſſum, gratior inueniri poſſit. In laudibus verò tuis celebrandis is ero,qui potero:tu, ſi minùs ſatisfecero, ignoſcere, atque ità exiſtimare debebis, in referenda tibi hac in re gratia non voluntatem mihi defuiſſe, ſed facultatem. Sed iam ad ea, quæ dicenda ſunt, veniamus.

Ego, ſi de eo verba facerem, qui non tam multis & maiorum ſuorum, & ſuis ipſius laudibus ità abundaret, vt mihi ex his multa potiùs amputanda ſint, quàm nouum quippiam aſſumendum: profectò id mihi proponerem, in quo nulli oratio deeſſe poſſet.patriam illius laudarem, originem noſtræ huius Reip. repeterem,veram veterum Italorum ſobolē à ſæuientium barbarorũ impetu ſe ſubtraxiſſe,atque in hæc loca delatam, ad hoc vſque tempus incorruptam perſeuerâſſe oſtenderem, præclara inſtituta,æquabiles leges, tutiſſimum ac pulcherrimum vrbis ſitum, rerum omnium copiam,res deniquè & terra & mari geſtas, dicerem. quæ in hoc ſi velim perſequi,aut longior ſim quàm neceſſe eſt, aut propriæ huius, multæq́ue & egregiæ laudes prætermittendæ. Quamobrem de eius etiam gene-

re pauca tantùm quædam perſtringam: nam nihil omninò dicere de tot egregiis ac tam illuſtribus viris nullo paſto poſſum. Offerunt ſe mihi quidem multi, ſed totum me tamen ad ſe rapit excellens Matthæi virtus. is bello illo, quod acerrimum cum Genuenſibus maiores veſtri geſſerunt, ea geſſit, eam operam Reip. nauauit, vt nihil, quod aut à fortiſſimo viro, aut ab optimo ciue deſiderari poſſet, prætermiſerit. Neque verò minor Antonius eius filius haberi debet: qui ea authoritate fuit, vt, cùm inter vos & Patauinos (cùm nondùm ſub imperium veſtrum conceſſiſſent) de finibus eſſet controuerſia, arbiter conſtitutus, pacatiſſimè rem omnem compoſuerit. Age verò (vt alios multos prætercam) duo Franciſci ipſius patrui, Aloiſius & Angelus, præteriri debent? at Aloiſius Conſtantinopoli pro patria mortem obiit: Angelus, qui Feltrenſis Epiſcopus fuit, hac fuit eloquentia, vt à Paulo ſecundo Pontifice maximo ad Daciæ ac Poloniæ Reges miſſus, quos ad bellũ in Turcas ſuſcipiendũ hortaretur, ità eos ad id agendũ, quod optabat, impulerit, vt Romam poſteà reuerſus, ampliſſima ſit à Pontifice ipſo præmia conſecutus. Iã ipſe Andreas

pater qualis fuit ? is verò ad maiorum virtutes ornamenta etiam literarum addidit:in quibus ità floruit,vt eo tempore, quo literæ propè euanuerat,primus in illas tenebras lumen quoddam intuliſſe viſus ſit.Neque id Chriſtophorum Maurum ſapiētiſſimum Principem fugit, qui eum in claſſe ſecum habuit: neque verò patres veſtros,qui inter primos hos , qui à ſecretis Senatûs ſunt, adſciuerunt. quo ille munere & egregiè ſemper functus eſt, & multùm Reip. profuit:ſed nulla in magis , quàm quod Franciſcum filium genuit. Ac verum id profectò eſt , quod quidam arbitrantur, non in iuuencis ſolùm atque equis , cæteríſque animantibus patrum ac generis virtutem eſſe, ſed in hominibus etiam multo magis.& certè ſi quis in hanc Faſeolorum familiam intueatur, magnam atque adeò maximã generis vim eſſe cognoſcet. Pauci à me quidem commemorati ſunt , multi præteriti.ſi quis omnes conſideret, nemo ex hac familia non egregius, nemo non in aliqua re magnus inuenietur, ſed nullus tamen Andrea, Franciſci patre, maior. At quanto is reliquis omnibus præſtitit, tanto ipſe à Franciſco filio ſuperatus eſt. cuius de laudibus cùm mihi iam dicen-

dum ſit, ità multa mihi vno tẽpore omni ex parte offeruntur, vt, quò me vertam, quod principium ſumam, neſciam. Sed ità certè agam, qui illius vitæ progreſſus fuit, is à me ordo in eius etiam laudibus, quam breuiſſimè potero, celebrandis ſeruabitur. Cùm primùm igitur, vt indè incipiam, ex ephebis exceſſit, Patauium ad capiendum animi cultum à patre miſſus, eam inter æquales probitatem præ ſe ferebat, id ingenij lumen in eo elucebat, vt breui & omnibus præſtiterit, & iam tum ex eo puero, qui poſteà vir futurus eſſet, facilè homines coniectarentur. Hic ille, cùm & iuris ſcientiam, & cæteras libero homine dignas artes magno ardore didiciſſet, atque in rectis literarũ ſtudiis primam illam ætatem exegiſſet, talis domum reuerſus eſt, vt, cùm maximum quiddam de eo homines concepiſſent, expectationem tamen ille de ſe omnium facilimè ſuperârit. cùm videret inter omnes eas artes. quæ præclariſſimæ habentur, multùm dignitatis, per dicendi facultatem hominibus comparari, in forum ad agendas cauſas ſe contulit: id ille ingenij ſui theatrum conſtituit, quò omnes neruos contenderet, omnes vires expromeret. hìc verò illius nõ ſciẽ-

tia ſolùm quædam iuris, ſine qua nihil agi in foro poteſt, quæ in hoc ſingularis fuit, ſed & eloquentia quædam admirabilis ità breui efflorere cœpit, vt elingue ac mutum forum ante illum fuiſſe videretur. Hic primus argutiolas ac cauillationes illas leguleorum, quæ iam ſubſellia omnia propè occupârant, ad amplum quoddam ac magnificum dicendi genus tranſtulit: atque illam veterum oratorum eloquentiam, quæ iam diù obſoleuerat, ità imitatus eſt, vt magni vndiquè ad eum audiendum concurſus fierent. Mirabantur in eo homines cùm non vulgarem & reconditam rerum omnium cognitionem, tum verò excellens ac nouum dicendi genus, incredibilem memoriam, formæ, vocis, actionis deniquè totius maximam cum venuſtate quadam dignitatem: quibus rebus ità is excelluit, vt pauci admodùm in ſingulis, nemo æquè in omnibus par illi vnquàm inuentus ſit. Multos ille in hac gloria annos floruit: multorum innocentiam tutatus eſt: multorum calamitates ſubleuauit: neque tamē vnquàm vllius potiùs quæſtûs, quàm officij rationē habuit. cùm in foro (liceat id mihi ſine vllius offenſione atq; inuidia dicere) pro-

pè dominaretur, ea tamẽ facilitate fuit, vt neminẽ à patrocinio ſuo vnquàm excluderet: atq; eò facultatẽ ſibi illã à diis datã arbitraretur, quò pluribus præſidio eſſe deberet. Itaque ea ità vſus eſt, vt multos ſemper iuuerit, neminẽ vnquàm læſerit. Hac vitę ratione cùm & multorũ ſibi beneficio ſuo amicitias adiunxiſſet, inimicũ verò ſuo merito haberet neminẽ: non ſolùm id conſecutus eſt, vt celeberrimũ eius in foro nomẽ eſſet, ſed vt vos etiam maximo illum conſenſu, Aloiſio Dardano magno Cancellario vita functo, magnum Cancellarium crearetis. qui honoris gradus talis eſt, vt, cùm à Principe diſceſſeris, neminem illi anteponas. Neque id verò immeritò feciſtis, neque eſt, cur huius vos rei quicquam pœniteat. ità ſe in ea dignitate geſſit, vt exemplum propoſuiſſe omnib⁹ videatur, quales eſſe debeant, qui illã adepti ſint. publica quæ illi incumbebant, munera diligentiſſimè adminiſtrauit. nihil patria antiquius, nihil charius habuit. nunquàm illi cõſilio, nũquàm opera defuit. inciderunt aduerſa hæc tempora, quibus certè iam diis iuuãtibus perfuncti ſumus. Ad multa in illis difficultatibus cohortandi ciues erant. eloquẽtia illa admirabili, quę in foro diu

verſata fuerat,curia etiam ipſa nō caruit. Nūquàm ea cùm opùs eſſet,neq; in ſenatu neq; in comitiis patriæ commodis defuit.Iā verò qua iuſtitia fuit? qua clemētia? ni mirū in hoc id verū eſſe vidimus, clementiā nō aduerſari iuſtitiæ, ſed illius potiùs condimentum eſſe. In priuata verò vita quàm comis,quàm vrban',quàm beneficus,quàm amicis cōmodus, quàm in omnes liberalis fuit? nemo vnquàm omnibus his virtutibus ornatior inuentus eſt. Nō iniuria igitur tota illius morte mœſta eſt ciuitas. vos maximo cum dolore pompam funeris comitamini:neque ſolido recuperati iam imperij gaudio perfrui poteſtis.Proh dij immortales quę eſt hæc hominum conditio? nimis felices vobis viſi ſumus,ſi recentem hanc poſt tot annorum incommoda lætitiam nulla admixta acerbitate percepiſſemus. Neque tamen,ſi rectè conſiderauerimus, dolendum nobis huius morte eſt. omnibus ille in rebus haberi feliciſſimus debet.in nobiliſſima patria, è præclaro genere ort' eſt,ingenio ſingulari fuit, ſumma gloria floruit, honores in patria maximos adeptus eſt, virtutibus omnibus abundauit, quod demum verè eſt feliciſſimum eſſe. Cùm ea lege natus eſſet, vt mori

Digitized by Google

mori illi aliquandò neceſſè eſſet, tunc eſt mortuus, cùm patriam è ſæuiſſimis ereptam tempeſtatibus, iam in tuto collocatam videret. quam rem ego illi pro eius in Remp. animo tam iucundam fuiſſè arbitror, vt omnes mortis moleſtias hac vna re leuatas putem. Accedit ad hæc, quòd ea ætate eſt mortuus, quę neque ſenectutis expers appellari poſſit, neque eorum, quos ſecum ſera illa ſenectus fert morborum particeps ſit: an creditis extremam illam ætatem, qua & ſenſus omnes hebetantur, & quaſi animus ipſe ac mens ſeneſcit, & morbi omnes in nos irruunt, quicquam omninò homini voluptatis afferre? Ego quidem tantum abeſt vt id credam, vt benignè cum illis actum putē, qui illa morte incōmoda deuitârint, ac præſertim ſi hi fuerint, qui cū virtute vixerint. Hi enim non ſolùm illis moleſtiis, quas diximus, liberantur, ſed eò transferuntur, vbi veris omnibus voluptatibus cum diis ipſis perfruantur.

Quæ quum ità ſint, eius profectò hominis ſortem, qui & feliciſſimè vixerit, & feliciſſimè mortuus ſit, non eſt quod doleamus. Noſtra etiam cauſa dolere non debemus. cùm enim nihil in hac vita mācipio nobis à diis datum ſit, ſed vſu om-

nia:ingrati ſimus,ſi,cùm ij, qui dederint, repetunt,conqueramur. Tu igitur Princeps, vos patres optimi, diis potiùs immortalibus gratias agite, quòd tali vos viro perfrui concesſerint,quàm accuſate, quòd eripuerint. Vos verò,qui à ſecretis Reip.eſtis,qui eadem,qua ille,via nitimini,vitam potiùs ac virtutes illius imitari, quàm deflere mortem debetis.

IN FVNERE *GVIDI VBALDI FERETRIJ,Vrbini Ducis,Odaxij Oratio.*

Ex Petri Bembi ad Nicolaum Teupolum, de Guido Vbaldo Feretrio, déque Eliſabeta Gonzagia Vrbini Ducibus, libro.

VTinàm,Proceres, de Guido Vbaldo Vrbini Duce nuper vita functo verba facturus,quantum mihi doloris illius intempeſtiua mors attulit, tantum ego eloquentiæ in eius funere celebrando afferre posſem. Nam, quoniam propter eius viri cùm innumerabiles incredibiléſque virtutes, tum magna erga me merita, nullum propè genus eſt mœroris atque moleſtiæ cum ea, quam ex

hoc interitu atque ex hac iactura capio, conferendum, ſi mihi parem quoquè in dicendo copiam animi acerbitati habere contigiſſet, non plus quidem vos facultatem nunc, quàm voluntatem erga illum meam, eſſetis deſideraturi. Volo autem, vehementérque opto, vt, qui in me viuens omnia ornamenta contulit, in eius mortui vita laudibúſque recenſendis tantum præſtare operæ valeã, vt, ſi minùs idonei, ſaltem pij atque omninò memores ad referendam gratiam habeamur. Sed cùm ego neque ingenio, quod mihi quidem minus etiam quàm mediocre eſt, neque arte aut ſtudio dicendi, quibus in rebus non multùm ſanè temporis impedi, neque vſu & exercitatione valeam præter cæteros, dolor autem me vnum præter cæteros conficiat: non expectationi modò veſtræ de mea facultate, ſi modo veſtra aliqua eſt expectatio, propterea quoniam hunc in locum ſumma certáque facultas afferri debuerat, ſed huic ipſi etiam meæ erga illum voluntati parùm me facturum ſatis vereor, interdùm, Proceres, & pertimeſco, impedior enim ſingultu, neq; vocẽ & verba proferre ipſę me lachrymæ ſinũt, cũ ærumnas meas ſolitudinẽq;

couſidero. amiſi enim in eo viro non ſolùm parentem, vt Metaurenſes: aut herũ, vt familiares: aut imperatorem, vt milites: aut patronum, vt omnes boni: aut beneuolum atque amicum, vt multi amiſerunt: ſed cum his omnibus eum etiam amiſi, quem ego propè meo in gremio educaui, bonarum artium ſtudiis imbui. ille autem me non iam tanquàm educatorẽ alumnus, aut tanquàm magiſtrum diſcipulus: ſed quaſi filius patrem amauit, fouit, opibus auxit, dignitatibus honeſtauit: quique cùm fuerit ineuntis ætatis meæ ſpes, confirmatæ ornamentum & columen, huius planè iam deuexæ certè requies atque ſolatium fuit. Ad hæc accedit publici mali quaſi facies quędam & forma plena mœſtitię, plena acerbitatis: ciuium fletus, municipiorum dolor, legationum cum ſubiectorum populorum, tum Italicarum ac propè vndiquè miſſarum deſiderij ac mœroris magna incredibiliſque atteſtatio atque conqueſtus: militum prætereà languor & deſtitutio: neceſſariorum quærimoniæ, tuiſque, Franciſce Maria fili, luctus & ægritudo, coniugis etiam miſeræ deſolatio, cuius mihi videor ſqualorem, gemitus, ſingultus, voces, lachrymas in auribus &

ante oculos habere: tum omnium ætatum, omnium ordinum atræ ac ſordidatæ veſtes, forum mutum & obſcurum, caſtra orbata, cælo quaſi vndiquè tacta domus ædéſque regiæ, mœrẽs atque proſtrata vrbs: templi deniquè huius aræ atque parietes, quos quidem ille inuiſere frequenter ſolebat, eius nunc intra ſe buſtũ cadaueris imaginéque contuentes, cuius anteà regiæ ac decoræ frontis maieſtate atque manſuetudine, oculorũque propè cœleſtiũ ſplendore exhilarabãtur, lugere mihi quidẽ vidẽtur vicẽ ſuã, ægreq; ferre, quod nõ vnà cõſtrati æquatique ſolo cõciderint. Ità neq; mecũ ipſe quicquã niſi acerbũ cogitãs, & extrà nihil adſpiciẽs, niſi miſerũ, niſi luctuoſum, à dolore mẽtem, à fletu oculos abducere qui poſſim, non reperio: nedùm ſatis mihi cõparatam eſſe videam, Proceres, de illo viro nunc quidem apud vos dicendi tractandíque facultatem. Nam vbi animus mœret, oculi lugẽt, omnis ſenſus in moleſtia ægritudinéque verſatur, ratione ac memoria perſequi rem magnã aliquã atque arduã nemo ſanè multùm poteſt. Arduũ autẽ & perdifficile eſt, ei⁹ hominis laudes oratione cõplecti, qui omni genere laudis màximè floruit: & cui⁹ vnius vir-

tutibus pares omnium hominũ virtutes noſtra ſecula non habuerunt, iis referendis omnibus idoneũ vnum hominẽ exiſtere: eundem autẽ maximis plurimiſq; cauſis doloris perturbatum impeditúmque poſſe dicere, vix eſt vllo modo credendum. Itaque timeo, Proceres, nè id me muneris ſuſcepiſſe in hoc tempore, audacia vobis potiùs, quàm obſequium, temeritas, quàm pietas appellanda eſſe cenſendaq; videatur. Sed quid agerẽ? quò me verterẽ? aut quã afferrem excuſationẽ iis, qui me, vt hanc prouinciã ſuſciperem, cùm iubere iure ſuo poſſent, multis precibus rogauerunt? ingeniíne mei, cæterarúmque eius generis rerũ mediocritate me tegerẽ? at eiuſdem ingenij fontibus irrigatum alumni mei ingenium, aiebant incredibilem cùm doctrinam, tum certè eloquentiam, hauſiſſe. Dolore me meo impediri dicerem? at neminem eſſe affirmabant, qui non itidèm angeretur? neminem, qui dolore non impediretur ſuo. Commoueri pertubaríque me aliorum lachrymis atque hac ipſa rerum omnium offenſione contenderem? at quærebant, quis poſſet hæc eadẽ adſpicere ſine animi ſui perturbatione atque moleſtia. Itaque nihil adduce-

re poterã,quod nõ ab iis ſtatim refelleretur,in méque redundaret. Nã illud etiam addebant, eius hominis vitæ explicationẽ nulli iuſtiùs demandari, quàm ei,quo partim authore,partim ſocio, ſpectatore quidẽ certè, omnis ea peracta vita eſſet, qua de eſſet recenſendum . Quod cùm mihi præter cæteros contigiſſet, non cõmitterem , vt, qui illum vita fruentem, omni ſtudio,omnibus officiis ſemper eſſem proſequutus, mortuo ſi deeſſem , id omne,quod anteà egiſſem,fortunæ illius videret & felicitati, non meritis aut beneuolentiæ tribuiſſe. Quamobrem ſuſcepi munus , Proceres , magnum profectò atque arduũ, more maiorum hodierno die omnium , qui multis antehàc ſeculis fuerunt, longè maximum atque clariſſimum virum laudandi:ídque non obeundi fiducia , ſed pudore recuſandi ſuſcepi, neque tã perueniendi, quò vocabar, ſpe, quàm progrediendi,quantũ poſſem , voluntate. Mâlo autem,cùm eorum ſtudiis, qui hoc à me contenderunt, obtemperauero,ſuo ipſi de me iudicio detrahãt,quã ſi id nõ fecero, meæ erga ſe vel beneuolẽtię vel pietati. Itaq; rẽ aggrediar magni nominis,magni exẽpli,gloriæ,nouitatiſq; admirationíſque pleniſſimam. in quo ea

me res conſolatur,quod,cùm multa propè incredibilia ſim dicturus, vobis tamẽ eſſe dubium minimè poterit, me veriſſima dicere,propterea quod ea dicam,quæ ipſi cognouiſtis,vidiſtis.quibus interfuiſtis, quarúmque ſanè rerum quo maiora quæque ſunt,eo ſe nobis atque omnibus hominibus notiora,Proceres,exploratióráque prębuerunt.Itaque nihil cõmemorabo,quod non idem multorum & viuẽtium,& præſentium memoria teſte commendetur. Atque vobis quidem eſſe gratiſſimum debebit, quę ſparſa, quæque diuerſis tẽporibus de homine præſtãtiſſimo, déque veſtro Duce vel vidiſtis ipſi, vel audiuiſtis, ea collecta vno tempore cognoſcere: quibus è rebus etiã quilibet abũdè capere omniũ exẽpla virtutũ poſſit, vel ad aliorũ cõparationẽ atque memoriam,vel ad vſum ſui.Sed priùs quàm dicere incipio,te mi Alumne ſemper quidem mihi chariſſime, nunc autem etiam beatiſſime, te inquam rogo, quacunque de cæli regione nos intuens tibi ſacra fieri,tibi iuſta celebrari vides, mihi nunc per ſanctè adſis tantiſper,dum de te apud hoſce ago, magnámque tuã illã eloquẽtiæ vim,quam tamen, cùm nobiſcũ eſſes, parcè ac religioſè exercebas, mihi adſpi-

res: vt id ego benè dicendo tuo munere conſequar,quod es ipſe benè agendo benéque ſentiendo, deorum immortalium beneficio conſequutus. Quod quo faciliùs fieri poſſit, ſi modò fieri vlla ratione poteſt,ad ea, quæ breuiter ſum dicturus, quæſo,Proceres,diligenter attendite.

Eſt in Appennini iugo his vicinus locis mons prçcelſus: quo in ſummo propè ęquata agri planities;fertile ſanè ſolum & aquas perennes habet, ac éſque miram & iocundam ſalubritatem.Totus autem vndique ità circunciſus atque directus eſt, vt adiri vno aut altero ex loco ſingulis ab hominibus poſſit, aliũdè pluribúſve nõ poſſit. Itaque parua manu ſi defendatur,omnes omnium imperatorũ exercitus, tormenta, artes eum montem expugnare omnibus annis nõ queant.Huic monti Feretrius nomen eſt, credo vti Ioui quondàm nomen Feretrio fuit, quoniam pacẽ hominibus afferebat,ità hunc montem primò fuiſſe appellatum proptereà, quòd Imperatores electiſſimos tulit,à quibus poſteà pax atque pacis ornamenta maxima hiſce vrbibus regibúſque contigerunt. Nam illa hinc familia oriunda eſt Feretria peruetus, ex qua innumeri Principes extiterunt, qui cum

omni laude maximè celebres, tum bello clariſſimi, vniuerſam Italiam rerum à ſe geſtarum gloria monumentíſque referſerunt. Horum omnes annales, omnes hiſtoriæ nomina continent: facinora, virtutes, geſta bello ac pace imperia, partas manu victorias atque triumphos memoriæ poſteritatis tradunt: vt, qui velit, facilè poſſit inſpicere, quot quantíſque imperatoribus tercentum iam annos ampliùs gens Feretria floruerit. Hiſce maioribus ortus Guidus Vbaldus Dux auum habuit Guidum Antoniũ Feretrium, Vrbini Ducem, celebris gloriꝛ multíque nominis virum. Nam neque bello ferè quiſquam maior apud Italos homines ea tempeſtate illo fuit, qua tamen multi clari atque illuſtres militaribus diſciplinis viri, multi magni Imperatores extiterunt: neque domi quenquam vllꝛ gentes Principem æquè, atque hunc ſui ciues populíque, coluerũt: quod tamen illi etiam apud Martinum v. Pontificem Maximum valuit plurimùm, hominem, cùm in ſacerdotio vniuerſo, cui præerat, tum in regenda Rep. diligentiſſimum, & propè ad ſubleuandã Romani nominis iacentem iam proſtratámque dignitatem natum: cui quidem ſum-

moperè charus fuit. viri enim ille mores virtutéſque cùm adamauiſſet. nihil non ei tribuit. Nam quod ſummum eſſe imperium in Pontificis maximi regno tum poteſtatéque cenſebatur: eo illum magna Italiæ, magna bonorum omnium gratulatione donauit, Ducémque Spoleti creauit. Eſt autem ea prouincia percelebris, agros fertiles & amœnos tractus habens, oppidáque plurima populíſque refertiſſima. Itaque apud ſuos charus, apud Romanos homines magnus, apud omnes certè ſumma beneuolentia, ſummo cultu, ſummis honoribus ſemper. Verùm hunc tantum ac tam præclarum hominem, aliquanto minùs magnum filij maxima atque perfecta virtus facit. Ità, qui aliorum comparatione omnium excellere facilè poterat, eum genuit, qui cùm omnibus reliquis hominibus, tum patre etiam longè maior atque illuſtrior fuit. quæ tamen illi res certè bis voluptati fuit. Nam & vinci à filio iucundiſſimum eſt: quaſi quis à* ſeipſo vincatur, ſéque ſuperet: & filiũ genuiſſe multo ſe præſtantioré, maximè optãdũ. Viuit enim in filio pater. Itaque maioré ſe in illo cùm intuetur, gaudet, filiíque nomé atque gloriã, ſuã ipſius atque pro-

*ſeipſe.

priam ducit. Sed magna me hæſitatio Proceres, tenet. valde enim mihi difficilis atque lubrica dicendi ratio proponitur. Nam ſi meritis Fridericum Ducem laudibus, huius de quo dixi, filium, eius autem, de quo dicturus ſum, patrem, proſequi ornaréque voluero: propterea, ne vos, qualem is parentem haberi, neſciatis: nihil hodie aliud agam, nihil planè cogitem neceſſe eſt: illud etiam mehercule, ne me dies prius, quàm rerum ſylua ſeriéſque dicendarum deſerat, eſt verendum: ſin tacuero, Guidum Vbaldum à nobis magno veróque genere laudis iri defraudatum video. Quid enim omnino laudabilius, quàm patrem habuiſſe ampliſſimum virum, omniúmque hominum memoria celebrationéque clariſſimum? Nam quemadmodum in equis dignitatem ſoboli afferunt parentum animi, aut firma latera, aut pernicitas, pulchritudo, in arboribus autem eæ plerunque laudantur, quæ optimis ex ſeminibus coaluerunt: ita etiam in hominibus claris eſſe parentibus genitum, ſemper pulcherrimum atq; honeſtiſſimum fuit. Quamobrem ſi filium, quibus ex rebus par eſt, laudabo, de patre hodie, non de filio dixero: ſin vero, patre præterito, ho-

die de filio dicam tamen profectò eum, quē maximè laudandum ſuſcepi, multo ſanè minus quã poſſum, quámq; debeo, collaudauero. ita vel huic meæ laudationi id quod eſt potiſſimum atque maximum, detrahendum eſt, vel ipſa in alium diem reiicienda. In altero ne minus quã oportet, vel diligens vel fortaſſe gratus in altero, ne etiam intempeſtiuus moroſúſque videor, effugere cauerèque non poſſum. Veruntamen vt in re ambigua atque peranguſta, confugiam ad illud, propterea quod is non multis ante nos annis fuit, eius vitæ ſcilicet rerúmque geſtarum memoriam adhuc vigere, adhuc in mentibus hominum eius prudentiã, iuſtitiam, temperantiam ſanctitatem, animi magnitudinem liberalitatémque, verſari. Illud etiam certo ſcio, adeſſe hoc in cœtu multos, qui illum nouerint ac viderint: aliquos qui eo Imperatore meruerint, manum cum hoſtibus conſeruerint, victoriis interfuerint, quas ille plures eſt conſecutus, quam alij Imperatores nõ ſperare modo audeant, ſed planè etiam optare. Itaque nemo ferè ignorat illum omnibus ab Italicis Regibus maximis propoſitis præmiis, vocatum maxima imperia geſſiſſe, parua manu in-

gentes hoſtiũ copias ſæpè fudiſſe, viciſſe ſemper, victũ nunquam fuiſſe, quæ capi expugnaríque nulla vi, nullis artibus poterant, oppida expugnauiſſe, munitiſſima omnia ei ceſſiſſe, concluſa patuiſſe, ſitu aſpera nõ reſtitiſſe. Illud autẽ planè ſcimus omnes, eũ regni ſui fines ſæpius lateq́ue promouiſſe, regnũ ipſum vrbibus, vrbes arcibus munitiſſimis auxiſſe, ædibus tẽpliſq́ue cõdecorauiſſe, ſibi ſuiſq́ue domũ illam ipſam hac in vrbe, quam incolimus ea materia, ea arte ſumptúq; conſtruxiſſe, vt, tametſi ea ſitu ad ædificandum iniquiſſimo difficilimóque ſit, ęquè pulchra tamen vllo in loco toto orbe terrarum non viſatur. Iam bibliotheca illa celebri, quam is maximis ſumptibus comparauit, cum Latinorum, tum Græcorũ, tum Herruſcorum, tum etiam Hebræorum lingua perſcriptis in omni diſciplinarum genere libris monumentíſque refertiſſima, omnes, qui volumus, vtimur. Quæ cùm ita ſint, aliáque his ſimilia, vel etiam maiora, latiſſimè enim eius viri bonarum artium, ſtudiorum, morum, virtutum, dictorum, factorum hic quaſi campus patet: minùs moleſtè ferò me tempo ris anguſtia reiectum atque repulſum, iis de rebus non poſſe dicere, quas vel om-

nes, vel magna ex parte vos quidem, Proceres, memoria cogitationéq; retinetis. Tali itaque patre genitus noſter Dux, qualem vos aut vidiſtis, aut certè cognouiſtis, mihi quidem explicare ocium non eſt: orbis autem ipſe terrarum pro me & loquitur de illo nũc, & ſemper loquetur: matrem habuit Baptiſtam Sfortiam, Alexandri Sfortiæ maximi clariſſimíque viri filiam, ac Franciſci Sfortię illius fratris in quo illa ætas habuit, quem cõferre cũ omnibus omniũ ætatũ eximiis Imperatoribus propemodum auderet. Ipſa verò Baptiſta eo ingenio, iis moribus, iis etiã bonis artibus, ea vitæ continentia atque prudentia fuit, vt non plus illi pater aut familia, qua nulla quidem Italicarum aut maior, aut ſplendidior eſt habita, quàm certè illa vtriuſque ornamenti atque gloriæ addiderit. Atque vereor, ne qui interdum exiſtimaturi ſint, ſi, quæ de illa poſſum, omnia dixero, ea me inuenire atque fingere: ita de fœminis non ſæpè dicũtur per rarò etiam credũtur de viris. tum immorari diutiùs nolo in eius fœminæ virtutibus quaſi præteriens repetendis, quã pro dignitate laudare vix propria atque longa oratione quenquam poſſe ſatis commodè exiſtimo. Itaq;, vt breuiſſimè,

Proceres, dicam, quemadmodum omnes eæ virtutes, quæ quidem inueniri tũ omnibus in hominibus potuiſſent, in eius viro collectæ collocatæque conſpiciebantur: ſic mehercule quicquid ea tempeſtate bonarum artium, optimorum elegantiſſimorúmque ſtudiorum atque morum cunctis in mulieribus fuit, id ſanè omne in hanc vnam natura quaſi conflauerat atque profuderat. Quamobrem ſi quis Deus Guido Vbaldo dum viueuet, omnes homines ante oculos poſuiſſet, eíque pollicitus fuiſſet, quos ſibi is omni ex illo numero delegiſſet, eos illi parentes futuros: quem alium patrem potius, quàm Fridericum Feretrium, aut quam potius matrem aliam, quam Baptiſtam Sfortiam ſibi ſumeret, is medius fidius non habuiſſet: ſed qui ſibi lege naturæ contigerunt, eos etiam optione propoſita retinuiſſet. Sed iam ad ipſum, de quo agimus, veniamus. de quo quidem Proceres, etiam ſi nihil aliud audiretis, exiſtimare tamen deberetis, mirum atq; diuinũ hominem ipſum fuiſſe, ad quem quidem procreandum longè pręſtantiſſimus omnium virorum vir, longè lectiſſima omnium fœminarum fœmina quaſi deorum immortalium voluntate

conueniſ-

conueniſſent, eique parentes extitiſſent. Non enim temerè neque fortuitò tam preclaram, tam inſolitam, tam nunquam anteà propè auditā viri vxoríſq; ſocietatē initam coalitámque* eſt credendum. adeſte tamen, Proceres, atque animum & mentem adhibete, vt videatis, hæc parentum tam admirabilis præparatio quò tetenderit. Cum de Baptiſta vxore Fridericus Dux octo filias, marem nullum ſuſcepiſſet, ſeque iam virilem ſtirpem, tantis opibus quæ ſuccederet, relicturū ingraueſcens annis homo deſperauiſſet: mulier anxia, quod ſæpè antea fecerat, ad preces cōuertitur: vota præterea diis immortalibus facit lachrimans, filium marem ſi dent, ſe libenter vita ceſſuram, modo vir ſui ſimilē ex ſeſe adſpicere ſemel poſſit, populíſque relinquere, ne bono cum regno ſtirps tam egregia intereat. Hæc vbi eſt precata, ſomnus eam occupat. tum per quietem in altiſſimæ arboris culmine ipſa ſibi videtur auem Phœnicem parere miræ pulchritudinis: quæ ſex atque triginta totos dies ei arbori cùm incubuiſſet, cælum volatu peteret, tactóque ſolis globo, alis flamma combureretur, neque amplius appareret. Hæc illa viro cùm enunciauiſſet, fit prægnans:

*eſſe.

tuendique mandatur. Quæ ſanè res me quidem primo vehementer commouit. intelligebam enim, pueros Regios qui inſtitueret, ei, quaſi Hydram Herculeam domandam ſuſciperet, ſic eſſe elaborandum: ita hercle vel propterea quoniam inter omnes rerum delicias alerentur, vel quia non omnino, vti cæteri, tutò libereq; increparentur interdum etiã propter aſſentatorum turbas, quibus abundarent, emergerent ex illis vndique vitia, inſurgeréntque multo ſæpiùs: quàm virtutes, quæ nõ tam quidem reſecarentur facilè, quàm etiãmultipliciter pullularẽt. Verum docere cum incipio, nihil eorũ, quæ in aliis eſſe pueris aſſolent, video in noſtro, non deliciarum vllas illecebras, non pronos ad licentiam mores, non adiutam impunitate audaciam, non denique arrogantis fortunæ vllum in pueri animo impreſſum veſtigiũ inſpicio, nõ etiam moleſtiã ſatietatémq; diſcendi, aut commorandi cum ſe natu maioribus tędium. nihil ſanè horũ, Proceres, in illo fuit: grata potius expetendáque omnia. tũ me colere, mihi credere, ad me réſpicere, me imitari: nunquã ſe à ſtudiis literarum abducere, nisi iuſſus, niſi aliorum ſtudiorũ gratia vel equitãdi, vel armis lu-

dendi:æquales non deſpicere: malle autem eorum conſuetudinem,à quibus diſcere aliquid ſemper poſſet:nulliúſquè rei æque magnam curam habere, quam ; ne quis dies elaberetur,quo ſe die nihil addidiciſſe, nihilo præſtantiorem factum poſſet recordari. Sed voluntatis hæc, illa vero ingenij:mira quidem cùm alacritas tum celeritas in percipiendo: in retinendo nullus labor,labor autem? immo admirabilis quędam incredibilíſque naturæ vis atque præſtantia. Itaque illud verè poſſum dicere, Proceres, nullam ei præceptionem meam difficilem ad percipiendum viſam, ne longam quidem vnquam ad ediſcendum,breuiorem autem quam vellet , quámque ipſe poſſe aſſequi ſe conſideret,ſæpiſſimè:qua de re etiã mecum conquerebatur. Itaque difficilius mihi veniebat in mentem, quid ego illũ docerem , quam quid ille diſceret , ſtatuere:ſæpiúſque,quantum deceret ei me ad diſcendum proponere , . quam ipſe quantum aggredi aut vellet aut poſſet, quærebam. quamobrem multa ei nos dũ proponimus,ille omnia conſequitur, eò res venit,vt is non plurimum propè menſium,ſpatio,quàm alij annorum,ita Latinas literas puer calleret, vt patrias cæteri

linguas atque ſuas, ita Græcas, vt noſtrorum hominum doctiſſimi iuuenes Latinas planè atque Romanas ſolent. neq; ſanè ille Græcorum tantum literas perceperat, vſuámque ipſam legendi atque intelligendi, ſed ipſas etiam vocum inflexiones, intenſiones, remiſſiones, poſituras, multum à noſtris alienas atque varias, teneritatem denique illam Atticam, & linguæ illorum quoddam quaſi lenocinium didicerat, hauſerat, expreſſerat * æquè atque ipſi, vtebatur. Itaque ille ego non magiſter iam ſtudiorum, ſed adiutor non doctor, ſed ſocius: non interpres, ſed teſtis aderam, vel vt verius dicam, admirator. Quæ perſpiciens mecúmque reputans, timui fateor ſæpiſſimè Proceres, id quod dicitur, pręcocia ingenia celeriter emori: ne præſaga pueri mens atque præſcia diu ſe nobiſcum non fnturum illos tanquam flores effunderet, quos, ſi ſibi eſſet viuendum, reſeruare in aliud tempus debuiſſet. Itaque angebar animo atque is mihi ne eriperetur, ſingulis horis tacitus pertimeſcebam: maluiſſémque illum minus ingenij aliquanto ad ea ſtudia, minus etiam afferre alacritatis: vt plus vitæ alere polliceríque, quam quod ipſe arbitrabar, videretur. quod

quidẽ iis quoq; accidere ſolebat, quibus ille magiſtris ad rei militaris capeſſendas rationes vtebatur. Nã equitare, haſtã galeam, ſcutum, loricam geſtare, vibrare enſem, modo peditem modo equitem agere, modo Italos, modo Parthos imitari ita breui tẽpore didicerat, vt illi ipſi, quibus ſe is ad diſcendum tradiderat, cùm quidem nihil aliud in vita egiſſent, tamẽ dicerent non habere iam ſe, quod eũ vlterius docerent. Neque ille hæc tantummodo leuia, bene vt armis, optimè vt equis vteretur: ſed etiam grauioris ſępè pugnæ ſpeciem cum æqualibus ſibi pueris, cumque ſuis militibus exercuit. Nã & cataphracto equiti concurrebat, & magnis itineribus aliquo in armis, quaſi bellum gereret, contendebat. in tentoriis autẽ vel etiã ſub dio pernoctare, vim frigorũ atq; hyemis perpeti. caſtris locũ capere, eadẽ vallo cingere, è quibus modò hoſtes propulſaret, modò quę ipſe adoriretur, exercitum inſtruere, ſingula denique imperatoris officia obire ipſe quoquo modo poterat, puer quidẽ atq; tener voluit: quaſi turpe eſſet, imperatoris filium quacũq; ætate eſſet, nõ eſſe imperatorẽ. Itaq;. Proceres, duas illas maximas præſtãtiſſimáſq; artes rei militaris atq; litera-

rum noſter Dux, quàm in ipſis propè cunis, quaſi binas nutrices adamârit, complexus ſit, tenuerit: iam videtis. Ego enim ſic exiſtimo, cùm dignitatem, tum vtilitatem, quantæ eſſe maximæ nullis aliis ex rebus poſſunt, duabus his artibus diſciplinîſque contineri. Nam in altera pacis & quietis fundamēta inſunt omnia, in altera ornamenta. illa, vt regno, vt patria, vt laribus, vt liberis, vt amicis, vt denique rebus cæteris omnibus, quibus oblectamur & iuuamur, nobis perfrui liceat, perficitur: hac, vt iis benè & cum dignitate perfruamur, comparatur. Nam armis quidem vim repellere, vlciſci iniurias, inimicos profligare, ſocios amicóſque defendere, tueri fines, propagare imperium ſanè poſſumus: quibus ex rebus quàm magnæ ſæpè vtilitates, quanta gloriæ monumenta pariantur, quis eſt qui non ſentiat? literarum autem præſidio leges condimus, iura conſcribimus, morum præcepta tradimus, oratorem componimus, qui ciuium animos impellat, quò lubet, reuocet, vnde vult: humanarũ diuinarúmq; rerũ ſcientiã acquirimus: quæ homines multis ante nos ſeculis nati ſenſerint, geſſerint, quomodò vixerint, ſcimus: noſtras verò aut noſtrorũ

res præclarè geſtas obliuioni eripimus: poſteris cognoſcendas celebrandáſque mandamus? quibus quidem officiorum generibus quid profectò vel prodeſſe magis hominum vitæ, vel plus afferre ſplẽdoris poteſt? Hæc ille igitur non tam quidem meis aut aliorum monitis, quàm per ſe, vel potius diuinitus ſentiens, ita hiſce artibus ſeſe puerum tradidit, quemadmodum audiuiſtis: ita verò adoleſcentem atque iuuenem, vt mox audietis, dicerem virum: nam eam ætatem etiam attigit, ſed eius aut nullos fructus, aut omnino tenues modicóſque percepit, fatorũ credo iniuria, ſi fas dicere, ne fœcundam nos atque propriam eam noſtram felicitatem haberemus. De re igitur militari priùs: cuius illud mihi imprimis occurrit mirum, quod tamen ei planè puero contigit. nam, cùm decem eſſet annos natus eo tempore, quo eſt pater eius Fridericus Dux mortuus, eam de ſe iam tum ſpem excitauerat, ita hominum animos ſui expectatione impleuerat, vt ij, quorum erat tum pater maximorum exercituũ imperator, Neapolitanorum Rex, Mediolanenſium dux, Florentinorúmque Reſp. eoſdem illos tam amplos exercitus, tam magna imperia, tam in-

numeras copias,ei puero tuendas regendáſque tranſmitterent,rerum ſuarũ ſummam ei virtuti,quã inſpicere ipſam nondum poterant, odorẽ naſcentis & quandam quaſi fragrantiam ſe percepiſſe opinabantur, fidei conſtantiæque committerent. Itaque ille imperator anteà,quam miles: veteranus, quàm tirunculus, vir propemodum, quàm adoleſcens fuit. Nam qua ætate alij plerunque Regum pueri nucibus ludere vel ploſtellis ſolẽt, noſter pilum aut iaculum proiiciebat: qua fabellas illi de nutricibus audiunt, hic de caſtris tubarum ſonitum, armorum ſtrepitum, equorum hominúmque cõcurſum hauriebat: qua illi altores obſeruant ſuos,huius os atque frontem cohortes legionéſque reſpiciebant, iuſſis nutuíque præſtolabantur. Quamobrem iis initiis ſic adoleuit,vt nullam profectò militaris diſciplinæ partem non diligenter obiêrit: nulla in bellica ratione atque munere non diu ac multum exercitatus, occalluerit magna cum laude atq; gloria. Itaque adoleſcens Innocentio octauo Pontifici Max. primò quidem contra Ferdinandi Neapolitanorum Regis audaciam incredibili adiumẽto atque præſidio fuit: poſteà verò innumeras Piceni

excitatas vrbes,*excitatis factionum atque *adiutis ducibus,nouas res moliētes coërcuit: magno bello magnis ſeditionibus implicitas pacauit: deſciſcentes,alióq; verſas,reſtituit,Innocentio deinde mortuo, Florentinorum exercitibus vixdum iuuenis cùm præeſſet, opulentiſſimam belicoſiſſimámque vrbem Piſas,& cùm rebus omnibus ad repellendos hoſtiū impetus,tum animo atque irarū ſeminibus inſtructiſſimam, obſidione ita preſſit, vt deorū voluntate potiùs, quàm vllo ipſorū conſilio aut virtute,imminenti erepta exitio calamitatéque videretur.Marrucinorum idem mox plura oppida, Marſorum,Præcutinorū,Veſtinorū à fide regia quę defecerant,recuperauit,Regibúſque reddidit:cùm illum ipſi,atque Alexander Pont. Max. quocum ij fœdus percuſſerant, ſuis ductandis copiis præfeciſſent. Nam quæ cum Venetis deinceps geſſit, quantum pro illa Repub. periculi adiit, quantum laboris, nec explicari vna oratione poteſt,nec vno die: quibus quidem in bellis omnibus & imperatorē ita geſſit, vt ſibi nec in eligendo conſilium, nec in imperando prudentia,nec in obeundo alacritas, nec in exercendo labor, nec in conficiendo induſtria contentióque de-

adiutas.

eſſet. Magno in anguſtis rebus animo, incredibilique temperantia in ſecundis, ſumma in vtriſque conſtantia liberalitatéque vtebatur. At verò militem, cùm opus eſſet, ſic præſtitit, ſic omninò expers timoris fuit, vt in eo certè bello, quod cum Alexandro Pont. Max. contra alteram Romanorum factionem geſſit, iis, qui cum illo eſſent, aliquando cedentibus, ſolus cum centenis hoſtibus dimicauerit potiùs, quàm committeret, vt ſe quiſpiam terga vnquam vertentem videret. In Flaminiæ autem finibus Ferdinando minori, qui Rex poſteà Neapolitanorum fuit, contra Caroli Gallorum Regis caſtra cùm adeſſet, & tormentorum, quibus quidem exercendis ea plurimùm natio valet, pilæ ferreę ex vallo hoſtium creberrimæ infenſiſſimæque torquerentur: reliqui ſe præfecti milítéſque cùm retraxiſſent, ij verò, qui circum ipſum erant, ſtipatores eius corporis paſſim caderent, hoſtes autem vrgerent, neque eſſet dubium, ipſe etiam ſi ceſſiſſet, vniuerſum ſuorum exercitum terga daturum, omniáque iri perditum vnius ipſius conuerſione viderentur: ipſe de loco ſe nunquam mouit. Itaque vel occiſis reliquis, vel cedētibus, ſolus magno ani-

mo reſtitit: ſolus inter multa hominum millia repertus ſanè eſt, cui mori eſſet quàm timere, facilius. Prætereo hoc loco prudens ſciénſque, Proceres, multa: nec enim vel expeditiones eius ſingulas, vel bellorum omnia genera recēſeo: nedum eius præclarè res geſtas egregiáque facinora cuncta commemorem: quæ cum innumera quidem ſunt, tum ſunt omnia intra primum iuuētutis limen ſanè confecta. Quo tempore, quemadmodum de Achille ait Homerus, quem omniũ Græcorum pulcherrimum atque formoſiſſimum dixit eſſe, cùm ſic etiam Duce noſtro nemo ferè Italorum pulchrior, nemo ſpecioſior haberetur, omnes eæ actiones, omnia munera quæ obibat, dulci frontis ac decoro adſpectu & formæ tanquam luminibus illuſtrabantur, reddebantúrque conſpectiora. Itaque cùm erant illa ipſa per ſeſe magna atque grata, quæ tractaret: tum quia iis candor atque hilaritas oculorum, vultúſque forma ac ſpecies, totiúſque corporis mira quædam dignitas maieſtáſque accedebat. Dij boni, quàm ille mihi vnus ex veſtro cœtu potiùs, quàm ex noſtrorũ turba Regum quiſpiam atque Principũ ſæpè eſt viſus, ſæpè dignus, qui à vobis cum

totius orbis terrę imperio, tum certè immortalitate donaretur. Itaque illi ipſi, quos contra ferebatur, quibúſque ſuccenſebat, iraſci tamen ei minimè poterant, minimè in illum duri quicquam inſensíve cogitare, non mehercule magis, quàm in ipſos deos: à quibus quidē tametſi acerbi aliquid accidiſſe interdum nobis exiſtimamus, nemo tamen ita efferatus eſt atque impius, vt iraſci, vel vlciſci ſe de illis velle in animum inducat ſuū, ſaltem cùm cęlum ſideráque ſuſpicimus. Eodem propè modo ſimul atque noſtri Ducis faciem quis oculóſque reſpiciebat, nihil in illum queri poterat, omnes ei ex animo vno intuitu iræ atque offenſæ excidebant. Quod ſi contigebat iis, quibus ille ſe iratum oſtendebat, quibus minabatur: quo in illum tandem animo eos fuiſſe credimus, quos amabat, quos honorificè appellabat, quos laudabat, quibus agebat gratias, quibus ſe debere fatebatur? Itaque, vt paucis explicem atque amplectar, quod ſentio, cùm ſcientiam rei militaris, tum virtutem, tum authoritatem, quantæ quidem in viro eſſe, vel in ſene etiam vix ſolēt, demum ſi nouo mihi verbo ferè vti apud vos licet, etiam amabilitatem, nam ea quoque res

plurimùm valet, iuuenis, vel potiùs adoleſcens noſter Dux habuit, felicitatē non habuit, eo præſertim tempore, quo eſſe illi maximo vſui potuit, maximéque ea opus fuit. Sed libet mihi vobiſcum noſtram ſortem, Proceres, lamētari: libet de humanis conditionibus, déque naturæ legibus cōqueri, duris illis quidē ſæpè, vt ſunt, ad ferendū, vt videntur, etiam iniuſtiſſimis. Nam illa ipſa noſtri Ducis tam grata, tam liberalis, tam excellens, tā eximia pulchritudo: illa ad bellica munera obeunda indefeſſa nauitas atq; vis, quæ virtutibus reliquis ſuffragatur, éſtque earum adiutrix omnium & tāquam adminiſtra: non multum ſanè diuvnà cum illo fuerunt, non diu illi fœdere inito ſeruatóque adſtiterūt: vt ſe oſtendere tantummodò voluiſſe viderētur, permanere noluiſſe: quo magis poſteà nos, illo etiā viuo, earum deſiderio cōficeremur. Laborare enim pedum doloribus vno ille atq; vigeſimo ætatis anno ſanè cœpit: qui quidem morbus, cùm ętate atque tēpore vires & tanquam animos aſſumpſiſſet, ita demum inualuit, vt in illo neque oris & vultus ſpecies * proceritáſq; membrorum, neque ſtenuitas illa corporis priſtina multùm agnoſceretur, cruciatu &

*neq; proceritas.

macie maieſtas illa eximia formæ, agilitas viréſque membrorũ, captæ atque cõfectæ tabeſcerent: ipſe, cùm benè ſibi eſſet, geſtaretur: cæterùm in lecto iaceret. O inanes cogitationes noſtras & ſpes. ô ſtudia curáſque hominum tenues atque miſeras. ô fallacia bona, citóque pereuntia: & laborum noſtrorum flores antè, quàm fructus pariant, exareſcẽtes & caducos. Quid illo homine ad omnes bellorũ rationes maius, quid vnquam præclarius, quid admirabilius extitiſſet, ſi aduerſa illi valetudo maximas eas excellentéſq; dotes, & deorum immortalium dona egregia non inuidiſſet? ſi is ad ſenectutem vſque integer, quod innumeris imperatoribus contigit, perueniſſet? qui adoleſcens, qui puer tot imperia geſſerit, tot bella confecerit, vt multorũ imperatorum omnes ætates æquauerit, ſuperauerit, qualem illum tandem virum, qualem ſenem præſtitutum ſe fuiſſe credi par eſt, eos annos ſi illæſus confeciſſet: ſi ad admirandum illud atque diuinum ingeniũ, animi magnitudinẽ, fortitudinem, multarũ quoq; rerum inoffenſa experiẽtia multos annos vberes ſolidóſque conquiſita: conſiliorũmque maturitas cana atq; grauis acceſſiſſet? Sed mihi quidẽ co-

gitanti, ita eſſe in humanis rebus à natura comparatum videri ſolet, vt quæ mediocria ſunt, ea ad excellẽtem ſtatum atque formam ſæpè ſine offenſione perueniant: quæ verò iam excellentia ſunt ipſa per ſe atque eximia, iis vltériùs progredi, vt abſolutiſſima ſint, minimè omnium liceat. Quamobrem egregiæ res, magnę, præclaræ, viſuntur quidẽ permultæ multis in locis atque vrbibus: perfectæ verò ex omni parte atque ſummæ, & quibus nihil addi poſſe videatur, propè nullæ. Itaque aiũt Scipionis illius Africani maioris filium, cùm quidem ad patris militarem diſciplinam animíque magnitudinem, doctrinæ etiam ſtudia literarúmque multarum vberiorem elegãtiam adiunxiſſet, eſſétque ſpes, illum patre præſtantiorem ampliorémque futurũ: corporis imbecillitate adoleſcentem admodum impeditum, rem militarem poſteà exercere non potuiſſe. qui quidem in eo longè minor noſtro profectò Duce fuit, quod is manum fortunæ iniiciens, qua ſe in re nauanda corporis imbecillitas impediebat, ſolertia eam induſtriáque conſequebatur. bellis enim intererat vel laborans. Itaque ſedere in equo cùm non poterat, ſella vel lectica vtebatur. nunquã illi

illi morbus mentem, nunquam rerũ geſtarum memoriã, qua ſupra omnes homines mira atque tenaciſſima eſt vſus, nunquam rei militaris ſcientiã, nunquam authoritatem ita abſtulit, quin etiam captus pedibus, maximis cũ imperiis ſemper eſſet. Itaque Iulius ſecundus Põtifex Max. homo cùm omniũ rerum ſcientia, tum cognoſcẽdis perpendendíſque hominibus planè mirus, cùm primùm rerũ imperio eſt potitus, ſuis eum copiis exercitibúſque præfecit: omnibus eo in bellis vel ipſo, vel per vicarium eſt vſus, quoad is illum atque nos moriẽs triſtes mœrentéſque reliquit. Sed quoniã de re militari diximus, de doctrinæ eius ſtudiis rationibúſque deinceps dicemus. Qua in re propterea quod nos adiutores illi fuimus, vereor, Proceres, ne aliquibus ea, quæ dicentur, maiora interdum à nobis multo, longéque præſtabiliora, re quàm ſint, verbis fieri orationéque videantur: ita ſum magna incredibiliáque propè dicturus. Verùm ego illos ipſos alumni mei manes optimos atque ſanctiſſimos teſtor, quos quidẽ hîc adeſſe atq; attendere, quæ dicuntur, exiſtimo, nihil me fictũrũ eſſe, nihil veris additurũ, nihil verborum fuco cõpturum, ſed frontẽ vobis

ipſam rerum nudã inconptámque oſtenſurum. Duæ ſunt igitur, vt mihi quidem videri ſolet, in ſtudiis literarum diſciplinæ R egibus Imperatoribúſque præter alias expetendæ. Oratoria ſiue ars, ſiue facultas, hiſtoriarúmque cognitio. nam & eloquentia cum in populo, tum in caſtris maximas olim ſæpè res difficilimáſque confecit, & in poſterum conficiet, & rerum ab aliis geſtarum exemplis abundare, quibus in tuis rebus vti poſſis, & bello & pace profuit certè, proderitque ſemper plurimùm. Harum vtranque diſciplinarum noſter Dux miro ſtudio ab ineunte ætate eſt complexus, earúmque legẽdis cùm Latinis, tum Græcis authoribus ſeſe dedit magna inexpletáque diligentia. annis autem accedentibus ita in vtriſque profecit, ita ſe penitus in eorum penetralia immiſit, vt, quò vlteriùs poſſet progredi, iam propè nihil haberet. Nam eloquentiam eſt adeptus non illam quidem, qua in foro vtimur, acrẽ, acerbam, iracundam, contentionis, ardoris, inimicitiarum, laterum laborum plenam: ſed illam pacatam, ſedatam, grauem, hilarem etiam interdum, & cùm dulcem, tum reſperſam ſalibus, verecundam tamen ſępiùs & venuſtam, ſimplicem ſem-

per,non minio, non cincinnis comptam mundam vero, & ipſa quaſi negligentia gratiorem, quámque verè regiam atque imperatoriam poſſis dicere. Itaque ſibi cùm laudandus eſſet quis vel bonus ciuis, vel ſtrenuus miles, vel alius aliquis quoquomodo,ita eum laudabat,vt,cùm ipſe multa cùm gratiæ, tum beneuolentiæ cauſa diceret, orationi tamen neque fides,neque grauitas vnquã deeſſet: tantúmque cæteri laudato tribuendum eſſe ducerent, quantum ei laudator ipſe tribuiſſet:ille autem,qui laudaretur, non omnibus ab hominibus mallet, quàm ab vno illo ſeſe laudari. In vituperando autem natura parcus, voluntate abſtinens, facultate magnus atque inſtructus cum eſſet, ad eam dicendi rationem ita raró accedebat,vt ſcires inuitũ accedere: cum accederet, ita illam ferè ſemper placidè comitérque exercebat,vt appareret, non omnes eum ſuas vires explicare voluiſſe. Verum omnino magnis Ducibus non ita ſæpè euenit, vt laudent: minus ſæpè, vt vituperent quempiam: atque vtrunlibet cum agunt, parcè id grauiſſimíſque verbis agunt: ne videantur magis quàm deceat, in altero, amore & beneuolentia; in altero, odio & ſimultatibus duci.

Accuſatio autẽ atque defenſio nunquam in illos ferè cadunt, quippe quibus nulli iudices accendẽdi, nulli demulcẽdi ſunt: ſuus illis animus iudex eſt: is audit, is decernit: eo abſoluimur, eo cõdemnamur. Suo autem quiſque animo tacens loquitur, ſilens perſuadet. Itaque nihil iudiciali oratoriæ artis generi cum Regibus. Propria eorum autem atque peculiaris eſt deliberatio, propterea quod ad eos omnia omnes deferunt, ciues, prouinciales, municipia, milites, clientes, ſocij, vicini. Habent autem cõſiliarios ipſi ſuos, qui aſſiſtunt, quibuſcum, agendúmne ſit
*an. aliquid, *aut non agendum, diſſerũt. tum cum aliis ſæpè Regibus, ſæpè cum Legationibus multa quærunt, multa diſputant: quilibet alios adducere in ſententiam conatur ſuam. Ibi ars, ibi ingenium valet. Hoc in genere, Proceres, omni ſi quis vnquã magnus atq; ſummus fuit: ſi quis ea, quæ ipſe cogitaret, ſentiret, quæ optaret, quæ timeret, in aliorum mentes atque animos ita traſtulit, vt impreſſa, non tradita: innata, non inſita, propria, non aliena viderentur, ſi quis inquam lenis, dulcis, blandus, ſi quis item grauis, ſeuerus, prudens, nullum verbum temerè proferens: tum ſi cùm opus eſſet, calidus,

ſi ludens, ſi percontator, denique ſi eloquens, ſi facundus vnquàm fuit, is profectò noſter Dux fuit: is propè vnus omnium oratorum omnem vim, omnes illecebras, omnes (vt ita dicam) Veneres eſt conſequutus. nihil addo, Proceres, nihil fingo. Audiuiſtis eum ipſi ſæpè: eius verba atque voces auribus veſtris hauſiſtis. Quæ vos, quæ multi Reges, quæ Venetorum Senatus, quæ Iulius Pontifex Max. ſcit, nouit, laudauit, admiratus eſt, ea loquor. Atque hæc quidem eius viri tam præclara, támque regia eloquentia, eo etiam admirabilior fuit, quod quæ ipſe in medium pro re nata atque tempore afferebat, ea ſi optimi oratores atque clariſſimi diu culta elaboratáque adduxiſſent, non fuiſſent meliora: quę verò ſecum ipſe antè commentabatur, quod erat ferè nunquam, ſed ſi quando meditatus ad dicendum accedebat magna aliqua in re atque cauſa, eam ſic tractabat, vt, cùm omnibus artis præceptis inſtitutíſque vteretur, nullum tamen diſciplinæ aut ſcholæ, nullum induſtriæ veſtigium appareret. Sed iam ad hiſtoriarum cognitionem tràſeamus, alteram earum artium, quas maximè Regibus diximus Imperatoribúſque conuenire. quæ qui-

dem certè ars ipſa quoque bifariam ſpectari ſolet: duobus enim quaſi terminis cõtinetur, rerum ſcilicet atque locorum deſcriptione. Harum partiũ alteram lato nomine hiſtoriam, alteram coſmographiam dixit illa bonarum artium ſtudiorúmque omnium inuentrix & magiſtra Græcia, magníſque vtranque atque propriis authoribus fulciit. quod poſteà noſtri homines æmulati, idem fecerunt. His igitur in ſingulis quantum noſter Dux excelluerit, quæſo, Proceres, cognoſcite. Dico enim & quidem magna voce pronuncio, quicquid vnquam geſtũ à quoquam eſt, quicquid perpetratum, quod quidem literis mandatum ſit vel Græcis vel omnino noſtris, ſiue ex Hebræorum hiſtoria illa quidem perantiqua, *pérque veteri, ſiue ex his hiſtoriis, quarũ res geſtæ pòſt fuêre, veteres tamen ipſæ quoq; ſunt, vt Perſarum Regum, vt Ægyptiorum, vt Lydorũ, vt Armeniorum, vt Græcorũ, vt Romanorum, aliorúmque inter hos populorum, ſiue omnino ex recenti atque noua: ea omnia Ducẽ noſtrũ legere audiréque voluiſſe, ſemel vel lecta, vel audita in promptu poſteà ſemper antéque oculos habuiſſe ita, vt nihil vnquam eorum exciderit. Quaſi enim ille omnes

in animo res inſculptas haberet, nullę gẽtiũ cõmotiones, nullę exercituũ comparationes, nullæ claſſes, nullũ bellũ, nulla pugna nulla oppidi obſeſſio, nullũ egregium facinus, nulla illuſtrior nex, tum nullæ morborum eluuiones, aut fames aliqua durior, aut præclaræ diſciplinæ, ſcholę, leges, cæremonię, ſacrorum ritus, nullum denique neque factum, neque dictum paulò excellens inerat in literarum monumentis, quod non in eius memoriæ ſepto contineretur. Equidem mihi ipſe videor mira nimium, Proceres, & fidem exuperantia dicere, ſed quid agam? taceámne ea, quę veriſſima eſſe certò ſcio, quæ vos fortaſſe ſæpè, ipſe millies ſum expertus, vt cum alumni mei optimè de me meriti, tum certè veſtri Ducis videar diuinis virtutibus inuidiſſe? an proferam explicémque omnia? vt, qui hæc non viderunt, nec antè audiuerunt, mendacio me putent vel referre illi velle gratiam, qui mearum fortunarum authorem omnium, vel à vobis inire, qui veſtrum Principem ſic laudem? Sed me præſtat vera dicentem quicquid lubet, quàm ea ſilentẽ, ingratũ atq; immemorem videri. Itaque illud iterũ atq; ſæpius repeto, memoriam noſtro Duci tantam

fuiſſe, vt ea pro cera atque codicibus vteretur. Quaſi enim in illam tranſcriberentur eiſdem literarum monumẽtis ea, quæ legeret, aut eiſdem verbis, quæ audiret, ſic ordine poſteà poſitúque permanebant, neque temporis vllo ſpatio lõginquitatéve delebantur. Ita ille cùm vellet aliquid recordari, ad ſuæ ſe memoriæ quaſi commentarium referebat: tum id tanquam relegeret, ſic reminiſcebatur. Sarmadas quidam in Græcia fuiſſe olim traditur ea memoria vir, vt quæ quis volumina confeciſſet, ea ipſe more legentis repræſentaret. magna profectò res, atque perdifficilis: neque enim ſine longa exercitatione atque vſu effici tantus habitus atque ſcientia poteſt. Verùm omnino nihil cum noſtri Ducis ſenſu memoriæ felicitatéve conferenda. Nam Græculus ea quæ legerat, tum, cùm legerat, fortaſſe recordabatur: paulò * ſub poſteà eadem ſi petiiſſes, profectò ſiluiſſet. arte enim memoriæ illa, quæ ab iis, qui de ea re ſcripſerunt, eſt tradita, credo iuuabatur. Quæ verò arte atque via quis conficit, tantiſper, dum illa calet locorum diſpoſitio, qua, qui id agũt, vtuntur, remanent: refrigerato negocio, euolant. Itaque illi pauca eorum vltra reti-

nent,pauca comminiſcuntur. Noſter autem nihil locis vtebatur, nihil arte conficiebat, ſuus ſibi memoriæ quaſi ager ſatis frugum ſine vllo cultu ferebat. tum larga deorum immortalium dona atque munera, nullis hominum laboribus, nullis artis præſidiis adiumentíſque indigebant. Vidi ego ſæpè, Proceres, cùm is longas paginas recitaret non modò integris ſenſibus, ſed ſingulis etiam verbis, eorum ſcriptorum, quorum ipſe libros cùm perlegiſſet, eos poſteà in manibus decem aut quindecim *tot annos non *per annos habuerat, neque vllam intereà earum paginarum mente vnquam ſyllabam recoluerat. Itaque, vt rem breuiter explicem, omnes actiones, omnia tempora, omnia clarorum virorũ, omnia illuſtrium fœminarum nomina, quæcunque in arte diſciplináque excelluiſſent, ita hærebant in eius memoria, ita is eorum, quæcunque audiuerat aut viderat, recordabatur, vt ipſum vnum diceres vel omnes omnium gentium annales conſcripſiſſe, vel omnibus ſeculis vixiſſe. Hæc de rerũ hiſtoria. De regionum ſede autem & locorum illud poſſum dicere, quod non prouinciarũ, non vrbium, non oppidorum, non penè vicorum, nõ item maris vllius,

non ſinus,non inſularum, littorum,portuum, non montium, non lacuum, non fluminum, non ipſorum etiam fontium vllum is nomen neſciebat,vel quod priùs fuiſſet,vel quod eſſet nunc: nō ſitus,non ſalubritates, non quo victu quæque regio,quibus moribus,quibus artibus vteretur,quibus excelleret rebus, alia quantum ab alia diſtaret. Itaque herclè nemini ſui fundi ratio fuit,quàm illi orbis terrarū ſtatus atque conditio,notior. Quid hoc maius aut admirabilius dici poteſt? neque enim verbi aut laudis cauſa augēdæ vtor ſimilitudine, Proceres, cum dico,nemini ſuum fundum notiorē, quàm illi orbem ipſum terrarum fuiſſe. Latinè me ſcitote,non laudatoriè,loqui. Quare etiam planius dico:non antiquis,non recentibus locorū ſcriptoribus egebamus vllis,vbi is erat:ille nobis vnus omnes omnium ſcriptorum libros, omnes tabulas exhibebat. quanquam is quidem ſuarum opum diſſimulator magis, quàm oſtentator fuit. Nemo enim illo minus multa ſcire videri voluit, nemo minus aliis ſeſe præſtare. Itaque nihil vnquam ferè,niſi peteres,niſi etiam laceſſeres,explicabat. repetebat autē ſecum ipſe ſæpè multa modò tacitus,modò leuiter ſucci-

nens,carmináque præſertim. Nã & poëtas puer legerat, edidiceráatque magno ſtudio, & perbonis mirum in modum ſemper eſt delectatus. Præter hæc, è philoſophię fontibus multa etiam hauſerat, eáquē præcipuè, quæ de moribus diſputantur. Diſciplinam autem illam, quam iure meritóque ſacram dicimus, vniuerſam perceparat, cum antiquiorem, tum nouã. Itaque nihil habetur in ea obſcuri, nihil ambigui, nihil trãſlati, quod ipſum lateret: tametſi eiuſmodi multa inſunt in eius ſciẽtiæ ſcriptoribus. Medicinæ quoque præcepta ita tenuit, vt illi ipſi artis magiſtri, quorũ opera vtebatur, nihil ferè proſpicerent, quod ipſum lateret, ei ſępè etiam ex ipſius conſilio mederentur. ſed hanc artem non anteà attigit, quàm eum imbecillæ valetudines morbíque inuaſerunt. Itaque in lecto illam, non in ſcholis philoſophorum, didicit. Quid verò, Proceres, nihil ne in Duce noſtro, præter illas duas artes, maximas quidem atque latiſſimas, rei militaris & doctrinæ, quas commemorauimus, magnum atque pręclarum fuit? quarum artium alteram tum, cùm coaleſceret, coactus eſt propè vniuerſam abiicere: alteram, cùm florere eius ſtudia inciperẽt, lentè remiſ-

ſeque exercere. Fuêre certè, fuêre inquã plurima: quod quidem etiã ſi tacerẽ, vos tamen, Proceres, qua prudentia eſtis, ipſi per vos cognoſceretis. omnes enim prope virtutes facilè intelligitis vno mehercule doctrinæ ſtudio vel acquiri ipſas, vel omninò perfici. Nam quemadmodùm veri ignoratio, vitiorum fons & radix omnium atque malorum eſt, ità neceſſè eſt à veri cognitione atque ſcientia, quæ doctrinæ ſtudiis maximè comparatur, deriuari coaleſceréque virtutes: quarum quidem ſemina tametſi à natura ipſa quis poſſidet, niſi tamen is adhibeat operam ſtudiáque literarum, bonam ad frugem ipſa nunquàm ferè perueniunt, nunquàm fructus vberes atque magnos ferunt. Quãobrẽ noſter Dux cum illarũ rerũ cognitionem, quas dixi, referre acceptam debet literarum & doctrinæ ſtudiis: tum vel maximè reliquarum aut omninò, aut magna ex parte virtutum comparationem ac perpolitionem: quibus profectò recenſendis neque mea, neque alicuius oratio eſſe ſatis, Proceres, poteſt: ſed ea tantummodò perſequar, quæ cùm mihi prõptiora dictu ſunt, tum vobis etiã re atque experientia notiora. Eſtis enim propè ipſi teſtes, in eo ſingu-

lis, quod cuiuſque eſt, tribuendo atque partiendo, neminẽ illo vnquàm minùs vel amorem vel odiũ admiſiſſe, neminẽ magis omnẽ cùm libidinis aut auaritiæ, tũ omnium cupiditatũ notã ab ſe amouiſſe, longéque reieciſſe. Nam cùm & natura ſua propenſus in æquitatem eſſet, & puer de me illũ Theognidis poëtæ verſiculum audiuiſſet, quo is ait, omnes virtutes in vna iuſtitia contineri, nihil illi poſteà ea re maius, nihil antiquius fuit. erga ſuos, erga exteros, domi, peregrè, in foro, in caſtris, ea puer, ea adoleſcens, ea iuuenis, ea vir incredibili tenore eſt vſus: vt non ſolùm ab eo quiſquam nihil præter æquum atque fas impetraturum ſe confideret, ſed iam ne peteret quidem: diſcordiarum autem, controuerſiarum, inimicitiarum ſuarum eo arbitro etiam alieni vterentur. Ad illum enim, tanquàm ad Areopagitarum tribunal Græcia, plurimi, qui eum nunquàm viderant, ſuis de rebus atque cauſis eius iudicio vt trãſigerent, accedebant, in eiúſque ſententia illi etiam, quos contra ſtatuiſſet, cõquieſcebant. Quæ cùm ità eſſent, neminem tamen ab eo vnquàm vel pœna mulctatum, qui non plus peccauerit, quàm in illũ animaduerſum ſit, vel præmio affectũ

audiuim⁹, in quē nō ipſa merces amplior ei⁹ officio fuerit. Itaque iuſtitię duas illas virtutes cùm in omnibus iis, qui ſtatuunt aliquid atque iudicant, tum in Regibus & Principibus multò maximè quærendas laudandáſque adiunxerat, clementiā & liberalitatē. Sed clemētię atque māſuetudinis nobis cùm ſæpiſſimè à aliàs, tuam eo ſane tempore veriſſimum ac pulcherrimum teſtimonium reliquit, quo Cæſar Borgia Valētinus, omnis humani diuiníque iuris cōtēptor atque perturbator, qui ei regnum per amicitiæ ſimulationē cōtra fas, contra fidem datam, optime etiam de ſe merito, perque vim malis artibus abſtulerat, eius ſaluti atque vitæ ſæpenumerò inſidias fecerat, cùm is ex magno imperio atque fortunis deiectus, in Iulij Pontif. Max. poteſtatem atque cuſtodiam veniſſet autem Dux ab eodem Pontifice per literas atque nucios Romam accitus, hoſpitio amantiſſimè honorificentiſſimeque ſuſceptus, plurimis maximíſque tractandis rebus pręficeretur, conſiliis omnibus intereſſet, Romanis etiam exercitibus eius imperio atque fidei traditis, eſſet illi quaſi quodā fato vindicandi ſe de Cęſare facultas quàm ampliſſima oblata: nihil

eorũ in illũ egit, quę quidem ipſum facere æquiſſimũ atque iuſtiſſimum fuit. ſed cùm eius ille genibus aduolutus, ſuorum ſcelerum atque perfidiæ deprecatus veniã eſſet, homini ſupplici atque miſerrimo pepercit. Itaque qui in eius fortunas atque ſanguinem omnia tentauerat, multa perfecerat, vt vidiſtis, eiuſdem de libertate atque ſalute tum cùm ſumere pœnas poſſet, nihil imminuit. exiſtimabat enim, idque dicere frequenter ſolebat, non tam pulchrũ eſſe vlciſci iniurias, quàm obliuiſci: illud ſibi omnium hominum, perpaucorum hoc, eorundémque non niſi magni animi virorũ ſuorumq́ue factorum conſcientia fretorũ atque nitentium videri. Liberalitatis autem quid ego exẽpla eius perſequar, quẽ cognati, quẽ neceſſarij, quem familiares, quem alieni, quem omnes deniquè homines in omni ætate omniũ liberaliſſimum munificẽtiſſimumq́ue ſunt experti? quíque longè magis, cùm donaret aliquid, quàm alij, cùm donantur, gaudebat? qui nihil ſe habere, niſi ꝙ à ſe haberẽt homines, nulla re frui, niſi qua cæteri à ſe donati fruerẽtur, exiſtimabat? Memini, proceres atq; adeò aderã, cùm ille admodũ puer, de ſuaveſte tria ſagula egregię materię atq; operę, to

tidẽ æquæuis ſibi pueris ſuis hoſpitibus donauiſſet, eũ ab Octauiano patruo reprehẽſũ, qui dicebat, ſi ſic faceret, ſua ipſum veſte nihil vſurum, reſpondere: At quî poſſum aliter tam multis ſagulis vti? ipſe enim plus vno non induor. Pulchra mehercule vox, eóque puero digna, qui quidem eſſet in talẽ virum, qualem nunc amiſſum lugemus, euaſurus. Itaque in illo cuinam harum duarum virtutum, de quibus dixi, deferri primæ debeantur, liberalitatis an clementiæ, iudicio conſequi difficilimum quidem puto. Innocentia verò ac continentia, in tantis opibus, tam amplo in imperio atque regno quãta is fuerit, nolite commoueri velle, Proceres: voſmetipſi vobiſcum recordamini. Solent alij plerunque Reges fortuna ſæpiſſimè abuti: felicitatémque ſuam in eo poſitam putant, ſi æquè potentia, atque libidine, pollẽt: quicquid concupiuerunt, etiam conſequi expetunt. Itaque nihil caſtum, nihil ſincerum, nihil ſanctum, nihil tutum ab illis eſt: luxu, licentia, libidinibus, flagitiis, rapinis, ſtupris corrupta deprauatáque ſunt omnia. ſibi autem chariores illos habent, illi apud ipſos ampliore loco ſunt, qui ad explendas eorum libidines plus curæ adhibent,

plus laboris:quo ſit,vt plenas domos habeãt audaciſſimorũ perditiſſimorúmque hominũ,qui neq; fas,neq; piũ, neq; prudẽs,neque rectũ quicquã nouerunt.Longè aliter,Proceres,noſter Dux:caſta mẽs, caſtus animus,pietas,pudor,religio ſemper cum illo eſſe:nihil ſibi ipſe concedere,quod quidem cùm omnes leges, tum certè omnes homines non conceſſiſſent: ſuas libidines acriùs quàm aliorum cohibere:imperare autem ſibi ipſum poſſe, id verò longè maximum pulcherrimúmque ſanè regnum exiſtimare : voluptatem ſine honeſtate nullam eſſe ducere, tum nihil proprium Regis eſſe, præter gloriam & laborem: aliis putare ſeſe natum plus, quàm ſibi. Itaque maiorem ex ea re voluptatem capiebat,cùm benefacere vni aut alteri poterat,quàm ſi omnes in ſe homines omnia beneficia contuliſſent. Qua in re illud etiam mirum propemodùm fuit, quod, cùm is aliorũ in ſe beneficiorum memoriam animo ſemper repeteret, nunquàm obliteraret, ſuorum in alios ità non retinebat:ſiue id magnitudine animi, ſiue liberalitate faceret,ſiue omninò promerendi ſibi ſemper nouos homines voluntate, vt quaſi ſenſum memoriæ non haberet: nihil co-

rum,quæ cuiquam benefecerat, recordari prorſus vnquàm atque reſpicere videretur. Neque verò,qui circùm illum erāt, non probi,non frugi , non continentes, non bonis moribus,non integritate præditi . Neque ſanè aliter res ſe habere poterat , quandò is ſuam illos beneuolentiam ipſorum virtutibus, non ſua libidine,metiebatur. Itaque iis internunciis liberæ afflictorum querimoniæ de aliorum iniuriis audiebantur,iniuſtè oppreſſi atque miſeri ſubleuabantur : perditi flagitioſique puniebantur: temerè imperata remittebantur:ablata reſtituebantur incolumitati omniū atque ſaluti,paci, ocio , libertati per eoſdem conſulebantur. Quamobrem illæ ſe vrbes beatiſſimas exiſtimabant, apud quas ille diutiſſimè commorabatur. Sed quid ego tam pauca de illius cohorte atque comitatu dico? qui nunquàm ſinè multis aliquo genere laudis excellentibus clariſſimiſque viſebatur viris ? qui ſemper cùm bello ſtrenuos, eoſdèmque ingenuos , & ſuarum ciuitatum principes iuuenes , tum vel maximè cultu literarum clara præſtantiáque ingenia ſecum habebat, ſiue mathematicis in diſciplinis , ſiue philoſophiæ, ſiue reliquis in ſtudijs leuioribus,

pangendíſque carminibus præſertim: quibus cùm & natura & certè iudicio plurimùm delectabatur, tum eorum magiſtros ſemper fecit plurimi, ſemper apud ſe eſſe voluit: iis in caſtris, itineribus, domi, peregrè, iis in menſa quotidianóque in conuictu familiariſſimè vtebatur: cùm iis dies ac noctes, dum ſibi per negocia liceret, conſumebat. Itaque neque ſuperiorem Africanum Ennio, neque minorem illum & C. Lælium Terentio magis delectatos accepimus, quàm noſter Dux his delectatus poëtis, eos charos habuit. quos ego, Proceres, quoniam hîc eorum aliquos adſpicere poteſtis, idcircò nihil nomino, nihil appello: ſatis per ſe ipſi vobis cogniti perſpectíque ſunt. Ptolemæum Philadelphum, Regem Ægyptiorum, aiunt poëtarum ità ſtudia coluiſſe, ſeptem vt illos celebres Græciæ poëtas ſecum vno tempore habuerit, qui quidẽ, Pleias, propter numerum ſunt vocati. Illius credo exemplo Guidus Vbaldus Dux ſinè multis poetis nunquàm fuit. Quoniam verò nõ poëticis ſolùm ſtudiis, ſed (quemadmodùm dixi) aliarũ etiam bonarũ artium diſciplinis doctos homines adamauit, nihil vnquàm fuit eius comitatu amabilius, nihil ſplendidius. non

omnibus horis pateret, vt neminẽ patrẽ familiâs commodiorem domus vlla habuerit, quàm eo Duce cùm eius populi, tum exteræ etiam nationes vterentur: ità autem humanum ſe præberet, vt cùm fortuna multos, dignitate plures, virtute omnes Reges ſuperaret, humanitate ne ab infimo quidem vllo ſuperaretur: comitate certè ſermonis, ſuauitatéque verborum ità eas virtutes quaſi condiebat, vt non hominem aliquem viderentur conueniſſe, qui illum adibant, ſed planè quendam propitium atque beneficum hominibus Deũ. Inerat enim in illo comitati adiuncta ſemper grauitas quędam regia, quæ quicquid ageret, quicquid diceret, ad dignitatem componebat, admiſcebátque leuioribus etiam in rebus illud quod ſummis viris maximè conuenit, decorum. Verùm hæc omnia ab vno prudentiæ fonte quaſi riui emanabant: quæ ſic in il lo ſcaturiebat, vt nunquàm exareſceret: ſic fluebat, vt in omnes partes diffunderetur. Nam cùm non ſolùm vitia vitas hominum actionéſque perturbent, ſed ipſæ etiã virtutes vel intenſione nimia vel remiſſione ſæpe decipiãt: etenim quæ iuſtitia dicitur, eam ſi ſeuerè nimiùm exequare, acerbitas appellari

poterit:quæ clemētia eſt,diſſolutè ſi vtare, ea ignauia veriùs atq; mollities erit: adhibēda ſanè prudētia eſt, quæ aduocet atq; retineat ea, quæ recipiēda ſūt,ſe greget repellátq; cōtraria. Hac igitur prudētia noſter Dux ſic abundauit,vt nō ea ſolùm ad vitada fugiendâque vitia vteretur,ſed in exercendis etiam bonis artibus ſæpè tempori , ſæpè rebus, ſæpè perſonis aliàs magis, minùs aliâs , honeſtati quidē ſemper,dignitati, gloriæ quantum poſſet maximè, inſeruiret. Itaq; illis virtutib⁹ eius animus redūdauit, quas dico: quarum vſu atque functione omniū illa etiam humanarum diuinarúmque rerum magiſtra ſapientia cōparatur: quæ quidē quanti facienda ſit, illa noſtri Ducis vox præclarè docere nos poteſt. Nam cùm in cū quondàm ſermonē incidiſſent ij, qui cū illo erant,vt ipſum eſſe beatiſſimū dicerēt,qui tot vrbibus, tot populis imperaret,tā magnificis ædibus, tā ampla ſupellectili vteretur,*negaret ille ſe ꝓpterèa beatū , quoniā auferri ſibi illa poſſent omnia vel vno die,inſtaret ali⁹, inferretq; Quid tu autē,Guide Vbalde,inquiens, cum in tanta rerū affluentia verſere, putáſne poſſe vnquàm fieri. vt ad paupertatē deuenias,indigeáſque illarū rerū,qua-

*negat antiquus eſſe.

rum nos indigemus? Ego verò,inqu t ille,ſi veneat ſapientia. Quo vno mehercule verbo mihi quidem videtur ſe ſapientiſſimum oſtendiſſe,qui ſum regnũ ſuáſq; fortunas omneis ſe ſapientia cõmutaturum eſſe,fieri ſi poſſet, præ ſe tulit. Etenim imperiis atque diuitiis cum fortuna, tum ſæpè caſus dominatur: parua interdum offenſione, veluti grandine totius anni fruges, ſic totius vitæ omnes medius fidius commoditates auferuntur. In ſapientiam nihil iuris habet fortuna: nullam euis partem caſus poſſidet, illa tecum ſemper eſt, vtcúnque te ſecundæ res fugiant:ſemper præſto eſt:nunquam illa te, niſi tu illam deſeris. Itaque cùm prudentia,tũ certè ſapientia noſter Dux vſus,& præterita reminiſcebatur,& præſentibus conſulebat, & proſpiciebat futura, quæque non neſcire homines poſſumus,omnia propè callebat,ſiue ad homines ea attinerent,ſiue ad deos. Multa prætereo conſultò. neque enim poſſum eius viri benefacta vel dicta omnia breui tẽpore,Proceres,percẽſere. Vos tamẽ exiſtimare debetis,illũ cæteris in rebus atq; vitæ ſuæ reliquis partibus,ſui diſſimilem non fuiſſe. His igitur atq; aliis virtutibus effectum,Proceres,eſt,vt difficile di-

ctu ſit, quàm illum ſui populi dilexerint, quàm ægrè illo caruerint: cùmcarendum fuit, quanta eundem beneuolentiæ teſtificatione reuocauerint, quàm ſe, quàm fortunas ſuas, quam libertatem, quam pro illo ſæpè ſuam vitam in diſcrimen obtulerint, quàm nihil vnquam perpeti recuſauerint, dum illo ſaluo incolumíq; fruerentur, Itaque nemo mihi vnus pro aliquo vnquam tantum laboris ſubiiſſe viſus eſt,* vt pro illo vniuerſi. Nam cùm idem Cæſar Borgia, qui profectò cum fortuna dulci ebrius, tum parentis conſilts & potentia, quibus nitebatur, fretus nihil non audebat, nihil intentatum relinquebat, dum ipſe Italiæ imperio, pulſis deiectíſque Regibus, potiretur, Ducem quoque noſtrum illuſtri perfidia de regno patrio, déque auitis ſedibus expuliſſet: populi, quibus quidem ſumendi arma tempus datum non eſt, hoſtem enim ſimulato cum Camertium Regulo, cúmque Florentinis bello, fide data, venientem intra ſuos fines tanquam amicum, maximis cum exercitibus receperant repentino caſu perculſi atque perterriti, id quod vnum poterãt, apertè mœrebant, palámque lamẽtabantur: nullis neque minis noui præ-

potentíſque domini, neque pollicitationibus, neque quidem immunitatibus atque muneribus adduci vnquam potuerunt, Guidum Vbaldum votis omnibus vt ne peterent, vt ne ſeruire illi, quam imperare aliis ſeſe malle, profiterentur. quę vero in regnorum euerſionibus ferè ſemper Regibúſque mutandis eueniunt, vt permulti, vt eſt hominum genus ſæpè ocij quietíſque inimicum, tanquam vnius cibi, ſic vnius regni continuatione ſatientur, appetant quodcunque oblatum eſt, pleríque etiam veteri ſub imperio vel acceptis iniuriis, vel calamitate aliqua affecti, ſperent ſibi apud nouum dominum fore aut vindicandi aut ſubleuandi ſe locum: Itaque illi ſeſe dedunt, ad illum cogitationes omnes conuertũt ſuas, illum percolunt, illi obſequuntur. Horum tum, Proceres, nihil fuit. nemo enim ex vlla vrbe honeſtus ciuis, nemo ex municipio aut oppidulo aliquo vel pago tenuis vir, nemo ex agris ruſticus toto hoc in imperio atque hiſce regionibus ea tempeſtate ad Cæſarem ſe non inuitus cõtulit, nemo nõ illũ perhorruit, euitauit, fugit, & ne oculis cerneret, quaſi tetram aliquam immanémque beluam, diligẽtiam & cautionem adhibuit. Itaq; Guidi

Vbaldi deſiderium paucos menſes populi ægrè cum pertuliſſent, perferret autem non poſſent diutius, Cęſaris exercitibus omnia occupantibus, ferrum illis, ignem, cedē, direptionē, proſcriptionē, vaſtitatē, ſi quicquā molirētur, denunciantibus: tamen à Cęſare vna omnes ſemel iterúmq; deſciuerūt, Valentinianos arcium præfectos trucidauerunt: magiſtratus in vincula coniecerunt: legatos interemerunt: cohortes legionéſque fuderunt: nominis propè Borgiani memoriam cū veſtigio imperij non modò ex vrbibus omnibus, verum etiam ex monumentis ſingulis deleuerunt: Guido Vbaldo regnum denique, ſéque ipſos reſtituerunt. Vnde hāc tantam, támque miram erga illum beneuolentiā, tā immenſum amorē hiſce gentibus fuiſſe, Proceres, exiſtimatis? Non enim ille eos magna vi aliqua theſauri, aut præmiis quibuſdam ingentibus inuſitatíſque ſingulos afficiebat: non ludorum quotidie genere aliquo detinebat, nūquā viſo: nō exquiſitis vllis epulis, aut tibiarū inſolitarum delinicbat ſonis. ſed, quibus artibus in principes viros conflari odia populorum ſolent, eas ille artes non exercebat, earum nulli ſe obnoxium fecerat, nulla detinebatur. Non libido vn-

quam illum ad conſtuprandas ſuorũ ciuium vxores aut virgines, non auaritia ad premendas vectigalibus ciuitates, nõ impietas ad negligendam deorum immortalium religionem, nõ crudelitas ad ſumendam iniuſte pœnã ab aliquo, Proceres, impulit: nõ à propulſandis iniuriis inertia, nõ à vindicandis timiditas, nõ ad honeſtate luxus, non denique à labore vnquam animi vlla mollities deuocauit. Poſtremo, quod cæteri tanti æſtimant, eripere ſe interdum populis aliquóque abdere, vbi totos dies ſine teſtibus voluptati atque deliciis vacent. id ille ne cogitandum quidem ſibi eſſe vnquam iudicauit: palam omnia atque in propatulo agebat. Itaque illum omnes non tanquã vnum ex Feretria familia procreatũ, ſed tanquam eodem, quo quiſque erat, patre natũ genitúmque intuebantur, quamobrem minus mirum eſt, ſi vel cũ fortunarum ſuarum omnium diſcrimine carere illo non potuerunt. à quo enim ſe habere vt fortunis ſuis ita, vti vellent, vterentur, exiſtimabãt, eas fortunas omnibus periculis obiicere, vt ei ſuæ fortunæ reſtituerentur, non dubitauerunt: ſéque omnes emori ſatius eſſe duxerũt, ꝙ per quẽ ipſi inter ſuos bene honeſtéque vixerã, cum

perpeti ſine dignitate alienis opibus vitam ducere in alieno ſolo. Sed hæc populi in calamitatePrincipis egerũt. Quid ipſe autem, Proceres, qua magnitudine animi,qua fortitudine eam calamitatem pertulit? quàm non ægerrimè, non demiſſè, quàm etiam pacatè toto illo in exilio fuit? vt non plus ei fortuna de eius dignitate, quàm is fortunæ videretur de ipſius iure detraxiſſe:quę cùm illum omnibus propè calamitatibus affeciſſet, nullum tamen calamitatis in illo ſignum, nullum veſtigium appareret. Quærite de Venetis, qui illum profugum, exulem, inopem, deiectum de rebus omnibus, hoſpitio,vrbe,opibus,authoritate,beneuolentiáq; iuuerunt: interrogate patres illos atque Senatum: qua enim grauitate ſunt, nihil inficiabuntur;reperietis ita illum apud ipſos fuiſſe,ita ſe geſſiſſe, nihil vt de maieſtate, nihil de ſermone regio atque vultu, nihil de imperatorio animo nihil de moribus, nihil denique de priſtina conditione videretur mutauiſſe, præter ſolum.tametſi omnem illam exilij calamitatẽ vxor eius optima ſanctiſſimáq; fœmina, ſua præſtanti pietate aut omnino, aut magna ex parte leuauit. quod enim illa exilium,quam calamitatẽ, quos

labores,quas ærumnas mulier cùm pulcherrima, tum ſupra fidem viri pudoríſque amantiſſima,non leuaret?magni præſertim animi,incredibilíſque prudentiæ, & cui meherculè ingenium,prætérne mulierum captum dicam,ánne etiam virorũ contigit?è cælo quidem illi atque diuinũ eſt.Itaque in ſummo illo rerum fortunarúmque ſuarum omnium diſcrimine triſtiſſimíſquetemporibus,noſter Dux magnum ſane ſolatium chariſſimam prudẽtiſſimámque coniugem, fugæ, viarum, curarum, laborum, cogitationũ omniũ comitem atque ſociam habuit. Atq; mihi quidem totius noſtri Ducis vitæ curſum memoria repetenti,ſingulάſque animo felicitatis eius partes intuenti, nulla maior, nulla vberior videri ſolet, quàm quod ea illi vxor obtigit, de qua quidem cùm pudicitiæ,tum virtutum reliquarum omnium omnes,quæ nunc ſunt,quæque in poſterum futuræ ſunt mulieres exempla ſumere abundè poterunt,ipſas virtutes æquare non poterunt. Nam cùm illa iam omnes noſtri ſeculi præclaras atque illuſtres fœminas,omnium virtutum genere,omnium hominum ſententia,longiſſime ſuperauit, tum ipſarum quidem vniuerſi mulierum ſexûs atque generis

præſtantiam prætergreſſa longius eſt, quàm quod vllius mulieris ad virtutem curſus poſſe aſſequi vllis vnquam ſeculis videatur. dicerem hac de re aliquaa, Proceres, ex multis, vel etiam ex innumerabilibus, quæ quidem poſſunt dici: ſed neque incipere poteſt quis, quin idē multa perſequatur: & vos ea non ignoratis. ſic enim viuit illa, vel potius ſic vixit. nam vt nunc ſe res habet, ita ſe macerat, lacerat, conficit, vt ea vita qualibet haberi morte durior atque miſerior queat: ſic igitur illa inquam vixit, vt non ad veſtras ſolum, Proceres. ſed ad omniū etiā hominū aures, eius virtutū vox atque fama peruenerit. Verum hoc tantū tamque eximium vxoris bonum, cum viri tantarum rerum geſtarum, tantarum virtutum bono coniunctum, hoc tam rarum, tam excellens coniugium, Proceres, vt videtis illud mali ſubſequutum eſt, quod ij liberos ex ſe non genuerunt. Veriti ſunt fortaſſe ſuperi, quæ acceſſio in hac familia virtutum ſemper in poſtremos fuit, ij ſi filios habuiſſent. ne illi nimium proximè ad eorum conditionem accederent: itaq; minus magnum interuallum inter ſe atque nos, quam ab ipſis poſitum ſtatutúmque ſit, relinqueretur, niſi fortè, quo-

niam vlterius progrediendi locus non erat, ſobolem ex iis eſſe nullam potius, quàm non præſtantiorem voluerunt, interiréque tam præclaram ſtirpem, quàm vel regredi, vel etiam cõſiſtere maluerũt. Atque vtinam, poſtquam ita ſtatuerunt Dij, vt noſter Dux ſine liberis interiret, ipſum diu nobiſcum eſſe ſiuiſſent, diu in vita longæuúmque reliquiſſent, vt hoc noſtrum ſobolis ex illo deſiderium, fruẽdi ipſo longinqua diuturnáque conditione leuaretur: quod erat quidem ęquiſſimum, vt cuius ipſius fueramus veris imaginibus & ſtirpe carituri, eius vultum ditiſſimè adſpiceremus, amoris beneuolentia conſuetudinis fructum, quam multorum fieri annorum per naturæ legem poſſet, perciperemus. Quodſi neque ſobolẽ ex noſtro Duce vilem, neque longam ipſius vſurã nobis fuerant iidem ipſi ſuperi cælitéſque cõceſſuri, ſed iuuenẽ florentémque rapere atque intercipere illum volebant: effeciſſent ſaltẽ, vt, quo minus, quoad viueret, exercere ſeſe poſſet, omnibus mẽbris captus ac debilis, corporíſque impeditus implicitúſq; doloribus nõ fuiſſet: ſed, quos ipſos perpaucos nobiſcũ futurus erat annos, eos proſpera valetudine integérq; cõfeciſſet: quęq;

interea ſtudia, quáſque artes ſequi atque colere in animo habebat ſuo,iis ſe dedere, eas tractare,ad earum ſibi cõparationem vires & neruos intendere licuiſſet. Nunc autem,ô indignam vitę ſortem atque miſeram cum perbreue illi annorũ ætatíſque curriculum dederunt:ſex enim atque triginta natusannos miſer interiit: tum eius ipſius breuiſſimæ ætatis magnã meliorémque partẽ ita deformauerunt, vt ei nullum propè vitę vſumviderentur, præter aurę atque lucis,reliquiſſe. Itaque ille infelix neque liberos ex ſeſe genitos vllos vidit,dulcedinémque illam filiorũ, quæ quanta ſit,ij nouerunt, qui parentes ſunt,cæteri ne cogitare quidem poſſunt, nulla ex parte eſt expertus:neque,quantum poterat, vixit, aut ſaltem quantum iure vitę debebat: ſed medio in curſu,vel etiam citra curſum mediũ eſt extinctus. Demum quoque, vt nullius duræ conditionis expers eſſet,id tam modicũ támq; breue temporis ſpatium, quod vixit, ſic profecto vixit, vt multo etiam minus ſeſe viuere ſibi maximè optandum fuerit: ita porro eius temporis plurimam partẽ quaſi mortuus inter viuos fuit. Proh Dij immotales , dicerem crudeles atque duros, niſi me mei Ducis mira pietas conſtantiáque

ſtantiáque retineret: qui ne mediis illis quidem in cruciatibus, quibus eſt confectus, vocem vllam vnquam cõtra vos aut planè, gemitum edidit. Sed proh Dij cũ immortales, tũ ſæpè mortalibus cõmodi atq; benefici parum, itáne huius optimi ſanctiſſimíq; viri ſumma probitas, ſummus pudor, ſumma ęqui atq; boni obſeruantia, ſumma innocentia, ſumma fides, ſumma denique illa erga vos ipſos religio, obſequium, cultus pietáſque meruerunt, vt cùm illum ſibi omnes eſſe patrem optimum atque chariſſimum dicerẽt, ille tamẽ ex ſe liberos adſpicere nunquam poſſet? nunquã dulce patris nomẽ ex ore filiorum auribus hauriret ſuis? vt cùm eius cura & labore multæ gẽtes bene felicitérque viuerẽt, ipſe cũ iuſto vitæ ſpatio, tũ omni propè viuendi ſpe atque dulcedine careret, ita denique vitã ducẽret, vt mortuis quàm viuis ſimilior vicinióra; videretur? hócne præmiũ, hoc inquã præmiũ iuſtitiæ pietatíſque cultoribus rependitur? hanc mercedẽ eſſe laborum ſtatuitis iis, qui omnes ſuas cogitationes, omnem curam, omne ſtudium ad communem bonorũ vtilitatẽ conferũt, vt, cùm ipſi aliis quietem pepererint, bellũ ſibi cũ aduerſa valetudine durũ atque

miſerum quoad vixerint, ſit gerendum? Itaque ille quoniam ſua virtute perfecit, vt omnium optimus & haberetur & eſſet, vos vt omniũ ærumnoſiſſimus & eſſet, & haberetur, veſtra iniuria perfeciſtis: cui quidem nihil tam proprium aut tam diuturnum in vita, quàm dolor atq; cruciatus fuerit. Sed continebo ipſe me, neque in vos aſperius quicquam, Cælites, atque temerè dixero. nihil enim à vobis mali vnquam ad nos: fortè illud omne atque fortuna prouenit. Atque ille quidem non tam noſtro ſenſu atque ſententia, quàm veſtra etiam exiſtimatione atq; iudicio, multò optimus atque maximus fuit. Veſtra enim immortalia ſuperi numina, ci9 viri interitum ſignificationibus plurimis atq; clariſſimis concelebrauerũt: vos ipſi nobis antè, quàm mortem obiret, hominem eſſe interiturum longè omniũ maximum atque præſtantiſſimũ denunciauiſtis. Nam & hoc ipſo anno eius thalamus, cùm ipſe in eo eſſet, tactus de cælo eſt: & pauloanteà, quã è vita exiret, terręmotus horribiles in regni finibus crebros fuiſſe nũciatum eſt: & ex altiſſimorum montium cacuminibus miræ ingentéſq; ab incolis voces multis in locis exauditę ſunt: & noctu ſupra templum hoc

atque vrbem lõgiſſimis ardere tractibus ſereno cælo maximos clariſſimóſque ignes plurimi mortales cõſpexerũt: ædes verò, vbi nũc humatum eius cadauer eſt, medio die à ſacerdotibus aperire ſeſe viſa, vano illos metu atque pauore perterruit. Hoc veſtrum Dij immortales teſtimonium, veſtra hæc vox ac penè oratio fuit. quanquam ea quidem ſigna non tã vllius noſtri Ducis iacturæ prænuncia, quàm noſtrę multo maximæ, multóque luctuoſiſſimæ fuerunt: non ad illum, ſed ad nos pertinebãt. ipſi enim te amiſimus Guide Vbalde: tu nihil amiſiſti, qui multò ante mortuus es, quam è vita excederes, antè te ipſe quàm interires, reliquiſti: immo autem qui te quidem nunquã reliquiſti: te enim ipſe, hoc eſt, hominis rectum ſenſum ſemper habuiſti. Ipſi itaq; miſeri, qui te caremus: tu felix, quam nihil vnquam feciſti, quod te facere nõ æquiſſimũ fuerit: qui patriæ, qui tuorũ ciuium incommoda longè plus cauiſti, quã tua: qui omnia tibi pericula, omnes eſſe experiundos & ſubeundos labores, vt illi ocio ac libertate fruerẽtur, exiſtimauiſti: qui te virtuti, nõ deſidiæ, dignitati, non voluptati, qui laudi, qui gloriæ, qui æternitati, nõ ſomno aut deliciis, aut

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

vitæ huius breuiſſimis inanibúſque oblectamentis tradidiſti: qui ſemper cogitaſti corpus virorũ fortium & bonorum ac magnorum hominum eſſe caducum atque mortale, animi verò præſtantiam, quæq; ex animi præclaris motibus naſcitur, gloriam ſempiternam: qui denique te cùm omni tẽpore, tũ certè extremo ita geſſiſti, vt neque morbi atrocitas aut tędium, neque in tã viridi ætate mors adueniens perficere vnquam potuerit, vt timoris ſignum aliquod, aut ægri omnino animi proderes: vltro verò, imperterritéque abeuntis, vitáque conſtanter cedentis plurima ſemper indicia notæque apparerent. Atque illam ipſam, quidẽ mi Alumne, optimæ atque ſanctiſſimæ tuæ vitæ breuitatem, vt iã ſæpius idem repetam, ſi quis rectè æſtimabit, tibi ſummæ laudi ac prope immortali gloriæ vertat: neceſſe eſt. Quantò enim maius eſt, multas res præclaras atque permagnas breui tẽporis ſpatio, quã longiſſimo, confeciſſe, tanto tu magis quidem laudandus es omniũ ore gentium atq; ſeculorum, qui iuuenis eas virtutes, eas bonas arteis fueris aſſequutus, quas omnes ſimul nulli, aliquas vel nulli vel omnino pauci diutiſſimè viuendi beneficio conſequi profe-

ćto potuerunt. Nam ſi quiſpiam, quos tu in lećto annos vi morborum coaćtus cõſumpſeris, eos à reliqua tua vita ſegregabit, ſeiungétque ab iis, qui tibi eſſe vſui potuerũt: ſi item Borgianas cùm inſidias tum aggreſſiones, tuam atque tuorũ fugam, errores, exiliũ, diſcrimina, miſeras illas atque acerbas cogitationes reputabit: alia vero ex parte idẽ ſi colliget, quot imperia geſſeris, quot bella cõfeceris, quã cumulatè, quã perfećtè omnẽ rei militaris diſciplinam percallueris, poſt hæc recogitabit, quantum in ſtudiis literarũ continetur, tantundem te propemodum perlegiſſe, earum verò artiũ in multis excelluiſſe, quarũ ex vnius cuiúſque ſciẽtia multi homines celebre ac magnum ſibi nomen acquiſiuerunt, poſtremò ſi æſtimabit te regendis populis occupatum, pauca horarum momenta iis in ſtudiis potuiſſe conſumere, quibus quidẽ ij, qui excellere cupiunt, omnẽ ſuã ætatẽ impẽdũt, omnes nočtes ad ea cõferũt, omnes dies: hæc inquã omnia ſi quiſpiã cõſiderabit, verè te ille, mi Alumne, vel multum ſupra hominũ fuiſſe conditionẽ exiſtimabit, vel infra deorũ parũ. Itaq; quantũ tibi de huius vitæ vſu cùm aduerſa fortuna, tum incommodæ valetudines de-

traxerunt, tantum addent homines ad tui nominis gloriam, celebritatem, memoriámque ſempiternam. Quanquam non hæc quidem tua vita dicenda eſt, quam in his corporis membrorúmque compagibus viuimus: illa inquam, illa potius vita tua eſt, quę omniũ populorũ animos tui beneuolentia in poſterum peruagabitur, quam omnis memoria repetet, omnia ſecula intuebuntur, quam ſibi iure commendatam ipſa æternitas alet, ſecúmque retinebit. Quamobrem non eſt, cur te parum vixiſſe doleam. Quandiu enim gẽtes erunt, tandiu viues ipſe in earũ mentibus atque ſermonibus tãdiu homines tui memoriã ſumma cum tua gloria retinebunt: erúntq; permulti multis in terris ſemper, qui te dicẽt à perenni conteſtatáque virtute maiorũ perilluſtri celebríque familia, parẽtibus maximis atque clariſſimis genitũ, pene puerũ optimum militem, optimũ imperatorem fuiſſe, cõſilio ingenio, animi magnitudine, virtute ſupra omnes noſtri æui homines excelluiſſe, eundem & Latini ſermonis & quidẽ Græci peritiam atque vſum, veluti natũ in iis atque alitũ, abũde cumulatéq; habuiſſe, & ratione dicẽdi ſemper, quę volueris, cõfeciſſe, & quæ ge

ſta vnquã ſunt, tũ à quibus aut quando geſta ſunt,tãquã omnia ipſe geſſeris,memoria tenuiſſe,& orbẽ ipſum terræ,quaſi tuã domũ, ita cogitatione cõprehenſum habuiſſe. Itaque omniũ rerũ, omniũ tẽporũ,omnium hominũ, omnium locorũ cõditionẽ mirabiliter tibi vni exploratã patuiſſe:nihil te ſacrarũ literarũ latuiſſe,nihil noſtrarũ,hoc eſt, poëtarũ & philoſophiæ:te iuſtiſſimũ,te clementiſſimũ, te munificentiſſimum extitiſſe,incredibili continentia,innocentia,religione,pietate,fide,cõſtantia præditũ,humanitate, grauitate,prudentia, ſapiẽtiáque prę ſtãtem, aliorum in te iniuriarum æquè, atque tuorum in alios beneficiorum, ſemper oblitum:nunquam in ſecundis rebus elatum, nunquam in aduerſis fractum fuiſſe:non fortunam, non morbos,non mortẽ deniq; ipſam potuiſſe facere,quin eundem vultum, eundem animum ſemper habueris: itaque hæc cùm homines repetent, illam te auem Phœnicem dicẽt fuiſſe quam tua mater per quietẽ vidit: eum ſcilicet virum,cui parem non eſt inuenire,cuiúſque mortuo ac ſepulto corpore, animi facinora atq; virtutes, ignea cæli plaga, hoc eſt, ipſa immortalitas exceperit.

Hæc inquam atque alia, Proceres, de noſtro Duce poſteri omnes memoria repetent, cumq; repetent, nos miſerrimos dicent fuiſſe, qui eo tum caruimus, cùm quidem maximè inciperemus frui. Nam per deos immortales quid eſt, quod nos amplius delectare poſſit illo amiſſo, à quo nobis omnia honeſta & iucunda ceciderunt? Quid eſt, cuius nomine vita nobis grata eſſe debeat eo mortuo, cui nihil erat gratum, niſi quod nobis vel voluptatem *afferret ipſis aliquã, vel dignitatem? Amiſimus, Proceres, amiſimus omnem cauſam non ſolum oblectationis ſed omnino etiam conſolationis, qui Ducem noſtrum, qui optimum Principem, qui bonorum parentem omnium, qui noſtrarum fortunarum authorem, libertatis propugnatorem, ocij, quietis, ſalutíſque patronum amiſimus. Nam quæ noſtra deinceps vita erit, amore, beneuolẽtia, ſapientiſſimis conſiliis, amantiſſimis cõgreſſibus, vultu, ore, oculis, conſuetudine, ſermone illius ſuauiſſimo iucundíſſimóque ſublato? Atq; vos quidem, Proceres quantum præſidij, quantũ ornamẽtia miſiſtis, videmini propè oſtẽdere, qui mœrore omnes atque dolore confecti, in lachrymis & ſordibus & ſqualore ver-

* *afferret aliquam.*

ſamini. Me quidem certè valde pœnitet viuere. atque vtinam illum ego potius meæ vitæ ſuperſtitem, quod erat quidem æquius, quàm ille me ſuæ reliquiſſet. ſatis enim diu atque feliciter vixiſſem, ſi meo interitu eius interitum anteuertiſſem. Nunc viuo, vt quos ego poſtremos meæ vitæ annos, firmioribus alũni mei annis *ſubſtentatos, mihi dulciſſimos futuros exiſtimabam, eos ipſos deſiderio illius luctu, ærumna, ſolitudine, orbitate mea experiar acerbiſſimos. An ego, me miſerum, potero aut non cogitare aliquando de illo, aut vnquã ſine multis lachrymis cogitare? qui mihi ſuauitate propè æqualis, propè frater, obſequio filius, amore & beneficiis quaſi parens optimus atque mitiſſimus fuit? quem puerum ipſe iuuenis in ſinu meo atque hiſce vlnis alui, adoleſcentem vir bonis artibus inſtitui, ſumque iuuenem domi, foris omnibus pacis, omnibus belli muneribus obeundis, omnibus in terris proſequutus, eundem admirari virum, eiuſdem, me adiutore partis, virtutibus frui mihi ſeni non licebit? quo nitebar, cuius in ſpe acquieſcebam, cui præſenti meas cogitationes omnes impartiebam, is mihi ereptus ex oculis vi fatorum eſt:

*ſuſtentatos.

ego ferus ac ferreus vitā adhuc retineo? Quam cur Cæſaris gladiis non dedi? cur meo ſanguine infeſta illius tela, lateri meo atque iugulo ſępius admota, non imbui potius, quàm eum, cui me viuum ex tot periculis conſeruaueram, ne mea mors dolore illum afficeret, mortuum adſpicerem, vt mea vita ſempiterno luctui dederetur? aut cur non tum ceſſi, non emigraui, non me huic calamitati præripui, cùm me magna vis febrium ita proſtrauerat atque confecerat, vt ille ipſe meus alumnus mihi ſuas lachrymas, quaſi donà vltima inferiáſque largiretur? Memini enim, memini illius temporis, cuius vt nunquam obliuiſcar, multa eius pietate factum eſt, cùm is mihi laboranti dies atque noctes aſſideret, confectum iam ac planè moribundum ſpe vitę conſolaretur: quam ego cùm reiicerem, per ſuas me lachrymas, quas quidē plurimas effundebat, animo ne deficerem, obteſtabatur. O vigilias tuas, mi alumne tunc dulces, nunc acerbas: ô dies obſcuros: ô noctes inſomnes atque miſeras: ô curam meæ ſalutis officioſam, ſed inanem: ſiquidem me viuere voluiſti, vt, cū ego te vellem viuere, me non audires: me in vita ſenem retinuiſti, vt ipſe te iuue-

nem non poſſem retinere. O tuas lachrymas nimium fructuoſas, quas ego adſpiciens, tibi obtemperaui, atque vixi, vt tu meas lachrymas quidem adſpiceres, neque mihi tamen obtemperares: itaque meæ inutiles atque infelices fuerunt. Cur tu autem me incaſſum flere ſiuiſti ſi ego te non ſiui miſer? cur meæ lachrymæ apud te nihil valuerunt, ſi tuæ lachrymæ apud me plurimum valuerunt? Repeto, repeto meam abs te pietatem: redde tu mihi illam, quam debes, reſtitue, reuiuiſce, & ſi mori aliquem neceſſè eſt, ſenile hoc pro te atque miſerũ caput deuoueo. Sed quid ego hæc nequicquam queror? me miſerum, ille non reuixerit, ego non moriar, ſed ad omnes acerbitates ærumnáſque ſuſtentabor. Itaque finis iam ſit querendi: atque vtinam mihi eſſet etiam viuendi. Eſſet autem, neque paterer, vt illo mortuo me quis adſpicere auras ducentem poſſet, niſi tua me Franciſce Maria fili cùm egregia indoles, tum ſingularis pietas, cupientem mori de curſu reuocaſſet: quarũ nobis altera patri te tuo fore perſimilẽ pollicetur, altera iam exhibuit. Itaq; ꝙ cęlũ etiã nũc adſpicio, ꝙ reſpiro, ꝙ ſenilem hanc vitam atque hoſce viuacio-

res canos, quàm vellem, produco, mihi ex te vno proficiſcitur. Quis enim, qui te intueatur, alloquatur, audiat, cùm te per ætatem cõfirmaueris, non illũ ipſum patrem tuum in te reuicturum putet? ſi verò quo amore, qua charitate eidem patri tuo & ſæpè corporis vexato doloribus, & demum morienti affueris, & nunc quidem tuas in illum mortuum lachrymas, tua officia plena curæ, plena pietatis, plena memoriæ videat, non iam te illius veros mores expreſſiſſe dicat, nobíſque præſtitiſſe? Itaque cùm ſæpè multa tuus pater prudenter ſapientérque in vita, tum nihil magis vnquam prouidit, quàm cùm te ſororis ſuæ filium ſibi adoptauit: vt, quoniam ſe breui moriturum ſciebat, nobis te relinqueret, quaſi imaginem atque ſimulacrum ſui, qui populos ipſius morte proſtratos, ſpe tuę indolis erigeres, nos afflictos mœrentéſque ſubleuares: quod quidem planè iam facis. quamobrem ſi aliquis ſenſus ineſt mortuis, credo illum, quo amore, qua in ſuos pietate ſemper fuit, vehemẽter lætari non tam quidẽ, quod illi mortuo tantos honores tribuas, quanti certè viro Principi haberi maximi, atque ampliſſimi potuerunt, quàm quod omnium hu-

ius regni, cuius te ille hæredem reliquit, vrbium, municipiorum, omnium harum gentium oculi eadem acie, qua illum intuebantur, te nunc reſpiciunt, quæ ſuas ſpes, ſuas opes omneis in te vno ſitas atque repoſitas putant. Quod cùm ita ſit, magna tibi adhibenda cura eſt, ne falſa is lætitia perfruatur, qui te veriſſimis lætitiis ſemper frui voluit. Magnum tibi onus, magnam prouinciam ſummus erga te patris tui amor impoſuit, qui te tanto regendo imperio ditioníſque præfecit. longè verò maiorem ipſius virtus, quam tu vtinam ſuperare poſſis atque vincere, æquanda tibi certè eſt, ne videare, cuius regni hæreditatem adeptus ſis, eius virtutes aſſequi atque indipiſci non potuiſſe. Simul & illud accedit, quod, quoniam is vir maximi cùm iudicij tum conſilij ſemper eſt habitus, nihil eſt tam magnũ atque arduum, quod abs te non ſperare modo homines audeant, ſed planè etiam ipſi ſibi polliceri, & ſuo quaſi iure abs te repetere propterea, quod aiũt ſibi te illũ adoptaturum, hęredémque inſtituturum non fuiſſe, niſi te talem futurũ, qui ſuſtinere eius gloriam poſſes, ſibi certum exploratúmque fuiſſet. Hanc te opinionẽ hominum confirmare ſanè oportet cùm

illius cauſa, vt rectè ipſum ſemper ſenſiſſe appareat, tũ tua, vt tum maximè, cùm de te benè ſenſerit, ratione videatur id feciſſe. Poſtremò etiam cogitare debes, ne immemor beneficij videare, quemadmodum ipſe tantorum in te promeritorum gratiam illi debitam referas. Hanc autem nullo pacto referre maiorẽ potes, quàm ſi ita te geſſeris, vt ei gratia omnibus ab hominibus, quòd is te ſibi filium inſtituerit, hæredémq; reliquerit, habeatur. Quod cùm illius erit ſanctiſſimis amantiſſimíſque tui mánibus ad quietem iucundiſſimum, tum tibi ad gloriæ immortalitatem longè ampliſſimum: quam tu ſpectare atque reſpicere omnibus in rebus ſemper debes, omnibus cogitationibus dies atque noctes colere, vt nõ ſolum tui æui homines, ſed omnes etiam poſteri, quod de patre tuo futurum iam vides, tuum nomen ſint tuámque memoriam celebraturi.

IN FVNERE

BARTHOLOMÆI LIVIANI, Veneti Exercitus Imperatoris: Andreæ Naugerij Patricij Veneti Oratio.

SI, quantum in me doloris eſt, tantum eſſet ingenij, ſperarem profectò parem me Bartholomæi Liuiani laudibus orationem habiturum: cum verò ingenium vel minus etiam quàm mediocre ſit, tacitus autem mentem dolor opprimat, vt is vel maximi cuiuſq; ingenij vires poſſit infringere: ſi quidem flendum ſit, nullus me magis idoneus: ſi præclariſſimæ maximi huius Imperatoris laudes celebrandę, nullus minus reperiri poteſt. Sunt illæ quidem tam illuſtres, vt omnium oculos in ſe trahant, vt nemo ſit, qui eas non videat. quoties tamen mihi in mentem venit, quàm alieno hic tempore nobis ereptus ſit, concidit animus: quæcunque dicere inſtitui, è memoria omnia dilabũtur. dolere ſolum iuuat. doleo meo, doleo ipſius, doleo Reipub. noſtræ, doleo bonorum omniũ, qui vbique ſunt, nomine. Meo, quòd illum, qui me vnicè amabat, quẽ ego velut inſtar quoddã antiquitatis admirabar, tum cum minimè id timerem, amiſi. ipſius, non quòd mortem obiẽrit, (ea enim conditione natus erat, vt aliquando moreretur) ſed quòd, cum vnũ maximè expeteret, vnum à diis immortalibus votis omnibus optaret, vt Reipub. noſtræ in eum gradum

reſtituere imperium poſſet, ex quo proximis bellis collapſum erat: cùm iam propè eſſet vt id perficeret, ſubita morte interceptus, voti cōpos fieri non potuerit. Reip. noſtræ nomine doleo: quòd, cùm illa hoc gubernante, è maximis ac turbulentiſſimis tempeſtatibus ſæpè ſeruata, portum iam adſpiceret, erepto malo quodam fato gubernatore, medio in curſu ſit relicta. Subſtituiſtis vos quidem Patres optimi, fortiſſimum ac ſapientiſſimum virum, quo ad gubernaculum ſedente, omni timore vacui eſſe debetis: interruptus tamen eſt curſus ille, ſecundus ille flatus deſeruit: multæ poſſunt in infido hoc mari exiſtere tempeſtates, quæ, ſi non ſubmergere, at perturbare tamen res noſtras queant. Iam verò tantum in illo bonis omnibus præſidium ſemper fuit, vt hoc vno amiſſo, omnia mihi iam amiſiſſe videantur. Hæc ipſe cùm mecum cogito, communémque hanc iacturam ante oculos mihi propono: ita ſuccumbit dolori animus, ita auocatur ab inſtituto ſuo mens, vt, quo me vertam, quod principium ſumam, neſciam. In vos quidem vniuerſos cùm intueor, triſtem mihi quandam ipſius mœroris faciem videre videor: doletis omnes, mœſti eſtis

omnes:

omnes : ſed quo magis doletis, hoc diligentius funus ducitis: honores mortuo, quos poteſtis, redditis:frequentes ad me audiendum coïtis:ita vos ad ea,quæ debetis, præſtanda dolor adiuuat : mihi ad ea,quæ debeo, maximo eſt impedimento. Cohibebo eum igitur, nec committam,vt minùs ego gratus in meo obeundo munere, quàm vos in veſtro eſtis, fuiſſe videar.

Solent omnes ,qui quempiam laudant quaſi præſcripto quodam, patriã,genus, educationẽ illius laudare:neque, id cùm faciunt, ſine certa ratione faciunt. Vt enim plantæ, cum bono è genere lectæ, feraci ſolo depactæ, frequenti adiutæ cultura ſunt,tum demum vberes fructus ferunt: ſic in hominibus cæteriſque animalibus genus,patria,educatio, multum refert. Quod quanquam ita ſit,aliam tamen ego quandam in Imperatore hoc noſtro rationem ſequar.Omnia quæ verè alicuius dici non poſſunt, prætermittam:animi virtutes:quæ illius,in quo inſunt, verè eſſe dicuntur, eas dicam. Neque id à me tamen eo fieri arbitramini, quò is ignobili patria ortus, obſcuro genere natus,malè educatus ſit : ſed & maiora ſunt ea, quæ mihi propoſui, & hæc

ſi perſequar, longior ſim, quàm aures veſtræ pati poſſint. Quid enim? Romã laudem? at ea, ſi breuitati conſuluero, multis laudibus defraudanda: ſi omnia explicare voluero, vel perpetua multorum ſcripta repetenda. de Liuiorum genere dicam? vnus Salinator totum diem expoſceret. Poſſem equidem de Franciſco Bartholomæi ipſius patre, fortiſſimo & clariſſimo ſuæ ætatis viro, dicere: ſed nolo ex hoc riuulo in id flumen laudem deriuare, ex quo in eius etiam maiores laus maxima redundat. At pueritia ſub Napolionis Vrſini diſciplina acta, ſub Virginij adoleſcentia, commemoranda: ad maiora feſtino. Ego cùm agrum fœcundum video, etiam ſi, vt cultus ſit, neſcio, neque agricolæ laborem conſpicio, ex ipſo tamen fructu benè cultum iudico. Vos item cùm maximarum virtutũ prouentum, qui verè animi fructus eſt, videritis, benè cultum animum exiſtimare debetis. His ergo omnibus iam relictis, ad ea, quæ mihi dicenda propoſui, veniamus. Sæpè ego mecum (quod & veſtrum cuilibet ſæpenũmerò euenire arbitror) ea, quæ de veteribus memoriæ mandata ſunt, repetere ſoleo: cùm magnos illorum temporum viros ante oculos mihi

propoſui, præclaros quidẽ multos, multos omni laude dignos inuenio: ſed vnus eſt C. Cæſar, quem admirer. ac fuit, cùm multa, quæ de eo dicerentur, ficta eſſe arbitrarer, neque tot tam diuerſorum generum virtutes, cadere in vnum hominem poſſe cenſerem. Hanc mihi Bartholomæus Liuianus incredulitatẽ ademit. Cæſarem ille omnibus, quicunque vnquam fuerunt, imperatoribus anteponebat: Cæſarem maximè imitabatur: felicitatem aſſequi eius non potuit, (neque enim hoc in nobis eſt) virtutes ita aſſecutus eſt, vt nemo vnquam illi ſimilior fuerit. ac ne mihi hoc loco ea, quæ de Cæſare ſcripta ſunt, ſint repetenda, quæ in hoc fuerunt, dicam: vos ea, quæ legiſtis, taciti ſubiicietis. Primò quidem, quoniam de Imperatore loquimur, imperatoriæ omnes virtutes ita ſummæ in hoc fuerũt, vt in nullo magis. Cõſilium in Imperatore ſummum eſſe decet: niſi enim, quę agẽda ſunt, priùs conſuluerit, caſu quaſi quodam res eius omnes ferantur, neceſſe eſt. neque hoc tamen ſatis: cùm rectè quippiam conſultum eſt, tum induſtria etiam quędam ac celeritas ad id perficiendũ requiritur. Quantus in ambobus his fuerit Imperator noſter, è multis pręclariſſimis

rebus eius geſtis licet cognoſcere. ſed ego omnia non perſequar: pauca quędam perſtringam. Bello illo, quod inter Gallos atque Hiſpanos ſuper Neapolitano regno acerrimũ fuit, eóque prælio quod ad Lyrim geſtum eſt, Hiſpanis affuit. lõgè ſuperiores numero Galli erant: obiecerant ſe tamen illis Hiſpani, quo tranſitu fluminis prohiberẽt. ſed cùm hoſtium quotidie vires creſcerent, nemo propè in toto exercitu erat, qui non ab incepto deſiſtere, & munito ſe loco continere tutius arbitraretur. Vnus hic id ſenſit, quod ſolus noſtra ætate ob res geſtas *Magnus dictus, tunc Hiſpanorum Imperator, & *ſecutus Conſaluus eſt, & ei, vt perficeret, commiſit. Itaque ille pontem in Lyri pauciſſimis diebus, ſemota quadam parte, tam ſecretò, vt id Galli nunquam reſciêrint, conficit. maximo ſilentio exercitum traducit: hoſtes viribus ſuis confidentes, ac nihil tale ſuſpicantes, de improuiſo adortus, in fugam vertit. Tanta cædes facta, vt, qui è prælio ſuperfuerint, deditionem facere coacti ſint. Hoc ob facinus, ab egregio illo ac maximo Imperatore ita laudatus eſt, vt multa etiam præmia & ab illo, & ab Rege poſtea ipſo conſecutus ſit. Sed

*Magnus Cõſaluus.
*ſecutus eſt

quid ego ea, quæ pro aliis geſſerit, conquiro? nónne maxima ſunt ea, quæ plurima pro noſtra Repub. noſtros ante oculos, his bellis proximis facinora edidit? Germanico bello, cùm omnes in nos aditus effera illa gens tentaret, omni ex parte in noſtros fines irrumpere conaretur: eos Cadubrienſi cruento illo prælio non ſolùm compeſcuit, ſed & multa eorum oppida vi cepit, atque eo tandem redegit, vt potiùs, quemadmodum ſua tuerentur, quàm vt aliena inuaderent, cogitarent. Atque ipſum illud prælium quomodo geſtum eſt? Occupato Cadubrio, perfracta iam alpium clauſtra, iam patefactum in nos iter Germanis omnibus credebatur. & profectò, niſi admirabilis quædam viri huius virtus ipſo in tempore ſubueniſſet, turbulẽtiſſima tum procella illa res noſtræ omnes procubuiſſent. magnæ, quæ iam aderant copiæ, in dies augebantur: tota in nos ſe effuſura Germania videbatur. quid hic interea? cum longiſſimè abeſſe putaretur, ducto magnis itineribus per aſpera quædam loca atque oppleta niuibus exercitu, quà ne feris quidem vnquam aditus patuiſſet, ita derepentè & à tergo, & ab omni parte ſe hoſtibus oſtendit, ita

omnem incluſis fugæ ſpem intercepit, vt ſubita illi atque inexpectata re perterriti, nec quid agerent ſatis ſcirent, & ad vnum omnes, ne nuncio quidem cladis relicto, cæſi ſint. Sapiens hoc ac ſalutare nobis conſilium fuit incredibilis celeritas: cùm in omnibus hæc rebus, tum in bellicis multum valet: hac omnibus Cæſar præſtitit: plura hac, quàm militum multitudine bella confecit. hac noſter Imperator nulli ſecundus inuentus eſt: hac magnis vos ſæpiùs periculis liberauit. ac ne à Germanis diſcedam, occupauerant proximo illi anno amœniſſimam illam, ac vobis opportuniſſimam Foriiulij regionem: ſuburbano vos veſtro carebatis: poſſidebant hoſtes. magnæ equitum, magnæ peditum manus ad portum Naonis coactæ erant. obſidebat Opſopium alius exercitus: quod ſolum oppidum Hieronymi Sauorgnani fortiſſimi atque amantiſſimi Reipublicæ huius viri, virtute defendebatur. Magni intererant, priuſquam id expugnaretur, & hoſtium vires coïrent iis, qui ad portum Naonis erant, occurrere. quin id ageretur, impedimento Hiſpani erant; qui, cùm ad Ateſte oppidum caſtra haberent, Patauij Imperatorem veſtrum

7. bel. Gal. 8. & 4. bel. Gal. 8.

morari cogebāt: neque is ſe indè cōmouere ſine magno rerum veſtrarū periculo poſſe videbatur. Sed perſæpe euenit, vt ea faciliùs fiant, quæ factu difficilima putātur. cōſilium Imperator audaciæ plenum capit: omnē ſpem in celeritate ponit: cū expedita militum manu portum Naonis pergit: improuiſos hoſtes occupat: alios cædit, alios capit: vrbem recipit: nihil cōmoratur: magnis itineribus Opſopium ire contendit. neſcio quomodò elapſus de hac cæde rumor pauloantè, quàm noſtri adeſſent, Germanos, qui oppidum obſidebant, in fugam vertit. ità illi è noſtrorum manibus erepti ſunt, Opſopium obſidione liberatum, Imperator Patauiū reuertit. Hiſpanis, eum diſceſſiſſe, hoſtes profligâſſe, rediiſſe, ſimul omnia nunciata ſunt: ità nihil in nos moliri potuerunt. Multa cogor præterire, nè nimius ſim: ſed hoc nullo pacto prætereundum eſt, quod eodem anno in Hiſpanos paucis menſibus poſt id, quod commemorauimus facinus, geſſit. Totis illis æſtiuis Patauio egreſſus, caſtra munitis locis habuerat: & cùm eo ampliùs, ob militū paucitatē, nō poſſet, ſatis à ſe fieri arbitratus erat, ſi hoſtem præda ac populationibus prohibuiſſet. His hoc pacto ductis, cū ad

Rhodigium iam Hiſpani, & propinqua circum loca in hyberna conceſſiſſent, & hîc ſe tutiſſimos, tum obiectu Atheſis arbitrarentur, tum quod noſtros maximè deſpiciebant, vt qui nunquàm tota ęſtate niſi ad tumultuaria bella caſtris progreſſi eſſent: occaſionem ſibi oblatam Imperator noſter ad egregium aliquid patrandum ratus, magno itinere tota nocte confecto, ignaris hoſtibus, flumen ſuperat, ſecuros ac nil tale ſuſpicantes de improuiſo aggreditur. Rhodigio, nullis reſiſtentibus, potitur: partim obtruncat, partim capit. ſic callidiſſimam illam gentem fefellit. Quòd niſi militum laſſitudo, quam longo ac præcipiti ex itinere contraxerant, fuiſſet impedimento, omnibus, qui vicinis erant in oppidis, deletis, iam tum ab Hiſpanorum iugo noſtras has regiones liberâſſet. Multa præter hæc proferre poſſem, ſed hiſtoriam non ſcribo: virtutes maximi huius Imperatoris mihi ſtrictim percurrendas ſumpſi. ac iam ſatis oſtendiſſe videor, neque in deliberando conſilium, neque in agendo induſtriam in eo vnquàm deſideratam. Sed cùm hæc in Imperatore neceſſaria ſunt, tum id etiā opus eſt, ne in gerendis negociis vlli ſe labori ſubtrahat,

ne pericula declinet,ſed his potiùs ſe nōnunquam offerat. Mirum eſt, quàm is ſemper labores omnes non ſolùm non ſubterfugerit,ſed & vltro appetiêrit. Corpore quidem paruo fuit, ſed ità tamen à natura compacto, vt laborum omnium eſſet tolerantiſſimum. Hoc ille, quod à natura habuerat,ſic confirmárat,ſic exercitatione auxerat,vt vnus eſſet, cui labor omnis voluptas eſſe videretur. Non illū hyemis,non æſtatis vis,non pluuiæ, non venti,non niues, ab incepto vnquam vllo retardârunt: iuxta omnia patiebatur, labores omnes primus ſubibat, poſtremus ab illis deſiſtebat, vel gregarij militis opera nonnunquàm, cùm id res poſceret,fungebatur. Hac re fiebat,vt nemo in toto eſſet exercitu, qui, cùm imperatorem ipſum nulla in re ſibi parcentem videret, non vltra vires etiam omnia toleraret. Audite, audite, præclaram imperatoris veſtri ſuper hac re vocem. cùm ſæpè omnibus iam fatigatis ſolus indefeſſus perſiſteret,admirantibus iis, qui aderant, dicere ſolebat: non perindè ac militem(vt maior etiā eius ſit labor) imperatorem fatigari: ad militem nihil ex labore aliud,quàm laſſitudinem peruenire: imperatoris laborem magna ex parte

leuari ſpe gloriæ, quæ conſecutura indè videretur. O vocem magni indicem animi, eximiæ teſtem virtutis, quæ ſolã gloriam dignum ſe præmium arbitraretur, cætera omnia putaret contemnenda. At verò in periculis ſubeundis, qua fortitudine ſemper fuit? in hoc quidem multorum repræhenſiones ſæpè perpeſſus eſt, qui audaciùs ſe periculis obiicere illum dicerent, quàm deceret imperatorem, cuius conſilio potiùs quàm manu res geri debeat. ſed næ illi parum, quo ſe is tempore periculis obiecerit, conſiderârunt. Non eo inficiàs, imperatoris conſilium, militum manum, in bello expoſci, ſed incidunt tempora, cùm vel maximè imperator ipſe in hoſtes irruere, primùm ſe illis opponere debeat, cùm ſcilicet laborat exercitus, cum ſuperiores ſunt hoſtes.
1. bel. Cal. 19. & 2. bel. gal. 13. Nónne id aliquandò Cæſar? nônne alij ſæpè maximi viri fecerunt? at is ſæpius quàm alij, ſæpius enim aduerſa laborauit fortuna. An (vt alia prætercam) in Abduēſi illa clade, cum omnes in fugam turpiter verſi eſſent, capiendi tum conſilij tempus erat? conſilio ſcilicet inhiberi fuga poterat? & conſilium tamen egregium id dici poteſt, quo vſus eſt, & multis ſæpè profuit. in perdita iam re extremum

tentauit remedium. expertus eſt, an qui aliter ſiſti non poſſent, cùm ſolum illum, aut cum paucis pugnantem viderent, pudore adducti, in hoſtem reuerterentur. Nihil profecit, relictus, vulneribus multis affectus, captus eſt. at nec medici quidem, cùm deſperatæ iam ſalutis ægros curant, & periculoſa adhibent remedia, ſemper proficiunt, at arti tamen ſuæ obtemperant, neque repræhendi debent. anceps ſit conſilium neceſſè eſt, quo profligatis iam rebus ſuccurritur: & nonnunquam tamen benè cedit. Quid proximè? cùm conſerto iam prælio, ac confecto propè, Regi ſuperueniſſet, acerrimè Heluetij incumberent, labarent Galli, ità dubia eſſet victoria, vt inclinata propè Gallorum res eſſet, nondùm exercitus noſter, ipſe tantùm cum iis qui adſunt, ſuis atque aliis admodùm perpaucis adeſſet, nonne audax &, periculoſum facinus aggreſſus eſt? cum paucis illis in confertiſſimos Heluetios irrupit. id tempus exigebat. at irruptio illa Gallos reſtituit, Heluetios in fugam vertit, victoriam demùm Regi faciliorem fecit. Non eſt cuiuſquam præſtare quid eueniat, ſed cùm nihil eorum, quæ rectè æſtimanti facienda eſſe

videantur, prætermiſſum eſt, quicunque ſequatur euentus, laudari is, qui id egerit, debet. Aduerſam illa ſæpe fortunam perpeſſus eſt: nunquàm ſibi ipſe defuit: omnia tẽtauit, omnia expertꝰ eſt: nũquàm ſine vulnere diſceſſit, nõnũquã etiã in hoſtiũ poteſtatẽ venit. Laudari debet, quòd intentatum nihil reliquerit: vacare culpa debet, quod ſucceſſu càruerit audacia.
Sed non in hac ſolùm re fortitudo omnis conſiſtit. magnum quìdem eſt, res arduas præſenti animo aggredi, periculis ſe obiectare, mortem non timere. ſed alia quædam eſt etiam fortitudo, ex qua hæc ipſa, quaſi è radice quadam pullulat. humuna contemnere, caſus omnes deſpicere, nulli homini, nulli fortunæ ſuccumbere, altiorem animum habere, quàm vt obrui iis, qui in hac vita ſunt, fluctibus poſſit, id demùm eſt verè fortem eſſe.
Hoc qui conſecutus ſit, mirum ſi pericula, ſi mortem non timeat. Fuit hæc in imperatore hoc noſtro virtus eximia. humana omnia ſemper deſpexit. fortunæ ictusità excepit, vt animo ſemper eſſet erectior. nũquàm victus eſt, quin validior tanquàm hydra quædam, in hoſtem reſurgeret: vt mihi qui aduerſam etiam fortunam vicerit, nunquàm victus fuiſſe vi-

deatur. Dicet aliquis, ſpe quadam ſuſtentatus eſt: nunquàm ità eſt victus, vt ſe in hoſtem reſumpturum vires non ſperárit. Funeſto illo prælio, quod ad Abduam geſſimus, captus eſt, ſinè vlla exeundi ſpe cuſtodiæ traditus, ibi per quadriennium fuit. Quid intereà? languori ſe dedit? magnum illum animum querelarum ſordibus inquinauit? nihil minùs. Videte qua tranquillitate fuerit: rerum ſuarum commentaria, aliquot de re militari libros, vnum de inſtruendo exercitu, conſcripſit. O fortitudinem animi ſingularem. quod alij nullis curis perturbati, pacatiſſimo in ocio, iucundiſſimis in ſeceſſibus, omnibus deliciis inuitati, vix faciunt, hic qui nageret, non carcer, non mille animum pertentantes curæ, non qui illum, ne quid ſcriberet, prohibebant cuſtodes impedimento eſſe potuerunt. Multa ſcripſerunt de hac virtute philoſophi omnes, verbis illi, hic vitæ exẽplis eam oſtẽdit. Nec verò cæteris omnibus minùs abundauit. Bellicæ, quas hactenùs diximus, virtutes, ſpecioſæ illæ quidem auditu ſunt, nec ſinè illis magnus exiſtere Imperator poteſt, ſed & aliæ tamen ſunt, quæ & maximo illi ornamento ſint, & quanuis media in acie non verſentur, ne-

ceſſariæ tamen admodùm videantur. ac primùm, quãta imperatorem iuſtitia eſſe debet? hęc mater virtutum omniũ eſt, hęc regula. ſinè hac ne latronũ quidẽ cœtus perdurare poſſit. ſumma in hoc fuit. Duo omninò ſuut, quæ iuſtitiã magnopere impedire ſoleãt, odium atq; amor. qui odio adducti, nihil iniuſti egerint, perpauci admodùm: qui amore, multo reperti ſunt pauciores. acriores enim in bonis viris amoris, quàm odij, ſtimuli ſunt. Neminẽ hoc ego vnquàm amicorũ amãtiorẽ noui, neminẽ, qui ſuos omnes magis dilexerit. eouſquè tum amore prouehebatur, vt cùm ſua omnia expoſita amicis eſſent, nulli rei, nulli labori, vt illis obſequeretur, parceret, inter iuſtitiæ tamen fines permanẽdũ ſibi eſſe iudicaret. Magna iuſtitiæ pars eſt pietas. vt ab omni ſuperſtitione, ſic ab omni impietate longiſſimè abfuit. re potiùs, quàm oſtẽtatione vlla, deos coluit. In parẽtis is ſemper fuit, vt, cùm puer adhuc eſſet, nunquàm tamen ceſſandum duxerit, dum Franciſcum patrẽ à Paulo Pont. Max. in cuſtodia iandiù habitum, liberârit. Cùm verò ij etiam, qui animos noſtros rectis excolunt diſciplinis: ij, qui nos inſtruunt, parentum loco ſint habendi, qua pietate Napolio-

nẽ Vrſinũ, ſub quo pueritiã egit, ſemper proſecutus eſt? Audiui ego ſæpiùs huius de illo ſermones: vt optimum virum, vt maximũ Imperatorẽ laudabat, cum ipſa antiquitate comparabat: tam libẽter, tam copioſè de eius virtutibus verba faciebat vt multis, qui aderant, nimius etiam nõnunquàm videretur. Fide, quæ fundamẽtum iuſtitiæ dicitur, qua fuerit, ſi apud a- *1. Offi. 9.* lios verba facerem, mihi vel inprimis dicendum eſſe cenſerem: apud vos, qui eam experti eſtis, qui aliis teſtes eſſe debetis. hoc vnum dicam. multos vos quidem habuiſtis egregios Imperatores: qui tot virtutibus floruerit, fortaſſe nullum, tali fide omninò nullum habuiſtis. non amici illam, non hoſtes vnquàm deſiderârunt. Iam eius liberalitas oratione mea vt cognoſcatur, non indiget. Tot mihi huius eſſe poſſunt teſtes, quot eam experti ſunt. Omnibus patebat, nulli fons iſte claudebatur. id verè ſuum eſſe dicebat, quod alicui donaſſet, id fortunæ iniuriis non ſubiacere, eo ſe cæteris ditiorẽ eſſe ardentiſſimè deſiderare. Multa tũ in priuata, tum in imperatoria vita ſunt, quę ab gerendis negociis interpellent, ſed maiore nihil vi, quàm voluptates. appoſuit illas ſenſib⁹ noſtris quaſi titillationes

quaſddam natura. his cùm indulgemus, cùm frena laxiùs remittimus, ab omni alia nos abſtrahunt cogitatione. Hinc data temperantia eſt, quæ eis moderetur. hæc habenas regit, hæc in gyrum eas rationis cogit, ac nobis obſequentes facit. hæc in Imperatore noſtro ſingularis fuit. Venatione tum, cùm in ocio eſſet, plurimùm delectatus eſt, atque ea quidem variè. Cùm robuſtiore eſſet corpore, in agreſtes ſues ferri, vrſos aggredi, in difficilimis quibuſque exerceri conſueuit. Mox ingraueſcente iam ætate, leporum venationes, falconum aucupia ſecutus eſt. His delectatus, cæteras omnes, quæ corpori atque animo officiunt voluptates, quãtùm potuit, aſpernatus eſt: nunquàm in earum poteſtate fuit. Epulabatur ille quidem lautiſſimè, plurimi ſemper cum illo diſcumbebant, affluebant epulæ omne genus, nihil ad regium apparatum deerat: id ſcilicet ſplendoris opinabatur. ipſe in hac abundantia vno ſemper cibi genere, & eo viliori, veſcebatur. hinc robuſtũ illud & nullis morbis obnoxium, hinc laborum omnium patiens corpus, hinc modico ſatiabatur ſomno, hinc nunquàm hebeti mente erat. Agè verò, quæ clemẽtia, quæ humanitas in illo fuit? in

nullo

nullo vnquã maior. Atque hîc mihi euellenda quædã è multorum animis opinio eſt, quæ è quorundam aut maleuolorum, aut res non rectè perpendentium ſermonibus inhæſerat. crudelitas clementiſſimo Imperatori obiiciebatur, quod multos ſæpè milites morte mulctaret. difficiles ad eum eſſe aditus dicebãtur, quòd ira percitus ſemper eſſet. de crudelitate primùm loquar. Ego, cùm veteres illos Romanos, cum militarem eorum diſciplinã conſidero, hac vna video cæteris eo gentibus præſtitiſſe, hac vna eò perueniſſe, vt iidem imperij, qui terrarum, fines eſſent. non calliditate Pœnos, non Germanos vi corporis ſuperabant. diſciplina vna erat, quæ inuictos redderet. hanc ità tuebantur Imperatores, ità ſeruabãt milites, vt, qui paululùm modò in ea deliquiſſet, nulla ei eſſet pœna recusãda. ob hãc Mãlius ille Torquatus filium iuſſit interimi, & quod admirabilius eſt, filius ipſe, qui ad mortem ducebatur, cùm exercitum pro ſe in patrem ſeditionem parantem conſpexiſſet, compeſcuit, affirmauitque neminem tanti eſſe, vt ob illum corrumpi diſciplina deberet. diſciplinam ille ſcilicet, qua patriæ vitam ſuſtentari credebat, vitæ anteponebat ſuæ. Quid Ap-

pius Claudius? quid L. Paulus? nónne ex iis, qui loco ceſſerant, decimum quenque ſecuri percuſſit? nónne idem mitiſſimus principum Auguſtus? nónne alij Imperatores multi fecerunt? De Manlio non loquor, reliqui omnes ſeueri ſemper, & boni diſciplinæ cuſtodes, nunquàm crudeles ſunt habiti. crudeles habiti eſſent, ſi paucorum quorundam ſalutem patriæ ante poſuiſſent. ignari ſcilicet veteres illi ac crudeles omnes, nos ſapientes ac mites, qui imperatores noſtros, cùm non decimum quenque, vt illi, ſed vnum aut alterum ex toto exercitu, militaribus præceptis non obtemperantem, pœna afficiunt, crudeles arbitramur. Mirum igitur, ſi nos exteræ nationes omnes contemnunt, nobis omnes inſultant. Iam in noſtros fines, non vt ad bellum aliquod periculoſum, ſed vt ad prædam expoſitam veniunt. Pudet, pudet inquam dicere, omnem illam, quæ propria Italorum eſſe dicebatur, virtutem amiſimus. quòd ſi diſciplinam illam veterem ſequeremur, ſi imperatores, qui reſtituere eam iam lapſam cupiunt, non crudeles, ſed fortitudinis ac veræ virtutis reuocatóres crederemus: non audaciùs illi in nos irruerent, quàm nos illos re-

pelleremus. ſemper hic vel in hoſtes ipſos fuit mitiſſimus. prçter eos, qui in ipſo belli furore cecidiſſent, neminẽ vnquàm interemit. ſi è militibus quempiam aliquandò ſupplicio affecit, deliquerat ille, militares leges contempſerat. quod vos, ſi veſtræ hæ vrbanæ leges non ſeruentur, & facitis, & ni faciatis, omnia peſſùm eant: id in caſtris, vbi, ſi non adſit imperatorum metus, vis dominetur neceſſè eſt, fieri non licebit? Solitus eſt Lacedæmoniorum dux Clearchus dicere, imperatorem à militibus magis, quàm hoſtem, metui debere. rectè quidem ille, ſed ego, hoſtem metuat miles, nolim, imperatorẽ velim. Sed de his iam ſatis, pauca de iracundia dicam. Iraſcebatur ille quidem nonnunquam vehemẽtiùs. hoc cùm naturæ, quæ eiuſmodi erat, vt facilè iræ fluctibus efferueſceret, tum voluntatis etiã erat. volebat ille iraſci, vt aiebat, quòd cùm ſe neque corporis proceritate, neque formæ dignitate quadam à natura honeſtatũ videret, ſi facilis ac mitis ſemper fuiſſet, nè contẽptui eſſet, verebatur. iracundia armari ſe quaſi aculeis quibuſdã dicebat. ſed, vt hæc non probetur ratio atque iracundiorẽ illum quàm deceret. fuiſſe cõcedã: quid vnquã ira perturbatus

fecit, quod ſedato etiam animo non feciſſet? Acrioribus vſus eſt verbis. at æqui ac boni terminos nunquam prætergreſſus eſt, nunquàm in bonos viros exarſit, magnam ſemper & iuſtam iræ cauſam habuit. ſi ea caruiſſet, non ille quidem melior fuiſſet vir, ſed omnibus fortaſſe gratior. Atqui cùm ea deferbuerat, quàm affabilis, quàm comis erat? nihil eius conſuetudine iucundius, nihil ſermonibus vrbanius inueniri poterat. Ingenio verò (vt ad id iam veniamus) tam acri fuit vt, cùm literis paululùm admodùm vacâſſet, tam aptè, tam acutè, tam cum omnium liberalium artium peritis, quod ſæpiùs facere conſueuerat, de his ipſis, quæ illorum artibus continentur, rebus loqueretur, vt omnia de illis ſcripta euoluiſſe, omnia excuſſiſſe videretur. Qua in re multùm eloquẽtia etiam quadam admirabili adiuuabatur. Huius tantum ex eius ore flumen profluebat, vt omnes ſecum, quò vellet, raperet. Audiſtis vos eũ ſæpè, Patres conſcripti, & ità audiſtis, vt cùm plurimùm eius oratione delectaremini, animos tamen veſtros impelli, atque in illius ſententiam non inuitos trahi ſentiretis. Fuit hæc Reip. noſtræ perſępè ſummoperè vtilis eloquentia, cùm a-

pud vos, tum verò apud milites maximè: ſi ad pugnã cohortãdi erãt, nemo acriùs incitabat: ſi aliqua de re caſtigandi, nemo grauiùs, nemo ſeueriùs repræhendebat: ſi cõſolandi, nemo lenius ęgris animis medebatur. Multa iam à me de maximi huius viri laudibus dicta ſunt, neque id tamen, quòd maximè ad rem attinet, quantam militaris diſciplinæ ſciẽtiam habuerit, vllo modo prætermittendum eſt. Floruit hæc quodam tempore maximè diſciplina, tunc ſcilicet, cùm veteres illam Romani coluerunt. Multi tunc in ea viri excellentes & clari extiterunt: neque id mirum. omne ſtudium, omnem operam in ea omnes collocabant: eam nõ ſolum quod & opes & honores pareret, ſequebantur: ſed cum variis quotidiè vexarentur bellis, neque vlla perfrui quiete poſſent, neceſſitate etiam quadam ad illam compellebantur. Poſtquam verò omnibus deuictis,* pax Italiæ parta, bella aut nulla, aut longè à domo gerebantur, exareſcere ac collabi paulatim cœpit. Hiſpaniæ, Galliæ, Pannoniæ, extremæ cæteræ Imperij prouinciæ, ſuis quæque legionibus cuſtodiebantur. hæ cum in iiſdem locis diutius permanerent, in externos mores paulatim mutatæ, in his, quæ

*pace.

cuique obuenerāt, regionibus, ad hoc vſque tēpus perſeuerârunt. diſciplinam, aſſiduis bellis exercitæ, non ex toto amiſerūt. In Italia, in qua vel nullæ relictæ legiones, vel, ſi quæ relictæ, lōga pace mollitę, ocio ſe atq; inertię tradiderūt, omnis penitus euanuit. atq; eò tandèm vētū eſt, vt paulò ſupra noſtrā ætatē, quoties bella Italis gerenda eſſent, cōducendus è Germania, aut Pannonia miles eſſet, Itali vel tubarum ſonum atque armorum ſplendorem reformidarent. Noſtra demùm ætate excitari aliquantulum ſopita illa virtus cœpit: ſed pauci tamen, qui antiquam illam diſciplinam ſcirent, inuenti ſunt. Imperator noſter quàm exactè illam calluerit, vel ex hoc conſiderate. Cùm primum Imperator eſt veſter factus, ità corruptum exercitum accepit, vt ad alia omnia potiùs, quàm ad gerēdum bellū idoneus videretur. fecit id, quod in Africa Q. Metellus Iugurthino bello fecit, arctioribus legum vinculis adſtringendo, continuis laboribus fatigando, ordini aſſuefaciendo, grauiſſimam iis, qui locum deſererent pœnam proponendo, ità breui correxit, vt eo & res veſtras acerrimè tutatus ſit, & egregia multa facinora ediderit, & hoſtibus, quibus anteà contēptui

erat,formidabilem reddiderit. Affui ego nuper, cùm per eas iter faceret regiones, in quibus, cùm ob non ſatis perſpectos incolentiũ animos, tum ob propinquos hoſtes multa timenda eſſent: tam cautè incedebatur,ità ordinem ſeruabant omnes, ità ab agmine diſcedebat nemo, ità vel calones ipſi ſub ſuis ſignis ibant, vt ego & Reip. noſtræ maximè gratularer, & diſciplinam iam antiquam illam reſtitutã arbitrarer. Iam verò in reliquis artis huius partibus, expugnandis defendendiſque vrbibus quantus fuit? Nolo nunc vobis, vt ſeptimo ab hinc anno, Carmõtium, Noriciam, Tergeſte, Poſtoniam, munitiſſimas vrbes, in ditionem veſtram redegerit, commemorare: nemo eſt, qui neſciat. Hoc vnum dicam: iam Brixia, iã Verona potiti, eſſetis, ſi ſæuiſſima id nobis mors non inuidiſſet. ſcio quid loquar: coniectura non fallor. nihil illi inuium, nihil ſatis munitum eſſe poterat: omnes aditus, omnes expugnationum modos, omnes aſtus nôrat. Idem ſi aliqua defendenda vrbs eſſet, ità omnibus hoſtiũ conatibus ire obuiam ſciebat, vt nihil in eum tentari poſſe videretur, quòd non irritum fieret. teſtis mihi ſit celeberrima illa Braccani oppugnatio: quam

ità tolerauit, vt, cum vrbs vndique innumeris Alexandri Pontificis maximi copiis, qui Vrſinum nomen delere inſtituerat, premeretur, hic cum quingentis tantum propugnatoribus reſiſteret, non ſolum eam tutatus ſit, ſed & facta ſæpius eruptione, multos trucidârit, tormenta oppugnatoria non pauca abduxerit, ab obſidione deſiſtere demum coëgerit. Sed quid ego aliundè teſtes voco? ſatis amplum mihi teſtimonium præbere vrbs vna Patauium poteſt. nónne hęc ab Hiſpanorum ac Teutonum impetu conſeruata, his deindè ab illo aggeribus, his turribus, his foſſis munita, vt vna omnes omnium vndique gentium exercitus, omnem vim, contemnere, ac noſtræ non ſolum Reip. ſed totius etiam Italiæ propugnaculum quoddam validiſſimum dici poſſit? nónne id docet, nihil in hac eſſe bellorum ſcientia, quod huius ingeniũ ſubterfugerit? tormentis quidem illis bellicis, quibus nos ità antiquitatem ſuperamus, vt his iam ſolis propè bella omnia conficiantur, vrbes certè nulla re magis aut expugnentur, aut defendantur non ſolum optimè vti, ſed & ea qualia eſſe, qua ratione fieri deberent, tam exactè nôrat, vt eorum etiam artifices multa

nonnunquàm ab eo docerentur. Ex his tot ac tantis, quas de vno commemorauimus, virtutibus maximam apud ſuos, maximam apud hoſtes authoritatem cõſecutus eſt. Atque in ſecũda quidem fortuna, maximi ab hoſtibus fieri & vſitatum,& non magnum eſt.hic, cum tertio ab hinc anno infeliciter in Hiſpanos ad Vincentiam pugnatum eſſet, & ſe poſt incommodum illud,Patauium recepiſſet tantæ tamen apud hoſtes exiſtimationis fuit, vt hoc vno vrbem vobis illam conſeruatam putem. en creditis longitudine itineris,viarum aſperitate,timore aliquo noui exercitûs, quòd vrbem ſcirent munitiſſimam,hoſtes retardatos? Nihil horum fuit. non longè aberant, faciles vndequaquè acceſſus erant, omnes veſtras vires in eo,quem ipſi fuderant, exercitu, poſitas ſciebant: vrbs ipſa nondum iis, quibus nunc eſt, munitionibus erat inſtructa. Quid igitur eos deterruit? vnus Imperator veſter, vnus inquam Imperator veſter vobis eo tempore vrbem illam,qua ſpiritum ducitis, conſeruauit. Tanti illum faciebant,vt ęgrè ſe victoriã conſecutos crederent,vrbem verò,in qua ille eſſet, expugnare penitus deſperarent Conſiderate iam ea, quæ à nobis hacte-

n⁹ dicta ſunt: nihil huic, quod ad optimũ virum, nihil, quòd ad ſummum Imperatorem conſtituendum opùs ſit, deſuiſſe inuenietis. Vna deſuit fortuna. hæc cum illo acerbiſſimum ſemper bellum geſſit. Voluit ſcilicet id verum eſſe oſtendere, quod de ea dici ſolet, aduerſam ſæpè cõſilio eſſe. Nunquàm hic non optimè conſuluit, nunquàm iis, quę ad perficiẽdũ id, quod cõſultum eſt, pertinent, caruit: bono ſæpè ſucceſſu caruit. At hoc quidem præſtare poteſt nemo. maiores fortunæ acceſſione virtutes eius fieri non potuiſſent, illuſtriores potuiſſent. nullius vnquàm res geſtæ Imperatoris, ſi conſilio fortuna ſubſcripſiſſet, admirabiliores fuiſſent. Multis ſe illa magnis atque egregiis huius conſiliis oppoſuit, multas cogitationes ab eo, quod deſtinarat, ſæpè diuertit. atque, vt alia omnia prætercam, quis extremo ex hoc actu, cuius maxima, vt quis felix dicatur, ratio habenda eſt, non fortunæ in illum iniuriam cognoſcat? plurimos toto hoc ſeptennio, cùm in miſera illa captiuitate, tũ poſteà aduerſo hoc ac difficili Reip. noſtræ tempore, labores pertulerat, ceſſiſſę iam tempeſtas omnis, atque inducta quædam tranquillitas videbatur: parta

Regi ſocio atque amico veſtro de Heluetiis victoria, Hiſpanis referre pedem coactis, nihil erat, quod à vobis ille quod à Rege ſperare nõ poſſet: iam de illius vos, de ſuorũ ille militum præmiis cogitabat: cùm eccè malo quodam fato, non ferro, tormentorum ictu vllo, ſed quod miſerrimum eſt mortis genus, vi morbi extinctus eſt. O importunam ſortem, ô inuida nonnunquam fata, quantùm aberat, vt Verona ac Brixia receptis, quod vel ſolo eius aduentu fieri poſſe credebatur, nos rebus iam per eum noſtris in tuto collocatis, omnibus eum honoribus, omnibus laudibus proſequeremur: ille gloria quadam immortali frueretur. multo tum illi minus acerba fuiſſet mors. quanquàm eam hac animi fortitudine tolerauit, qua alia aduerſa multa ſolitus eſt perferre. vnicum, & eum nondùm bimum puerum, tres adoleſcentulas, & egregię indolis filias, præclariſſimam ac ſui amantiſſimam vxorem relinquebat, relinquebat hos omnes, qui hîc adſunt, hos à paruulis ipſe diſciplina inſtruxerat militari, hos vt filios diligebat, horum opera in multis bellis vſus fuerat, neque vnquam non fortiſſimos, ac ſui amantiſſimos viros norat;

relinquebat demum hanc nondum in tuto colocatam Remp. non negare ſe dixit, ob hæc omnia ſibi mortem acerbam eſſe: conſolari ſe tamen, quod neq; orba filiorum ætas, neque vidua ac ſine præſidio futura vxor videretur, vos omnes nõ vt tutores ſolum, ſed vt bonos parentes illos amplexuros, hanc protecturos pro comperto habere: ampliſſimum hoc patrimonium, firmiſſimũ præſidium eſſe quod verò his ſuis ea quę à ſe mererentur, præmia reddere non potuiſſet, id ferre ægrius: eam tamen in vobis prudentiam ſemper nouiſſe, vt ſperaret vos eorum virtutem non paru facturos, neque vllo ſumptui parſuros, vt hoc fortiſſimorum iuuenum robur, has vires, Reipub. veſtræ, cui magno vſui eſſe poſſunt, conſeruetis. Vltimum illud, quod, cùm adhuc noſtra eius operã deſideraret Reſp. tum moreretur, id ſibi eſſe grauiſſimũ: ſui quidem nullam curam habere, ſexageſimũ iam annũ compleſſe, ſatis vixiſſe, poſt mortem non dubitare ſibi æternã inter deos ſedem paratam, vnde hæc humana deſpiciens, veram illam ac bonis omnibus affluentem vitam degat. Hæc cùm dixiſſet, iis omnibus, quæ à religione præcipiuntur, peractis, ita tranquillè

deceſſit, vt non aliam in vitam, ſed aliam in domum commigrare videretur: opinione ego illum ſua fruſtratum non arbitror. inter deos ſedet, pace fruitur tranquilliſſima, iam felix dici poteſt: ſed illius infelix domus, hęc me dolore conficit, hæc maximè perturbat, minus infelix puer, quòd, cùm nihil adhuc percipiat, quo patre ſit priuatus, neſcit: an eo fortaſſe etiam magis infelix, quo minus infelicitatem ſuam* ſentit? Infelices certè filiæ, quod & id iam cognoſcunt, & ea ætate ſunt, quæ nullas ad reſiſtēdū dolori vires habeat. infeliciſſima vxor, quæ & filiarum lachrymis affligitur, & quo felicior prius eſſe omnibus videbatur, hoc acrius dolet. Soli vos, Patres optimi, his omnibus vulneribus mederi poteſtis. amplexamini totam domum: nullum, quod pios viros deceat, officium prætermittite. ſic & illi (ſiquis mortuis eorum, quæ hic fiunt, ſenſus eſt) pergratum facietis, cùm ſua ſe ſpe fruſtratum non videbit, & vos veſtrum munus implebitis, ac grati ab oībus iudicabimini: Debetis hoc vos illi multas ob cauſas, ſed ob hāc maxime, quòd ob Remp. veſtram obiiſſe mortem dici poteſt. dum enim nulla ſibi pro illa in re parcit, dum eos etiam, qui

*ſenſit

tolerari nequeunt, libentiſſimè labores ſubit, nullam de ſalute ſua curam gerit: in eum morbum incidit, quo extinctus eſt. Quæ itaque ſuſcipiendorum laborum, eadem mortis cauſa dici debet. Ei igitur qui pro vobis mortuus eſt, reddite, quæ debetis. vitam illi non poteſtis: iis, quibus maximo emolumento erat, reddite. id ità demùm à vobis fiet, ſi filij mortuum patrem non cognòrint, vxor viri præſidium non deſiderarit, ipſius ij, qui adſunt familiares, quæ ab eo ſperabant, à vobis fuerint conſecuti.

Extremum id à me fortaſſe nunc expectetur: vt hunc, quem ex egregij huius Imperatoris morte mœrorem in omnibus video, verbis coner mitigare. Qui ego id poſſum, qui ab aliis ſim conſolandus? ſed abiicienda tamen hæc omnis animi mollities: ſumenda illa virtus, qua hic plurimùm polluit: ferenda ſunt leuiter omnia. omnibus eſt aduerſis caſibus reſiſtendum. Vos quidem, qui eum ſemper ſecuti eſtis, qui eius ſemper virtutum ſpectatores fuiſtis, hoc vel imprimìs decet. turpe eſt vobis, qui nullos vnquam hoſtes, nulla tela, nulla mortis pericula reformidâſtis, nunc dolori manus dare. Indui-

te illam animi fortitudinem, quæ fortiſſimis, & quales vos eſtis, viris conuenit. An ſi vel paucis vobis in confertiſſimos ſit hoſtes irrũpendum, in inſtructiſſimas mille acies incurrendum, iubente id Imperatore veſtro recuſetis? Noui ego vos, noui animorum veſtrorum fortitudinẽ, noui amorem, quo illũ proſequebamini: ne morte quidem propoſita abſterremini. nunc, cum idem ille Imperator veſter iubeat, ne diutius doleatis, morem nõ geretis? iubere autẽ id illũ, ſi quis totã ab eo actam vitam conſideret, ſi vos pręcepta ea, quæ quotidiè auribus veſtris inculcabat, recordari velitis, ita nulli dubiũ eſſe debet, vt hoc vno dolore veſtro vel maximè eius quietem perturbari putem. ferrei profecto fuiſſetis, neque humani quicquam in vobis fuiſſet, ſi hac tanta calamitate accepta, non ingemuiſſetis. Sed iam dolori indultum ſatis: nunc omnẽ eius vim in hoſtem conuertite, ite, Reip, ſubuenite: eumq́, quem debetis imitamini nolite committere, vt Imperatoris morte languidiorem militum virtutem factam, hoſtes gaudeant, nos triſtemur: ad hoc vos dolor incitet, ad hoc impellat. Vos vero reliqui omnes, qui adeſtis ciues, & horum, & aliorum, qui vobis adſunt,

virtute confiſi,de Rep.nihil dubitate, & omnem,quem ob hāc cauſam concepe-ratis,dolorem deponite.illius etiam cauſa non eſt, quod doleatis. bene cum illo actum eſt: ex miſera hac vita in æternam illam ſublatus,bonis omnibus fruitur. Neque verò,cùm rectè cōſidero,cuiuſquam mihi deflenda mors videtur. tantúmque abeſt,vt eum,qui ex hac vita celerius commigrarit,infelicem iudicem vt eo etiam feliciorem putem, ſi quis ſæua quadam in mari exiſtente tempeſtate, multis ſimul ſoluentibus, quam celerrimè omni ventorum vi, omni pelagi impetu ſuperato, in portum, quo curſum direxerat,prouehatur: nónne is feliciſſime iter ſuum confeciſſe dicendus? reliqui,quo diutius commorentur, eo infeliciores habendi ſunt? Ita profectò ſe res habet. Simile ego quoddam in vita hac noſtra reperio:nihil illa aliud eſt quàm in proceloſo quodam mari nauigatio.ægritudines,* mollitiæ ,calamitates,aduerſa alia, quaſi huius vitæ tempeſtates dici poſſunt:portus ipſe, quo curſus omnibus dirigendus,mors eſt. Cur igitur qui in hunc portum ex illis fluctibus celerrimè nauigarit, non eo haberi felicior debeat, quo citius tot malis ereptus,in

** modeſtiæ*

ptus, in tranquillo conſtiterit? Non probatur hoc ita vobis fortaſſe, vt felices eſſe cupiatis. non probetur ſanè, at eos tamen, qui eo peruenerint, nō luctu proſequamini, ſed felices ducite: ac, ſi de vobis bene promeriti ſint, nō lachrymis, ſed diuinis honoribus colite.

IN FVNERE *FRANCISCI RVBRII Apud Venetam Remp. Oratoris Regij,* *Victoris Fauſti Oratio.*

VEllē, ſi fieri poſſet, Illuſtriſſime Princeps, clariſſimi ac ornatiſſimi Patres, vt, quantum mihi ad dicendum ſtudij, quantúmque voluntatis ad ea præſtāda, quæ de me hodie tanta funeris celebritate requiri ſentio, tum ampliſſimi conſeſſus veſtri maieſtas, tum coronæ iſtius quam attentè adeò ad audiendum ſtare videtis, frequentia dignitáſque iniecit, tantum etiam facultatis in præſentia ſuppeteret, aut certè alicunde meæ tenuitati adiungeretur. Sed quoniam vſu venit plerunque, vt non continuo, quantum quiſque contendat, tantum etiam poſſit: reliquum omnino, atque item pareſſe arbitror, vt ſicubi, fortaſſe patum ego tantę

concioni ſufficere videbor, non nihil tamen adiumenti à vobis ac veſtra bonitate, veſtráque humanitate recipiam; atque ita vos, qui munerihuic ad honeſtiſſimos ſemper homines deferri ſolito, me parem eſſe cenſuiſtis, veſtram de me opinionem veſtrumque iudicium, interim benignè audiendo, approbetis. Cùm enim & Franciſci Rubri Oratoris* Regij, conditionem, quem à me hodierno die, more maiorum, laudari voluiſtis, * & loci huius, in quem aſcendi, grauitatem intueor: id genus omnia mihi vndique occurrũt, meóſque ante oculos obuerſantur, vt non dubitem, quin non modo non ingenij mei paruitas, & exilis admodum ac imbecilla oratio, magnitudini eorum ſatisfacere queat paréſque oneri vires afferre, ſed nec vberrima quãuis eloquentiſſimorum hominum dicendi copia, ſine aliqua prudentiſſimarum atque adeo elegantiſſimarum, quæ veſtræ ſunt, auriũ offenſione, ſingula percenſere numerando, nedum quicquam exornare dicendo, poſſe videatur. Et certè omnia quæ huic ampliſſimo viro natura, aut fortuna, ad ornamentum ac dignitatem cõmodúmque aliquod largita eſt, eadem mihi ad dicẽdũ maximas difficultates hodie af-

*Regij, quem

*conditionem, &

ferunt. Ná, ſi vel patriã duntaxat reſpicio eam omniũ penè Chriſtiani nominis nobiliſſimã video: ſi genus, id cũ paucis illuſtre atque egregiũ eniter. ſi vitæ inſtitutũ & quæ hominis propria ſunt, cõſidero: tã longè lateq́ue virtutũ eius amplitudinẽ patere intelligo, vt prope ad vltimos illos humanæ ſortis fines pertinere facilè iudicem. Prætereà, quæ in eo ſuprema fortunæ benignitas apparuit, vt nulla diuturnioris morbi vi, ac velut longioris egrotationis obſidione quadam victus, ſed repente propemodum improuiſo pene incurſu oppreſſus, obierit, vt multos illi dolores ſpatij breuitate detraxit, ita mihi omnem fere, quantum in ea fuit, ad commentandum induſtriam abſtulit, diligentiámque temporis anguſtiis interceptam ſecluſit. Quare feci, quod in repentinis præliis Imperatores facere conſueuerunt, vbi hoſtes aut ex inſidiis erũpunt, aut à tergo lateribúſve inexpectati celeriter aduolant. ij enim, tametſi omnem ex occaſione aciem inſtruunt, ſuos tamen protinus, quàm anguſtiſſimè poſſunt, in vnũ cogunt. ita ego ſtatim cùm primo huius obitus nuncio iuſſúque veſtro me in breuem quẽdam velut orbẽ collegi, orationémque meam in paucas

conieci, vnde, quoniam poſtea ſignum veluti quoddam huc adeundi iam iam expectanti mihi, locum (vt ita dicam) aut ordines mutare non licuit, iiſdem, quibus ab initio conſtiteram, ceu veſtigiis inſiſtens, ſatis eſſe hodie arbitrabor, quædam quaſi capita maximarum huius viri laudum attingere: quum etiam interim minutiſſima quęque perſequi, in quibus tamen nonnunquàm virtus ipſa & officium emicat, hominis alienigenę conditio, nobis fama tantum nota, prohibeat: & quia, vt nemo ignorat, non parui admodum refert, quo quiſque loco ſit natus, propterea quod primo lucis intuitu, primóque illo hauſtu ſpiritus de ſuo cælo virtutum ſemina quædam contrahere, ſimulque ad laudis & gloriæ ſtudium celebritate maiorum ac fama quilibet excitari videtur, à patriæ nobilitate commemoranda initium faciam.

At, quanquam ſitu ac feracitate, & iis omnibus, quæ regionũ optimarũ propria ſunt, Gallia nulli terrarum cedit, eius tamẽ maximũ decus atq; ornamẽtũ in viris, quos omni fermè virtutũ genere prædítos procreet, poſitum eſſe animaduerto. Neque enim proceræ ac directæ in quincuncem arbores, viridariáque &

amœni fontes, atque vmbracula, aut molibus excluſum mare, flumina pontibus iuncta, turréſque ac mœnia ipſa magnificentiſſimè conſtructa vrbes potius videntur ornare, quam hominum fortitudo ac probitas: quippe vt aues conditionis & naturę ſuæ argumentum nidificandi opificio præbent, ita etiam in oppidis ac regionibus ampliſſima quęque ædificia nihil niſi hominū præſtātiā indicāt. Mitto autē primos Galliarū colonos pariter atque indigenas, multò antè rem Romanam magnitudine imperij nobiles, & quæ infiniti propemodum rerum ſcriptores de geſtis eorum per varias temporum ſucceſſiones memoriæ prodiderunt. De iis tantum loquar, quæ noſtra potiſſimum ætate vigeant, & quæ peragrata ſuperioribus annis maiori ex parte Gallia, poſſum etiam ipſe teſtari. ac vt ab infimis orſus, ad altiora paulatim aſſcendam, tanta eſt in iis terris agricolarum induſtria, tantáque opificum ſolertia, vt aduerſo quātunuis cælo, & anni tempeſtate iniqua nuſquam ferè tamen lautius viuatur, viliſſimáque ſit ſemper annona: veſtimentorum verò ac domeſticæ ſupellectilis copia, nullibi maior trans alpes elegan-

tiórque reperiatur. Qui autem mercaturam exercent, atque in emporiis & foro conſiſtunt, aut aliter negociando viuunt, vrbanámque multitudinem explent, fidẽ ác promiſſa vel maximis emolumentis violare turpiſſimum putant, atque non ſolum inter ſe, verum etiam cum reliquis quoque nationibus hilares & iucundi, humaniſſimíque ac maximè hoſpitales exiſtunt: vtpote qui more quodam patrio, non dolis, non fraude, ſed plurimum virtute ac rerum dignitate nitantur. At honeſtioris ordinis hominũ quũ duo ſint genera, qui literis aut etiam vna religioni colendę vacant, ſic ſeſe totos ad ea ſtudia conferunt, vt, quum theologiam ſibi multos antehac annos ferè vniuerſam Parrhiſij vendicarint, nunc etiã in omni literarum genere, tum multitudine tum excellentia hominũ, & Græcè & Latinè doctiſſimorum, cum Italia bonarum ſemper literarum altrice contendant. Qui militiæ ſtudent, tantam in equeſtrem artem, quæ nobilibus digna ſemper & vbique habita eſt, à teneris annis operam impendunt, vt grauiſſimam quamuis armaturam perinde tractẽt, vt, quicũq; ipſos adſpiciat, ferrũ illud nõ extrinſecus additũ, ſed quaſi vna cum eis

natũ, vt cum piſcibus ſquamas, aut cum auibus plumas, exiſtimet. proindéque ob antiquam militaris diſciplinæ ac bellicæ artis gloriam, tantum ſpiritus concipiũt, tantúmque in præliis audent, vt Gallum equitem auerſum vlli vnquam hoſtium videre non liceat. Iam Regia dignitas (quoniam ex capite reliqua etiam membra qualia ſint, facilè dignoſcuntur) eiuſmodi eſt, vt, quemadmodum à Græcis olim Perſarum, ita Gallorum à nobis hac tempeſtate per excellentiam quandam Rex poſſit vocari. non maiori profectò cum veneratione alibi numina coluntur, quàm Rex ille ſuis in terris ſuſpicitur. nec ab re tamen, aut parua de cauſa. ſiquidem primum tantis opibus pollet, tótque ac tanta, quibus ſuos aut alienos item de ſe benè merentes donare queat, poſſidet, vt faciliùs aliquando, qui petant, quàm quid det ipſe, deficiant. deinde, tanta munificentia, liberalitatéque vti conſueuit, vt non ſolum infinita propemodum templa ornatiſſimis cœnobiis adiuncta, largíſque prouentibus locupletata, verùm etiam penè innumerabiles literatorum hominum ſcholæ ac publica pauperum domicilia non in Gallia modò, ſed & alibi quoque, vt Romæ, ne

quid longius aut ex ignotis petatur, diui Michaëlis ędes & hoſpitium, quod nunc ſancti Spiritus, vocant, in eius teſtimonium viſantur: tot etiam Gallorum Regum donaria partim voto, partim ex manubiis toto orbe terrarum, quà Chriſtiana quandóque religio patuit, ad omnia penè delubra propendeant, tótque ab eis Chriſti nomine paſſim erogata olim fuiſſe conſtet, vt, ſi reuiuiſcant illi, ſuáque repetant, periculum ſit, ne multorum patrimonia ſoluendo eſſe non poſſint. Tot præterea Chriſtiani nominis captiui, quotannis Gallica pecunia miſſis in Africam, atque item aliò ad Sarracenos legatis, ex veteri conſuetudine ac inſtituto nunc quoque redimātur, vt tantam liberalitatem, tantámque magnanimitatem humanum ingeniū vix capere poſſe videatur: quum plerunque ex hoſtico multi Cantabri & Lacetani, Liguréſve, aut alij, ad ſuos incolumes remittantur: tot inſuper Gallicis in regionibus immenſa propè nemora lapideis ſeptis circundata, partim amœniſſimè cōſita, partim omnis generis beſtiarū copia referta, tot inſtructiſſimæ villæ difficili nonnunquam loci natura ſumptibus euicta poſitæ, caſtelliſque munitæ tot vrbes aut

in maius reſtitutæ, aut etiam ad ſitus opportunitatem fundatæ, ad omnia fermè itinerum diuerticula reperiantur, tot deniq; alia operoſiſſima ædificia, cuiuſmodi ſunt inter minima latiſſimæ illæ ſcalæ ad multa millia graduum marmore importato extructæ, quæ Rhotomagi ab oppido ad phanum vſque pulcherrimum in montis cacumine poſitum pertingũt, varia extent ſpecie vetuſtatis, vt nemo non ad paſcendam plebeculam, ea omnia Regum beneficentia quadam potiſſimum inſtituta fuiſſe cognoſcat. Domeſticam verò magnificentiam Regis illius, & cohortis vniuerſæ ſplendorem, ij certè nequeũt ſatis mirari, qui & alios quoque regios apparatus alibi peregrinando viderunt. Plura mediusfidiùs ille hominum millia ſuis ſumptibus alere ſolet, quàm quot ea ſint, quibus nonnulli ex aliis præſint. quin etiam, quod ſanè maximum eſt liberalitatis atque humanitatis indicium, nemo vnquam repertus eſſe dicitur, cuius fidem aut diligentiam laborémve ſua cauſa ſuſceptum, qui quidem paulo inſignior fuiſſet, irremuneratum Rex ille reliquerit. Si quis autem antiquitatis memoriam parumper animo complectatur, pauca admodum totis li-

terarum monumentis inueniet, quorum dignitati Gallica arma concedant. Nam quid ego Bellouesum Mediolani fundatorem, & circumpadanæ huius regionis coloniarum authorem, aut Brennũ, tantum non totius quandóque orbis terrarum domitorem, commemorem? quando poſt Clodoueum, qui primus Chriſtianam religionem ſuſcepit, tot in Sarracenos terra maríq; Gallorum Regum expeditiones legãtur, vt nemini dubium fiat, quin, niſi aliquandò ea natio reſtitiſſet, breui vniuerſum Chriſtianum nomen interire potuerit. vnde tantus adhuc etiam ex Gallicis armis Chriſtianæ religionis hoſtium mentibus terror inſedit, vt, quum non multos ab hinc annos Carolus Octauus per Apuliam iter faceret, omnem Macedoniæ ſimul & Epiri atq; item Græciæ oram defenſoribus nudatam Turcæ reliquerint. nempe, vt alios pientiſſimos Reges omittam, Pipini & Carolorũ, Martelli præcipuè, ac Magni, Ludouicíque in Chriſtianam rempublicam ea ſunt merita, vt Chriſtianiſſimi appellationem ſibi omnis poſteritas iure optimo vendicârit. Tam autem longè latéque rerum ab eis geſtarum fama percrebruit, vt cunctos ſimul Chriſtianos

cis mare poſitos, hodie etiam Francos Aſia omnis atque Oriens totus appellet. At verò, quantæ pietatis, quantæque benignitatis ac magnificentiæ fuit, legibus cauere, vt ne cuíquam penitus non Chriſtiano locus eſſet in Gallia, Chriſtianus autem nemo omnium ſeruus exiſteret? quod ſi quis tamen aliunde perductus, in eius fines aliquando veniſſet, ſtatim illi vindiciæ ſecundum libertatem darentur? Multa quidem hac in parte prætercam neceſſe eſt, dum non modo incredibilis penè magnitudo eorum, dicendi facultatem obruit, ſenſúmque interim obtundit, ſed & memoriam quoq; nimia multitudo fruſtratur. Verùm id iam æquo animo patiar, quod ſcilicet omnia id genus eſſe intelligo, vt etiam ſingula ſeorſum conſtituta, qualibet prorſus admiratione maiora eſſe videantur: ac proinde non aliter, quàm lumina rariùs aliquanto diſpoſita, longè meliùs eluceſcant. Quid enim, quòd, quum apud alias gentes paucorum ſiue conſilio, ſiue temeritate, aut etiam fœminæ alicuius nubentis arbitrio, alij atque alij Reges externi plerunq; ſuccedant, in Gallia ſic ſapientiſſimè omnia legibus adſtricta ſunt iam inde à Pharamũdo Rege Francorũ

primo, vt idiotæ omnes ac mulierculæ etiam, quiſnam ſibi Rex futurus ſit, facilè nouerint? quæ res profectò id efficit, vt primùm nullæ factiones, ſtudiorum varietate obortæ, vulgi diſſidium faciant, nulla ſeditio, principum & populi conſenſum labefactare, ocium ac tranquillitatem affligere, quietem cõuellere, ſummúmque illud gentium omnium in bello præſidium, in pace ornamentum, quo vel vno multitudinis cuiúſque ſalus continetur, parendi voluntatem poſſit auferre: deinde, quum nec virtutis remuneratorem, nec improbitatis vltorem ſibi defuturum videat, nemo vllum fortunæ caſum pro Regia dignitate ſubire dubitet, atque item exteræ nationes, quæ aliqua prudentia valeant, ſibíque rectè cõſulant, Regum eorum amicitiam, vtpote perpetuò duraturã, & quæ nulla vnquam ſucceſſione perturbatum iri poſſit, cæteris anteponant. Et quanquam præſentibus magis mouemur, & quæ adſunt, meliùs cognoſcere poſſumus, attamen quũ priſca nouis ac recentibus vetera diligentiùs confero, Franciſcum Regem, qui hodie viuit, magno vobis cùm neceſſitudinis & beneuolentiæ vinculo coniunctus, totius propemodum antiquitatis

inſtar eſſe reperio. Neque enim in eo quiſquam Caroli vires, non Claudij aut Philippi ſpeciem formæque dignitatem, non Theodorici conſilium, non Vgonis ingẽtem ſpiritus vim, non Ludouici magnanimitatem pietatémve deſideret. iuſtitiam verò eius ac temperantiam Gallia omnis prædicat. fidẽ voſmetipſi probè cognoſcitis, eámque conſtanter adeò mutua, vt ita dicam, opera cuſtoditis. Inuictum autem robur, animíque præſentiam ac fortitudinẽ, & (quod extremum natura homini præſidium dedit) in periculis audaciam, non ſolum hoſtes inopinato irruentes audacter reſiſtẽdo auerſi atque deuicti, ſed etiam feræ aliquot imperterrito quodam ipſius vigore extinctæ declarant. Rurſus clementiã, moderationémque ac benignitatem ingenij, cùm alia multa, tum id potiſſimum teſtatur, quòd ſuperioribus annis, quum Heluetios ferociſſimam gentẽ vno prælio debellâſſet, neque quicquam ampliùs impedimenti reſtaret, quo minus totam Italiam, ſi libuiſſet, peruaderet, tantum abfuit, vt ſe alieni cupidum oſtenderet, vt eos etiam, quorum arma in ſe haud dubiè mota eſſe cernebat, blandè tamen appellare, atque in amicitiam recipere

non grauaretur. cui ſi aſpera Chriſtianæ Reip. fata maiorem authoritatem non denegâſſent, fortaſſe in præſentia de ſuo potiùs agro, quàm de Pannoniis finibus immaniſſima illa Turcarum barbaries cogitaret. Itaque de Frãciſci Rubrij laudibus, vt breui multa complectar, quemadmodum loci huius & veſtra grauitas poſtulat, id tantùm dicere ſatis eſſe cenſeo, quod à tanto Regi in conſilium iampridem adſcitus ſit, ac ſimul patriæ ſuæ, Mediolaníque ſenator factus, quę dignitas non niſi probatæ virtutis hominibus in Gallia contingere conſueuit: deinde, quòd Archiducem (vt vocant) *Burgundiæ, regius magna cum authoritate Orator adiêrit, poſt Heluetios ad Galerate oppidum tumultuantes, mox ſummum Pontificem, poſtremò Venetum Senatum communis fortunæ ſocium atque participem: cuius ſapientiam nullus eſt tam longinquus populus, támque recondita natio, quæ non miretur. Nimirum vulgaris quædam laus non eſt, principibus viris placere. quippe rarò admodum principem iterùm fallere quiſpiam poteſt: quandoquidem, vt vulgò dicitur, magiſtratus & prouinciæ ſuæ adminiſtratio, vniuſcuiuſq; ingenium indicat, &

*Auſtriæ

quæ in priuatis alioqui diu latêre potuiſſent, publico ſtatim ceu lumine illato, mirificè detegit. Si igitur hic tanto Regi ob integritatem præcipuè fidémque ſingularem tantopere placuit, non meherclè video, quid excogitari à quoquam poſſit hac, tam ampliter ſumma quæque in ſe complexa, ornatiſſimi huius viri laude præſtantius: niſi quis fortè rerum adeò ignarus ſit, vt putet Regem illum, qui tot hominum millibus præſit, ignobilem aliquem dubiæque virtutis, cuius vita in obſcuro ad eam diē poſita latuiſſet, tanti facere, tantíſq; honoribus proſequi, ac tanto muneri obeundo, quātum Oratoris eſt, deſtinare voluiſſe. Haud equidē vereor, ne, ſi vel vnum hoc duntaxat dixerim, Franciſcum Rubriū Frāciſci Regum omniū maximi, conſiliorū participem atque adminiſtrum, ſummis de rebus ab eo Venetias, hoc eſt, in eam ciuitatem, quæ ſapientiæ domiciliū, ſedéſque prudentiæ ſemper ſit habita, & cuius amicitiam is magno ſibi præſidio eſſe intelligeret, fuiſſe legatum, quaſi Datim alterum Athenas à Dario, quiſquam illum à me parùm aut frigidè laudatum obiiciat, ac propterea longas aliquas narrationes, Rhetorum pigmentis diſtinctas,

aut quaſdam quaſi laudum variis è fontibus ductarum corriuationes, in meo ſermone deſideret, quaſi verò numeranda potiùs, quàm ponderanda ſint, quæ vnaquaque in re dici debeant. Vt enim Athenis Phocio ſententiã dicere ac concionari ſolebat, qui ſolus Demoſthenis vim ſua grauitate ſæpiùs infringere potuit, ea demum optima eſt dicendi forma, quæ, ſi cauſa patiatur, paucis multa compræhendat, quemadmodum in *numis ij pręcioſiſſimi habẽtur, quibus materiæ dignitas, metallíque præſtãtia, non magnitudinis ratio authoritatem concilieт: contráque viliſſimi, qui plurimum loci occupent. quocirca ſi nemo non aureum vnum decem aëreis anteponat, ſatis vtique eſſe poteſt, vnam, quæ maxima putetur, ex omnibus ampliſſimi huius viri laudibus dicere, ac eo etiam magis, quod videlicet eiuſmodi ſit, vt nulla cõmendatio virtutis alicuius, aut officij queat reperiri, quin eam ipſa, vt vera ſolidáque laus apprimè contineat. Quid nanque ex illa vndique abſoluti hominis quaſi ſumma detrahi poteſt, quin, ſi id oratori deſit, tota eius officij ratio ſubuertatur? Principio enim, qui oratores ad exteras nationes mittantur, ea corporis

poris habitudine ac forma eſſe debent, vt, ſi minùs ſpecie antecellant, ſtaturáve cæteris præſtent, ac certè nihil in ſe nec diſtortum, nec debile, aut diminutum habere videantur: tum, quod longinquis in regionibus ciuitatis cuiúſque ac populi exemplar veluti quoddam ex vno tantum eius oratore ſpectatur, ridiculíque ſæpè vulgò fiunt, ac dignitatẽ amittunt, quos natura potiùs quàm caſus aliquis deformârit? Contrà autem, multi plurimùm ſibi gratię ſola venuſtate conciliãt: tum, vt frigoris & caloris vim iuxta pati, inediámque ac ſitim tolerarè, & reliqua itinerum aut nauigationum incommoda ferre valeant: nobilitatem aliquam vel à maioribus acceptam tueantur, vel à ſe partam retineant neceſſe eſt: quoniam principes omnes, mediocriter etiã ſapientes, non ita temerè ſe illis credunt, ſuáque arcana committunt, quos nullo antè actæ vitæ pudore impeditos, ab officio atque honeſtate receſſuros facilè ſuſpicantur: nullis vitiis, & præſertim inſignioribus, notari conuenit, ſed contrà potiùs literis & bonarum ac liberalium artium, ſi fieri poſſit, omnium cognitione ornari: partim, ne ſibimetipſi apud ſuos authoritatem tollãt, fidémque

minuant:partim,ne illis, quibuſcum negocientur, odio ſint, aut certè ludibrio. Tanta autem ab eis dicendi facultas exigitur,vt non ſolùm commodè,quicquid velint, eloqui poſſint, verùm etiam ſeſe totos ſermonémque ſuũ ita componant, vt cum ſenioribus ſenes,cum iunioribus vero interdum iuuenes, non infra ſuam grauitatem eſſe videantur: ídque perinde,vt tamen ex æquo ſumma eloquentia cùm eo, quod nullis præceptis traditur, tacendi artificio, id eſt, opportuna taciturnitate, contendat. Prudentia quoque tanta, vt nihil amori aut beneuolentiæ cuiuſquam, nihil odio aut iracundiæ tribuant,ſed omnia vbique ad ſui principis ſuíque negocij vtilitatẽ callidè referant. Tanta denique diligentia, tantáque ſolertia,vt æquè ac in vigilia quadam poſiti, cunctis quæ accidant, ſubinde aures atque oculos adhibere, nihílque improuiſum omnino, aut non diu meditatum in animo habere ſtudeant. quæ omnia ſi in hoc fuiſſe cumulatiſſima vel ex eo poteſt cognoſci, quod à ſummo Rege maximis de rebus ad ampliſſimum ſenatum allegatus ſit, nihil eſt ſanè, cur ego, hac firmiſſima laude diffiſus, ad alias quaſi confugere videar. Huc etiã accedit,quod

ſi tanti Principis maieſtate, atq; iſtis auribus abuti velim, dum quippiam vel ocioſum, vel omnino redundãs longa nimis oratione perſequar, quantùm in eo erroris admittatur, aut non agnoſcere ſtulti, aut negligere furioſi eſſe videatur. Etenim, quid attinet in excellenti ſpectatáque virtute, progreſſus & incrementa reſpicere? &, quæ iam maxima eſſe videamus, vnde aut quo pacto aucta ſint, quærere? profectò ſi nunc Franciſcum Frãciſci huius patrem, lectiſſimũ virum, itémque Tangilem de Caſtello auunculum, magnum olim apud Armoricos (vt vocant) magiſtrum, & Ruſcinonis præfectum, atque ob egregiam fidem animíq; robur eximium, Regis ſodalitate, quę diui Michaëlis dicitur, dignatum, ſuis laudibus ornare, ac eorum benefacta ſingulatim recenſere inſtituam, atque etiam, ſi, quanta cum diligentia & omnium ſpe hic, Toloſæ, aut Bononiæ, aut Ticini, aut demum Patauij vtriuſque iuris ſcientiæ operam dederit, ac propterea, quum eſſet iam eius peritiſſimus, quãta cum laude in Senatum Parrhiſienſem lectus ſit, velim commemorare: perinde erit, ac ſi pulchrum aliquod pomũ, ex optima primùm arbore, deinde in horto quopiam

egregiè culto natum, demonſtrare contendam: aut ſi picturam aliquam ſingularem, non niſi ab excellenti artifice optimis coloribus, penicillis item factã eſſe, coner oſtendere: quum præſertim apud eos verba facta, qui comitatem eius, animíque candorẽ, annũ iam & ampliùs, quotidie perſpexerint, prudentiam verò ac dexteritatem, his temporum difficultatibus experti probârint, & denique, omnium eius virtutum aliis teſtimonium præbere ampliſſimum queant, ac etiam nemo ferè hac tota in vrbe reperiatur, aliquo aut ingenij aut virtutis indicio notus, qui eius bonitatem facilitatémq; teſtari non poſſit. Vt enim ex præſenti rerũ ſtatu qualia futura ſint, quæ conſequantur, non quilibet ſtatim, ſed prudentiſſimus quiſque tantum rectè ſolet coniicere: ſic, quę anteceſſerint, qualia fuerint, præſentium intuitu, ipſum etiam vulgus hominũ coniectura facilè colligit. Quapropter, eo iam veniam, meámque orationem conuertam, vt vos à mœrore, quem ob amiciſſimi hominis mortem meritò concepiſtis, reuocem. quanquam tot ſimul ſapientiſſimos viros, tantæque prudentiæ principem admonere, nec mihi ſumo, nec alterius cuiuſquam eſſe cen-

ſco. Etſi enim hic vobis chariſſimus vel ea imprimis de cauſa & eſſe potuit, & certè fuit, quòd Franciſci Regis memoriam, quem tanto ſtudio colitis, identidem nominis ſimilitudine, ceu quadam imagine renouaret, dolēdúmque in tam graui vulnere, nemo poteſt negare: videtis tamen ipſi, mortales omnes ea lege naſci, vt ſatis aliquando concedant. Quæ res, vt omnibus tandem multarū ærumnarum, multarúmq; miſeriarū finis manifeſtò eſt, ita bonis virtutéque præditis, qualis hic fuit, veræ ac perpetuò duraturæ felicitatis initiū eſſe creditur. & quoniā nihil in humanis omni ex parte beatum reperiri poſſe dicatur, vnaquaque in re damna cum retinentis ac cōmodis interim ſuſceptis, compenſari debere intelligitis. Atque ideò, licet Franciſcus Rubrius parum admodum vltra quadrageſimum ætatis annū vixerit, tamen quòd Regis quaſi perſonam ſuſtinens, ampliſſimis iſtis exequiis, & aliis item honoribus hodie à vobis, hoc eſt, à tot (abſit dicto inuidia) Regibus, cumulatiſſimè ornatur: reliquum eius vitæ ſpatium, quod quidem in incerto eſſet futurum, certiſſima tanti honoris celebritate, qui finis vitæ optimus ſit, ſcitis eſſe penſandū, pro-

pterea, quũ ille, apud Venetos in Armoricis, quæ ciuitates Oceanum tangunt, & hodie Britonum nomine veniunt, nobiliſſima ex familia, per mille trecentos abhinc annos tota Gallia diffuſa, atque etiã in Italiam propagata, Acrimellij ortus ſit, operam datis, vt itidem apud Venetos Italiæ quàm honeſtiſſimè funeretur, in dubio videlicet relicturi, vtrùm ille, ſi hæc videat, aut aliquo ſenſu percipiat, Venetus Armoricus ob vitæ initiũ, an Italicus ob finem, tantámque magnifici adeò funeris pompam, velit deinceps appellari. Quum enim omnes in hãc lucem non aliter ferè, quàm in theatrũ hiſtriones, breui ſcilicet tẽporis ſpatio ad ſuum quiſque actum peragendum, à ſapientiſſimo certè neſcio quo velut chorago introducamur, ac rurſus etiam, citiùs tardiúſve, prout quiſque ſuas partes peregerit, in æternum quoddã ſilentium educamur: vt nihil honore, qui virtutem atque honeſtatem neceſſariò cõſequi ſolet, optabilius aut maius homini poteſt accidere, ita nihil prohibet, quin eam potiſſimum ſibi patriam iure ſuo quilibet dicat, vbi honeſtiſſimo functus munere, plurimùm honoris, plurimúmque laudis & gloriæ ſit aſſecutus.

Pergite igitur Veneti, Venetum ornare, ac reliquū funeris ducite, veſtræ charitatis, tantíque iſtius officij teſtem, dum vixerit, Ægidium, defuncti ipſius fratrē, illuſtrem virum, & in Britonibus Præſidem, atque item vniuerſum Galliæ regnum perpetuò habituri, deóſque inſuper immortales, qui vos ab omnibus incommodis immunes, vt hactenus ſæpè fecerunt, pro veſtra pietate ſeruabunt.

IN FVNERE BENEDICTI RVGII, ALfonſij Neapolitanorum Regis apud Venetam Remp. Oratoris, M. Antonij Sabellici Oratio.

AEquum fuit, & maximè optabile, Princeps, & patres optimi, vt Clariſſimus vir Benedictus Rugius, quem Alfonſus Rex inclytus his paucis menſibus oratorem ad vos miſit, quemadmodum publico & priuato ſtudio fuerat exceptus, comiter in curia appellatus, vbique benignè cultus, ita hodie, ſuæ legationis munere feliciter functus, incolumis ad ſuos remearet: vt, quantuſcunque honor à vobis illi tribuendus erat, viuo potiùs quàm defuncto tribueretur.

Etenim dignus erat, qui ampliſſimis hinc honoribus ornatus dimitteretur, dignus, qui ob egregias animi dotes longiorem vitam ſortitus eſſet, diutiúſque humanis rebus interfuiſſet, ac tãdiu, quoad Regiæ maieſtati, cui meritò gratiſſimus, fuit, vniuerſo regno, patriæ neceſſariis omnibus vtilis eſſe potuit: potuiſſet ſanè viuens ſemper, nunquam enim non virtus vtiliter operatur. verùm quia homo erat, eáque conditione in lucem editus, vt fatali aliquando parêret neceſſitati, pręclarè ac feliciter cum eo actum exiſtimo, laudóque eius fortunam, quod ampliſſimis honoribus functus, in ampliſſima ciuitate, clariſſimóque orbis emporio, non ſolùm mori, ſed exquiſitiſſima etiã exequiarum pompa funerari contigerit. cui ne non omnia affuiſſe viderentur, ac cumulatiſſimè præſtita eſſe, quæcunque ad clariſſimum funus celebrandum adhiberi potuerunt, publicum decretum tuliſtis, Princeps & patres optimi, vt more maiorum pro cõcione defuncti memoria laudaretur: vbi non ſolùm veræ laudis illi teſtimonium redderetur, ſed certa orationis ſerie, velut in tabula quadam, vetuſtóque gentis ſtemmate omnia eius vitæ ornamenta intueremini. quod, mi-

nus vt ritè defuncto ſolueretur, non tam mea ſponte, quàm veſtram authoritatem & Imperium ſecutus, hunc celebrem hodie locum conſcendi, inclyte Princeps, & patres optimi. Quod cùm ita ſit, vberrimum ſanè fructū ex omni labore & induſtria meorum ſtudiorum ad me hodie perueniſſe crederem, ſi in hoc præſtantiſſimorum hominum cœtu, conſeſſúque celeberrimo tantum ſermone præſtare poſſem, quantum vos ipſi arbitramini, qui me huic muneri, ad nobiliſſimos & honeſtiſſimos ſemper deferri ſolito, parem iudicâſtis. Cæterùm, quia neque id datur, neque ipſe, qui ex hoc loco ornatiſſimo dicturus veni, iam plures dies aduerſa valetudine conflictatus, non modò corporis, ſed ne mentis quidem ſim ſatis compos, dabo operam, vt, ſi non copia orationis, non ornatu, non ſententiarum & verborum pondere veſtræ reſpondebo expectationi, breuitate orationis ſaltem & nouitate ſatisfaciam.

Et, ne longiùs hic euagetur ſermo, audite, Princeps & patres optimi, qualis vir Rugius fuerit, cuius hodie funus ampliſſimis & propemodum inauditis honoribus celebratis, quàm non immeritò duobus excellentiſſimis Regibus fuerit gra-

tus, & per amicos Reges vobis publicè & priuatim non iniucundus. Et quia omnis laudandi ratio non niſi ex bono proficiſcitur, nihílque laudabile ſtatuimus, quod non idem ſit & bonum, ſitque non vna philoſophorum de eo ſentẽtia: conſultò prætermittam multiplicem illam peripateticorum de bono partitionem. illi enim quæ in fortunæ poteſtate eſſe creduntur, quia cæco quodam temerarióq; motu huc atque illuc variè transferuntur, bona appellare non dubitârũt: quibus cùm breuitatis cauſa, tum quia longè aliter cæteris ſapientiæ ſectatoribus perſuaſum video, tantum abeſt vt hodie accedam, vt ne in laude quidem ſim defuncto poſiturus, quod Salernum illi fuerit patria, vrbs alioqui nobiliſſima, in amœniſſima Italiæ parte ſita, & rei medicæ ſtudiis multa olim fama celebris. Omittam quòd claris in ea vrbe parentibus ortus eſt, patre, viro eius ciuitatis & nobilitate generis, & opum affluentia lõgè Principe, matre, & ſi externi generis, Romani tamen ſanguinis, illuſtríque loco nata: quippe, quæ ob familiæ claritatem, Martini Romani Pontifici authoritate clariſſimo ſit connubio locata. omittã quod ipſius maiores tre-

centeſimo ab hinc anno, ampliſſimis, & qui maximi in ea vrbe ſunt, magiſtratibus benè geſtis inſignes ſunt, & penè principatu illuſtres. tranſeo familiæ diuitias, affinitates, clientelas: tranſeo cætera vitæ ornamẽta, quæ vulgus pro bonis arctiſſimè complectitur, probat, miratur, ſuſpicit. quid liberalis ipſius facies? quid heroïca illa corporis dignitas? quid memoria? ingenij promptitudo? quæ omnia etſi vnicuique neceſſaria eſſe videntur, ei tamen qui Oratoris perſonam ſuſtineat, multo magis. Nam qui Legationis munere funguntur, ea corporis ſtatura eſſe debent, vt, ſi minùs ſpecie antecellant, ſtaturáve cæteris præſtent, at certè nihil in ſe nec diſtortum, nec debile, aut diminutum habeant: tum quod longinquis in regionibus, ciuitatis, cuiùſque ac populi exemplar veluti quoddã ex eius tantũ Oratore ſpectatur: tum vt omnia itinerum ac nauigationũ incõmoda, omnẽ frigoris & caloris vim iuxta pati, & alia id genus multa poſſint perferre. Quid? quod ad ſexageſimum vſq; vitæ annum inoffenſa vixit valetudine, non magis naturę beneficio parta, quàm perpetua victus temperantia ſeruata & aucta. quæ licèt commodo ſit mortali-

bus,ſit & ornamento , verum quia eiuſmodi eſt,vt iis,qui habeant, vel morbo, vel hominum iniuria facilè auferri poſſunt,non ſecus ac illa, quæ extra laudem poſui,ſunt à vobis accipienda:nec in bonis,vt philoſophorum pleríque fecerunt aliquo modo habenda. Quare agite, & quæ animi virtutes in hoc homine fuerint,fuerunt enim plurimæ, iuréque laudari poſſunt, mecum conſiderate. quæ non modo abundè illi affuerunt, ſed ſiquid horum ſuperuacuum eſſe poteſt,ſuperfuerunt etiam.Hæc ſunt,quæ ſequuntur, idcirco vt arbitror bona appellata, quia eum , in quo poſita ſunt , omnino meliorem faciant: vel certè ob id bona nuncupata,quia eorum ſit ſtabilis, firma & manſura poſſeſſio.Et,vt tota hæc laudandi ratio à liberalium artium cultu ſumat exordium:primum omnium fuit illud in puero non ſolum probabile, ſed præcipua etiam admiratione dignum, quod tanta indole , tantáque facilitate prima hauſit literarum rudimenta, vt ij, quibus illius inſtitutio fuit à principio credita, incertum habuerint, eſſét ne illud diſcere in tã puerili ætate,an, vt Plato perſuaſum habuit, reminiſci. Hinc, quod ſatis conſtat,feſtinatus ille literarũ

profectus extitit, hinc præcox eruditionis ſeges: quæ in cauſa fuit, vt ex omnib⁹ ęqualib⁹ nemo fuerit pręceptori charior, nemo commendatior, nemo, cuius naſcenti laudi omnes ſtudioſiùs fauerent. Attigit mox in ipſo cæterarum diſciplinarum veſtibulo muſicen, immò diligenter & accuratè percepit natura illa omnium bonarum artium capax. audiêrat, credo, eam diſciplinam non tantùm vitæ vtilem, ſed omnium in literis ſtudiorum eſſe antiquiſſimam, & vt Timagenes ſcripſit, arctiſſimam cum cælo habere cognationem. Secuta ſunt deincèps diuinarum literarum ſtudia: poſt hęc noſtratia, quę nomen ſibi ab humanitate vendicãt. cũ quibus ille in primo profectu muſicē (vt dixi) copulauit. Cæterum, tantum ſanctioribus ſtudiis homo ad virtutem natus, breui profecit, vt rerum diuinarum deſiderio accenſus, omnia hęc, quę cęteri mortales in terris mirantur, laudant, exoptant, aſpernatus, vnum illud ſemper in ore haberet, Irrequietum eſt cor meũ Deus, donec veniat, & requieſcat in te. Ex hoc beatiſſimo fonte, cęleſtique ſcaturigine, fluxit alius frequens virtutum cœtus: per quem tantum cæteris hominibus innocentia & pietate præſtare ęſt

creditus, quantum ipſi reliquis animantibus ſermone & ratione præſtant. Hinc ſpectata illa in ſecundis modeſtia, æquitas in aduerſis, in ſubditos clementia, charitas in propinquos, beneficentia in hoſpites, ſtudium & amor in cæteros. Hinc demùm contemptus ille mortis, ad extremum vitæ diem cuſtoditus. Nemo ad hæc, ſi vera ſunt quæ de eo homine prædicantur, bonis artibus libentiùs fauit; pauperibus ſubuenit, afflictos erexit, proſtratos ſubleuauit. Nemo caſtiùs ſacra coluit, nemo religionem ardentiùs adamauit. &, quod omnium maximum in eo fuit, maximéque memorabile, nullum ſciens volénſve læſit vnquàm: tanta fuit innocentia, tanta in omnes iuſtitia & æquitate. O virum verè egregium, veréque excellentem: dignum, quem tantus extulerit Senatus, tot clariſſimi Oratores, tam frequens eruditorum hominum cœtus, tanta nobilitas in clariſſima Chriſtiani nominis vrbe non tantùm funerârit, ſed exquiſitiſſimis & propè æternis honoribus immortalitati conſecrârit. Sed Regiæ maieſtati fortaſſe id datum dixerit aliquis: immò & Benedicti virtuti: quippe quæ nulli gentium, quod omnium alia-

rum bona ſit venia dictum, gratior fuit, nulli cōmēdatior honoratiorque, quàm Venetæ. His ille gradibus, Princeps, & Patres optimi, hoc vitæ inſtituto, Ferdinando Regi à principio inſinuatus, breui tempore tantum fide, diligentia & obſequio meritus eſt, vt Rex ille, omnium qui noſtra tempeſtate fuerunt, ſapientiſſimus, eximiam virtutem in nouo homine complexus, non ſolùm ad ſua ſecreta admiſerit, ſed & ſecretorum omnium magiſterium & præfecturam vltrò detulerit: munus quidem amplum & eximium, & quod aliquis, ſi virtute non queat, ambitione & malis artibus velit ſibi quæſitum. At Rugius non modò nō ambiuit, ſed vltrò oblatum conſtanter repudiauit, non ingenio, non viribus diffiſus, non quod tanto oneri ſe imparem arbitraretur, ſed nè ab innocentiæ & iuſtitiæ cultu aberraret Vitare itaque voluit non negocium, ſed ſcopulum, haud ignarus rarū innocētiæ locū hominibus in ſumma adminiſtratione relinqui. Agè verò, qua ille animi magnitudine, quo cō tēptu ampliſſima eſt ſacerdotia aſpernat⁹: Baſiliū credo, & cęteros sūma religione viros imitatus, qui nihil horum habuerūt, nihil habere voluerunt, ſatìs gnari,

pleriſque mortalium amplum ſacerdotium non tam honori fuiſſe, quàm oneri: materiámque illam in multis eſſe periclitandi potiùs, quàm locupletandi. Sed profectò ſic ſe res habet, vt dicitur, fugiẽtem ſequitur laus, fugit ſequentem: quo Rugius huiuſmodi honores, aut tutius ſpernere, aut verecundiùs auerſari, eo plures illi maioréſque Regis optimi ac ſapientiſſimi indulgentia ac iudicio ingerebantur. Etenim nõ vna deincèps legatione functus eſt, Florentiæ, Mediolani, in Germania, & vtraque Hiſpania: vndè tantum laudis & gratiæ reportauit, vt difficile dictu ſit. gratiór ne ad ſuos redièrit, an honoratior. Poſtremò Venetias miſſus ad eum Senatum, quem tanti Rex ille ſemper fecit, in eam ciuitatem quæ ſapientię domiciliũ ſedéſque ſemper eſt habita: quàm, Deus immortalis, ſe popularem egit, non minùs dico quàm ſi mediis eſſet Venetiis natus. Laudare genium Vrbis, mirari ſitum, publicas & priuatas opes colere, vrbana officia & mores imitari, templa inuiſere, omnia publica & priuata opera, ſacra & profana ità ſuſpicere, ità admirari, tanquàm omnia maiora auguſtioráque opinione ſua occurrerent oculis. Erat ille per hæc omnibus

nibus æquè gratus, indigenam crederes, non aduenam:ciuem, non peregrinum: cùm Alfonſus Rex, qui eum miſerat, priſtina credo eius merita, vt arbitror, ſecutus, Hydruntinum ſimul deſignauit Antiſtitem, ſimul aut certè non multò poſt, Alexander Pont. Max. in Alfonſi gratiã Cardinalem deſtinauit. His ſucceſſibus facilè erat, quis nõ videt, ad humanitatis faſtigium peruenturus, niſi mors improba reliquum vitæ curſum nihilo maiore iniuria, quàm inuidia, interrupiſſet. Dira mors: dira quidem & crudelis, humaníſque rebus ſemper infeſta: meritò oderũt te, quicunque in honoribus & diuitiis omne vitæ ſtudium collocârunt: meritò proſcindunt, accuſant, deteſtantur, qui ex rerum humanarum æſtimatione pendent. Sic Macedo ille Alexander iuuenis ſic Marius ſenex de extremo vitæ tempore queſti ſunt: ille, quia medios magnarum rerum ac propè æternos actus fregiſſes: hic, quia ad exitum perduci non paſſa es. ſed aliorum ſint huiuſmodi querelæ. Rugius verò noſter ab ineũte ætate didicit mortem contemnere, nihil, niſi quod altum, ſublime & perpetuum eſſet, mirari, ſatis diù eum vixiſſe ratus, qui rectè vixerit, nec vllius ſapientis vitam nõ

longam eſſe, quæ, etſi breuis ſit tempore, fama & celebritate perpetua futura ſit & æterna.

Nunc quoque, ſiquis eorum, quæ hîc fiunt, eſt apud defunctos ſenſus, ſe felicẽ ille ac beatum putat, quod Hieronymo fratre ſuo viro clariſſimo, quòd regio miniſtro à ſecretis, quod tota domo familiáque ſpectante tantus ſibi ſit honos funeris exhibitus, quantum ne viuens quidem auſus eſſet à Deo opt. Max. precari. &, vt grato fuit ille ſemper animo, gratáque memoria, huc man⁹, huc oculos, huc vocẽ tollit. Agit quàm maximas gratias Auguſtino Principi Sereniſſimo, qui honorificentiſſimi huius decreti non ſolùm fuit patribus auctor, ſed pientiſſimi etiã muneris exactor. Agit & huic ampliſſimo ſenatui, agit toti ciuitati, vniuerſóque nomini Veneto, quòd tanto hodierna luce ſe honore extuleritis, tanta funeris pompa, tam præclara, vt nulla maior, pulchrior, præſtantior nõ modò non requiri, ſed ne excogitari quidem potuerit: fatetúrque plùs ſibi hodiè datum, quàm ſi ſtatuam aliquam, monumentúm ve lapideum ſibi Veneti ante aureã ædẽ alióve publico loco ſtatuiſſent. Conficit hæc tempus, vt cætera hominum opera, velut

Cicero prȩclarè ſcribit. Quod in ipſa pietate locatū eſt, id ſtabile, id manſurum & æternum putatur. & quia dies (vt dicitur) de die iudicat, ſupremus de omnibus, ſatis ſe felicē egiſſe vitam arbitratur, cui tam feliciter mori contigerit, & tanto honore funerari, atque diem hunc omnium ſibi pulcherrimum illuxiſſe, qui vt vltimus vitæ fuit; ità honoratiſſimus, quo præclara huius funeris pōpa, totius ſit vitæ curſus illuſtratus: ſuóque nomini indelebilis memoria parta. Quod cùm ità ſit, à Deo opt. Max. precatur, vt, ſi pietas in defunctos, ſi cultus, ſi iuſtitia ſuperis curæ eſt, Auguſtinū Principē ſereniſſimū, vniuerſum Senatum, omnes ordines ciuitatis, pro publica & priuata veſtra in ſe pietate perpetuò tueri velit, optatíſque ſucceſſibus & incrementis Venetum nomen augere: vt, quantum hodiè ciuitas hæc omnibus aliis pietate præſtat & beneficentia, tantum omnibus gentibus ſenio, dignitate antecellat & imperio.

IN FVNERE

MAXIMILIANI IMPER.

Oratio

Vdalrici Zaſij Legum Doctoris,

Habita Anno M. D. XIX.

VII. *Idus Feb.*

FVerat ſanè inprimis dignum, generoſi, nobiles, egregij, prudentes, & præſtantiſſimi viri, vt acerbum & lamentabilem iſtum occaſum illuſtriſſ. & inuictiſſ. Cæſaris & Principis noſtri MAXIMILIANI, quem omnes, vt par eſt, dolentiſſimè ferimus, funebri oratione ſummi oratores, differendíque arte clariſſimi viri proſequerentur: quando tanta ſit rerum dicendarum copia, quæ non niſi à ſummis ingeniis tractari pro dignitate poterat, vt ſic ſeni mihi, mediocris alioqui doctrinæ homini, vacare non iniuria licuiſſet. Sed quandòid à me muneris non tam poſtulatum, quàm iniunctum eſt, (quanuis parum felici euentu ea res ceſſerit, vt qui ſuperioribus annis ſereniſſimæ reginæ Blancæ Mariæ, nunc illuſtriſſimo noſtro principi eius marito funebria iuſta perſoluere ſim coactus) obſtrepere tamen nec potui, nec debebam: patrũ enim iuſſis quomodò refragarer? Itaque compreſſo pauliſpèr dolore, in publicum lugubris tamẽ & mœſtus prodeo, onus impoſitum vel qualicunque ſermone obiturus. Nec enim id ago, vt quas ter maximus princeps laudes meritus eſt, aſſequi pergam: adeò totam ea oratio capita certè & veluti faſtigia rerum

complectetur: quæ dum breuibus abſoluero, (nec enim anguſtiæ temporis, & vel maximè doloris acerbitas prolixum eſſe ſinent) precor & obſecro, benignas ſitis & aures & mentes adhibituri. Sed quò me vertam? quid primum vel dicam, vel præteriero? luctu omnia complere dolor iubet, è diuerſo dicendi ſeries ordinem poſtulat. Sed quis inſumi ordo poſſit ea in re, in qua omnia ſunt acerba, triſtia, cõfuſa, cõtorta, fletu, luctu, lamẽtis lachrymis referta? An ignoramus, affectã mentẽ, ſicuti ſibi ipſi non conſiſtit, ità variare omnia, alternare, miſcere conſueuiſſe? Cæterùm vt priores partes diuo noſtro Principi tribuamus, partìm amor, partìm qualiſcunque ordo efflagitat. Qua in re non videbor abſurdè facturus, ſi generis nobilitatem præmiſero, quæ profectò, ſi vllis vnquam ſummis viris ſplendida fuit, diuo noſtro Principi ſplẽdidiſſima iure cenſeri debebit. Nemo enim eſt qui neſciat, ab Illuſtriſſ. Auſtriæ archiducibus diuum noſtrum Cæſarem eſſe progenitum: quæ præcelſa domus, ſiue in Herculem, vt nonnulli, ſiue in Priamum, vt alij volunt, ſanguinis lineam referas, vetuſtiſſima eſt heroum proſata origine; quæ & ab ipſo heroico

ſeculo per plurimas ætatum ſucceſſiones integerrimos,iuſtiſſimos, & omninò optimos principes, quod laudatiſſimum puto,produxerit: qui pro fide Chriſti aſſerenda,ſanguinem admirabili conſtantia effuderint, id quod pulcherrima eorum arma demonſtrant: qui ſanctitate vitæ in diuos relati ſunt, & qui ſuorum ſaluti & commodis ità conſuluerunt, vt beatum ſe quiſque exiſtimârit, qui ſub ſaluberrimas tantorum principum alas confugere, eorumque vel manu ſubiici, vel fœdere iungi potuiſſet. Ab iis principibus, à ſelectiſſimis illis virtutum cultoribus, diui noſtri MAXIMILIANI natales proceſſiſſe, non poteſt non eſſe ampliſſimo præconio dignum. Quid enim præclàrius fuerit, quàm ſumma generis nobilitas,ſummis coniuncta virtutibus? Iam mirari ceſſabimus,qui fieri potuerit, vt tot innumeræ virtutum dotes in noſtro principe reluxerint: quæ enim in nobiliſſimis maioribus ſuis ornamēta per partes diffulſerunt, ea collecta, & quadam generoſi ſanguinis propagata ſerie, in diuum noſtrum Principem ſe tota infuderunt, vt ità princeps genuina illa virtutum ſemina propria illuſtrare animi rectitudine, inſignibus fa-

ctis proficere quodam naturæ impulſu contenderit. Hinc eximia illa in Chriſti religionem, Principis noſtri deuotio & pietas, cuius rei ſumma ſemper oratio, ſumma authoritas fuit, quam & intentiſſimo ardore proferre deſiderabat, inceſſata vigilantia conabatur. Erat in Chriſtianæ fidei augmentum ita feruidus, vt per omnes vitæ ſuæ dies nihil tam mente verſaret, quàm quo pacto pacatis inter ſe principum ſimultatibus, inimici Chriſti Turcæ profligarentur, ſuóque eccleſia ornatui reſtitueretur. Quapropter diuina in laudatiſſimum principem clementia eueniſſe non dubitatur, quod ſub eo, in eius præſentia, ſacroſancta ſaluatoris noſtri toga, quę trecentis & amplius annis Treueri latuit, reperta potius quàm inuēta fuerit, vt ſi nō hominis induſtrię, ſed diuinæ dignationi hoc grande donum acceptum referatur. Denique qua in S. ſedem Apoſtolicam veneratione diuus Princeps noſter fuerit ex eo non obſcurè comprobatur, quòd Summus Pontifex non ſolum præ cæteris, tanquam verum Eccleſiæ aſſertorem vnicè obſeruauit, ſed inſuper coronam Imperij, quod nullis antè Imperatoribus contigit, Auguſtam, quo loco ce-

leberrimus erat principum conuentus, honeſtiſſima legatione demiſit, pompáque ceremoniarum exquiſitiſſima Imperatorem coronauit. Quod ſi de iuſtitia dicere perrexero, iã in immenſum noſtra ſe oratio effundet. Ea enim virtus cùm vltro latè pateat, & præſertim diui Cæſaris actus omnifariam ſit amplexa, neceſſe fuerit vt qui eam recenſere velit, omnẽ quoque Cæſaris vitam percenſeat: quod cùm non ſit noſtri inſtituti, multa pręclara tranſeunda mihi eſſe video. Vno tamẽ hoc argumento iuſtiſſimum fuiſſe liquido apparebit. Cùm enim vniuerſi eſſet orbis Princeps, atque ita ſolutus legibus, tanti tamen conſtitit ei eſſe iuſto, vt ad exemplum optimi principis Theodoſij, & legibus ipſe ſe ſubiiceret, vt contra legis æquitatem nihil vnquam ſciens indulgeret. Vidimus noſipſi, cùm nonnulli ex principalib⁹ reſcriptis aduerſus ſe extortis, grauari ſeſe & premi quererentur, diuum Principem, vel contra propria diplomata accuratis etiã cautionibus munita, iuſtitiam adminiſtrari iuſſiſſe: qua dexteritate ne in Traiano quidem, quanlibet laudato principe, quicquam prædicari poſſit illuſtrius. Doctrina porro diuus noſter Princeps eminenti ornabatur

vt qui ingenio eſſet acutiſſimo, ad omnémque ſcientiam prompto. Memoria erat incredibili: nam & hiſtorias probatiores in numerato habebat, & per iuris Ciuilis capita, ſi quando neceſſe erat, eruditè decurrebat: cum doctis viris varia certabat eruditione: proponebat quęſtiones & tam ſcitè philoſophabatur, ſiue moralia ſiue naturalia occurriſſent, vt in nullo non literarum genere verſatum eſſe faterere. Hinc egregius ille in literatos fauor emerſit. hinc præſtantia in viros doctos collata præmia, quos tanti fecit, vt eos etiam quibus vel vmbra, vel opinio doctrinæ fuerat, manu adiuuaret. Quæ res non mediocrem cauſam dediſſe exiſtimatur, vt noſtra Germania exploſa barbarie, quæ ducentis & amplius annis fœda tyrannide patriam inuaſerat & oppreſſerat, diſciplinæ cultiores propè omnes pulchre introducerentur. felicitérque increſcerent, & magnum in modum amplificarentur. Non hic dico variarum linguarum peritiam, quas Princeps noſter ita habuit cognitas, vt aduenientibus plurimarum nationum, complurium regnorum legatis, ſiue Latinè agerent, ſiue Gallicè, Hiſpanè, vel Italicè, ſuam cuiuſque linguam, quod in Mithridate admi-

ratur antiquitas, intelligeret, & ſine interprete reſponderet. Quid dicam, qua integritate, qua prudētia, quo indefecto vigore vaſtā illam Romani Imperij molem ſuſtinuerit? Ad hoc omnis * ſua intentio dirigebatur, vt pubblicè & priuatim omnibus prodeſſet, omniū commodis intēderet, oppreſſos ſubleuaret, coërceret rebelles, bonos iuuaret, omnibúſq; ſua iura & æquaret, & æquo libramine diſtribueret. Erat tamen ad omnem moderationem ita compoſitus, vt nec à rectitudinis ſcopo deerraret, nec culpata ſeueritate efferueſceret, ſed omnia ſuaui quadam comitate temperaret, vt adeò non imperator, non Dominus, ſed patronus, ſed pater patriæ per latos Imperij fines nominaretur. In ſuos verò prouinciales domui Auſtriæ ſubiectos, qua fuerit clementia, qua benignitate, qua māſuetudine, qua fide, fletu magis quàm verbis vllis prædicari conueniet. Quod enim officij genus humaniſſimus Princeps nobis non impartiuit? quod non maximum noſtri amore præſtitiſſet? Veſtram ô nobiles dignitatem quo ſtudio defenderit, protulerit, auxerit, fortunata illa veſtri ordinis conditio pronunciat. Vos autem, vos ô viri Friburgenſes, qua

memorabili beneficentia, quo ſyncero fauore proſecutus fuerit, nemo quã voſipſi prædicare vel poſſit verius, vel cupidius velit. Ciues ſuos fideliſſimos nominare ſolebat, quoties de vobis loqueretur, & ſi qui malè fortè fauentes aquam ſubfundere frigidam, mentem ipſius auertere aggrederentur, cõſtanti grauitate compeſcuit: vt interim prætercam ampliſſimos Romani Imperij conuentus, quos pro euidẽti veſtra vtilitate, pro veſtra immortali fama in hac ciuitate celebrauit: vt obmittam ciuilia veſtra ſtatuta, ad Reipub. augmentum nõ ſine labore meo compoſita, qua animi promptitudine inſtaurari, ſuppleri, erigi, & cõfirmari curauerit: Nec minori affectu famigeratam noſtram vniuerſitatem fauentiſſimus Princeps fouẽdam ſuſcepit, quã & ſingulari ſemper gratia affecit, liberaliq; munificentia honeſtauit. Sic omnes ſuarũ prouinciarũ ſubditos ingenti beneuolentia, ſolidiſſima fide, & paterna omnino dilectione cõplexus eſt, eorũ profectibus, cõmodis, quieti, & omibus omnino fortunis vigilãtiſſimè proſpexit, operoſiſſimè cõſuluit, omnẽ prouinciarũ ſtatũ ita cõpoſuit, vt & optimatũ dignitatẽ nõ minueret, & populares à potentum

violentis concuſſionibus tueretur, omnémque eis ſecuritatem compararet, id quod non ſolum homines, ſed ipſa etiam oppida & terræ, ipſa etiam pax placidiſſima proteſtaretur. Hinc factum eſt, vt quoties in hæc noſtra, aliáve prouinciarum loca, deſideratiſſimus Princeps aduenire nunciaretur, effuſi omnis ſexus, omnis ætas, paruuli, iuuenes, ſenes, pendere ex domibus, ex pergulis, ex protectis, ex ſuggrundis, vias, compita, diuerticula complere, vt benigniſſimum Principem conſpicerent, communémque omnium parentem vel geſtu & nutu ſalutarent. Erat omnium par lætitia quando iucundiſſimo ſuo aduentu omnium ſalus aduenerat. Et hæc in Toga. In bellicis vero rebus quantus fuerit, hic ſuperſedemus, quando ea res modica concludi oratione non poteſt, ſed iuſtum viderur opus exigere. Tametſi nemo ignorare poſſit, rei militaris peritia, caſtrenſiũ laborum tolerantia, amore in milites, robore, fortitudine, audentia, interrito in hoſtes congreſſu, glorioſis victoriis inſignem fuiſſe, & ita inſignem, vt vix vllos dare vel fortiſſimos principes poſſis, quos Cæſar noſter vel non anteiêrit, vel æquarit certè. Has prærogatas, has illu-

ſtres aliáſque immenſas Principis noſtri dotes qui memoria repetierit, quomodo non fatebitur honeſtiſſimum fuiſſe, vt in extremam vſque ſenectã vir tantus Chriſtiano orbi præfuiſſet? Sed ô diram fatorum ſeriem, ô inexorabiles Parcas, ô immitem mortalium ſortem, moritur virtutum decus, illa lucerna recti, quæ optimis ſemper exemplis præluxerat, extinguitur diſceſſit è viuis prouinciarum defenſor, vnicum Romani imperij columen concidit. Heu nos miſeros, heu nos infelices: te viuente diue MAXIMILIANE, in altiſſima ſedimus tranquillitate, à te pependimus, à te conſtitimus, tu propugnator noſter, tu aſylum noſtrum, tu vnus eras noſtræ ſalutis ſeruator: nunc lamentamini tuo occaſu in dubium ſtatum, in incertam, in calamitoſam conditionem omnia abuertuntur. Nunc vt emortuum corpus, quod ſanguine, quod ſpiritu, quod anima orbatum eſt, proiecti iacemus: inimicorúmque noſtrorum inſidiis, inſultibus, prędis, incurſionibúſque exponimur. Quis à planctu ſe temperet? quis à fletu, à lachrymis & veris & ſpirantibus abſtinere poſſit? Amiſimus Principem fideliſſimũ, Principem quem olim poſteritas admiratura potius ſit,

quàm alium vnquam ſimilem habitura. Sed video præſtantiſſimi viri eſſe quo reſpiremus, quo animum colligamus: nec enim tam videmur deſolati, quin meliora ſperare liceat, quando illuſtriſſimus noſter Princeps nō totus abierit, ſed bonam ſui partē, ornatiſſimos duos nepotes CAROLVM poſt ſe & FERDINANDVM, duo virtutum decora reliquerit, vtróſque potentiſſimos reges, in quorū fidē & ſynceritatē, ſpes, fata, ſucceſſus noſtros collocare tutò & poſſumus & debemus. Denique ſi meminerimus cōmunē naturæ legē, quæ nobis iniūcta eſt, ſiquidē neceſſe ſit vniuerſa quæ orta ſunt, rurſum occidere, & ita neceſſe, vt pro Senecæ ſententia is qui moritur, nullo à nobis differat, niſi quod eò proceſſit, quo nos ſequi oporteat, quando ſuus cuique terminus eſt defixus, quē trāſire, quem egredi nemo poſſit: ſi prętereа hāc qua voluimur, mortalē vitā expēdetimus, quæ miſera eſt, quæ caduca, quæ fragilis eſt, quę vel momento durat, quæ pluribus eſt caſibus obnoxia, vt quæ nihil ſit aliud quàm libertatis carcer, tētationū ſentina, altrix cupiditatū, carnificina honeſti, officina ægritudinū, omnīſq; infortunij diuerſoriū. Quę ſi reuoluam⁹, credo

à luctu abſtinebimus,ſcientes fruſtra deplangi,quod reparari nõ poteſt: & ſimul exiſtimantes,nõ infeliciter agi cũ hisqui virtutibus ornati,bonis referti operibus, mortẽ obiêrint, vtpotè ꝙ calamitoſam hanc vitam effugerint,& ſpe bonæ operationis aliti, finem optatum attigerint. Diuus noſter MAXIMILIANVS ſexaginta iam annos & amplius multa cum laude vixit. Iuuentam honeſtam exercuit laboribus, virilem ætatem illuſtribus factis adornauit, ſenium optimis muniuit conſiliis, filios & filias pulcherrimam ſobolem ſuſtulit, quos & ampliſſimis illuſtres regnis vidit, viciſſim aduerſa compluria paſſus eſt: nouit quibus ærumnis vita mortalis agitaretur: & ita vtrámque fortunam expertus, pari animi magnitudine vtranq; ſub iugũ miſit: nã nec periculis vllis ceſſit, nec ſuccubuit, nec vlla felicitate intumuit. Hoc felici progreſſu, laudatiſſimus Princeps ad conſtitutã omnibus metam decurrit: & cum gliſcẽte iam valetudine corporis viribus deſtitueretur, infracto tamen animi vigore perſtitit, imminentémque ſibi mortem interitus expectauit, quam & diuino, vt creditur, oraculo præmonitus, prædixit: teſtamento omnia quæ prouiden-

da fuerant, deliberatè cauit: ſacroſancta eccleſiæ ſacramenta, ſalutis noſtræ viaticum deuotiſſime ſuſcepit, religioſis aliiſque honeſtæ vitæ conſpicuis viris ſeptus cùm omnem ſeculi curam abieciſſet, de contemnenda morte, de vitę miſeria, de ęterna beatitudine, de Dei beneficiis pulchrè diſſeruit, ſicque viam ſanctiſſimè finiuit: & vt in vita fuerat tom̃i modeſtia placidus, ita in mortis pugna, ſumma decedentis tranquillitas cernebatur. Si igitur virtus animi, ſi obſeruatio recti, religionis, iuſti, ęquitatis cultus, ſi fides, ſi integritas, ſi quæ cum pietate aguntur, beatam precioſamque mortem efficiunt, nihil eſt quod dubitemus, quin ſelecta illa anima corporis nexum feliciter reliquerit, & ad cæleſtes ſedes ſempiternis fruitura gaudiis, recta euolauerit. Cohibeamus igitur viri præſtantiſſimi, cohibeamus lachrymas, ceſſemus à gemitu, mentem à luctu abſtineamus, quin & felici animæ congratulemur, ne vel noſtra doluiſſe cauſa, vel eius felicitati inuidiſſe videamur. Dulciſſimus noſter princeps etſi fato ad momentum occubuerit, viuit tamẽ, viuit in cælis æterna Dei viſione beatus, viuétque apud poſteros rerũ geſtarum gloria. Siquidem præclariſſimarum

virtutum

virtutum memoria, nullo vnquam tempore intermoritura, celebrabitur. DIXI.

ORATIO FVNEBRIS.
In Funere Illuſtriſsimæ In. Blancæ Mariæ Coniugis Cæſareæ Zazio Authore dicente.

SI PRAESENTEM hanc opinionem viri præſtantiſſimi, mea ſponte ingrederer, iure à vobis me accuſari poſſe: non negarem, vt qui mediocri ſim eruditione tenuis, & pro ea quæ nunc eſt, prouecta ætate, nec ingenij ſatis viribus valeam, nec ſuccurrat memoria. At porro quando non vltro, ſed ſuperiorum iuſſis parendi neceſſitate hanc dicendi prouinciam ſuſcepi, eſt quo mihi ſit danda venia: ſiquidem cum obedientia meam inertiam, quàm cum renixu contumaciam exhibere malui. Rogo itaque & obſecro, hoc, quodcúnque ſit oratiunculæ, æqui & boni faciatis, & ſi quid incultum, impolitúmve dixerim, partim exiguitati meæ, partim temporum anguſtiæ & breuitati acceptum feratis. Sed ad rem ipſam accedamus. Quamuis non ignorem maiorum noſtro-

rum moribus receptum, vt viri duntaxat, non etiam fœminæ, pro concione laudarentur: at quando mulieres in Romanorum neceſſitatibus, detractis à ſuo corpore aureis ornamentis, Reipublic. ſubuenerunt, parem cum viris, vt ipſæ quoque poſthuma ornarentur oratione, honorem meruerunt. Quem morem cùm mulierum virtus introduxerit, in ſereniſſimæ Imperatricis noſtræ obitu cur non ſeruauerimus? Cuius ſiue generis ſplendorem, ſiue admirabiles diuináſque virtutes memoria complectamur, copia dicendi non poteſt non exhiberi vberrima. Natalium ſuorum ſplendorem ex hoc colligimus, quod nobiliſſima ipſam, ducalíque Sfortiadum familia deſcendiſſe conſtat. Magnum illum & rerum geſtarum gloria decoratiſſimum principem Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium ducem auum habuit. Habuit & patrem virum optimum Galeatium, qui & ipſe eius dominij dux erat. Matre porrò, quam re & affectu Bonam nominauerunt, admodum illuſtri ornabatur, quæ & ipſos Francorum reges ſanguinis neceſſitudine contingebat. Quid fratrem nominauero, ſummæ ſpei ado-

Laudes à natalium ſplendore.

leſcentem, & qui, niſi fata ei vitam inuidiſſent, nulli maiorum ſuorum inferior futurus ſperabatur? Quid patruos? quorũ alter Aſcanius Romanæ ſedis purpuratis inſertus, Cardineo præfulgebat honore: alter Ludouicus & ipſe princeps, qui niſi ſe fortuna vertiſſet, feliciſſimus, & inter Italiæ regulos primus iudicari potuit. Taceo cæteros præclaros viros, qui tãquam ex equo Troiano illuſtres Gręci, ita ex hac generoſiſſima familia emerſerunt. His tam præcellentibus ſtemmatis, ſua quoque pulchritudinis dona natura adiecit: inſigni enim formę venuſtate princeps noſtra, totiſiſque & corporis & membrorum elegantia mirificè enituit, vt ſicut nomine, ita & veritate rei Blanca Maria, i. pulchra diceretur, quæ inſignes & generis & naturæ dotes nimirũ meruêre, vt ipſa orbis terrarũ dño, Diuo Maximiliano principi inuictiſſimo, matrimonij nexu iũgi digna haberetur: quo excelſiorem illuſtrioremq; maritum non ſolũ ſperare, ſed ne optare quidem potuit: maritum inquam, qui & pace & bello nulli clariſſimorum priſca ætate Imperatorum conceſſerit. In pace quippe Romanum Imperium admirabili ſua prudentia, iuſtitia ſolertiſſima, vigiliis inde-

Blanca Maria.

feſſis ita gubernat, vt nec vlli labori parcat, & nec ſomno, quieti, cibo, aut vlli voluptati indulgeat, dum in publicum proſit. Bello verò tanta gerit ſe animi acrimonia, tanta rerum militarium experientia, tam inuicto robore, vt quoties manu conferendum fuerit, hoſtes ipſos infeſtiſſimos profligarit, ingentes fuderit exercitus, atque ita plurimis victoriis incomparabilem famam, gloriam immortalem ſit conſecutus. Huius tanti Imperatoris tam præclarum connubium quanuis noſtram principem feliciſſimam redderet, diuina tamen illa virago hoc illuſtri culmine non contenta, ſuis etiam ſe fecit virtutibus monſtrabilem. In Deum enim, in ſanctos, in noſtram Chriſtianam religionem impenſiſſimè ferebatur. Inter ſuos vero quanuis comitate, mãſuetudine, modeſtia perquàm humanam ſe præſtaret, hoc tamen inſtitutum quadam velut clementi grauitate ita tẽperabat, vt & manſuetudinẽ colerent, & maieſtatẽ in ea venerarentur. Caſtitatis denique & continentiæ, omniſque matronalis verecundiæ tã tenax erat cuſtos, vt verbum impudicum coram ea ne nutu quidem ſignificari, nedum proloqui fas eſſet: vt quæ cum ea conueniſſent nobi-

A religione

A caſtitate & continentia.

les puellæ, non tam in regali gynæcio, quàm in ſchola pudicitiæ verſari dicerẽtur. Et vt ſemel finiam, nihil non fecit, nihil non omiſit, quod fieri vel omitti à laudatiſſima fœmina reuerendiſſimáque matrona potuerit: vt iuſtè illud Prophetæ ad Cæſarem noſtrum accommodari poſſit: Adſtitiſſe reginam à dextris ſuis in veſtitu deaurato, circundatam varietate. Hanc tantam principem cùm is ipſe diuus Cęſar, quoniam multis Imperij & bellis & negociis implicitus diu nõ viderat, inuiſere deſtinaſſet, ecce tibi triſtis adfertur nuncius, luce defunctam, naturæ ſoluiſſe. O duram fatorum acerbitatem. O inexorabilem Parcarum ſeriem. Siccinè fatalia abrumpi fila debuere, vt in medio velut progreſſu floris detrũcaretur amœnitas, & opt. maximus Cęſar ſua talami conſorte, quo minimè tempore expectauit, priuaretur Profecto ſi flendum eſt cum flentibus, ſi Lazarum Saluator noſter fleuiſſe legitur, ſi quoque duodecimtabularum leges funebrem luctũ recipiunt, meritiſſimo fieri exiſtimarem, pro ęo qui integerrimus in amantiſſimum noſtrum principem nobis amor eſt, vt & nos vehemẽter lugeremus, & lachrymas vbertim profundere- *Pſal.* 44. *Ioan.* 11.

mus. Sed quando meminiſſe poſſumus, eã nos lege natos eſſe, vt aliquando moriamur: pallida enim mors æquo pulſat pede pauperum, tabernas, regúmque turres: vt & nobis quoque dura iſta, ſed tamen terenda via ſit, operæ erit precium ſi luctum morabimur. Nouimus enim quã fallax, incerta, vana, & inſtabilis noſtra ſit vita mortalis, quæ inſtar rapidiſſimi fluminis, inſtar armentati iaculi, & ſicut ſagittæ ex manu potentis, ita ad mortem decurrit, impellitur, excutitur. Quod adeò verum eſt, vt pro Euripidis ſententia, nemo viuens de craſtino ſit ſecurus. Hoc eſt quod vitam noſtram Sophocles ſimulacro, pulueri, & vmbrę comparauit. Hoc denique eſt, quod Varro vir doctiſſimus eleganter (vt omnia) hominem bul lam nominare conſueuit. Sicut enim in aquis agitatis bullulæ & velut tubercula erumpunt, ſed mox euaneſcunt: ita quo momento naſcimur, mortis caſibus ſumus expoſiti: vt meritò Auguſtinus dubitarit, hoc quod viuimus æuum, mortalémne vitam, an vitalem mortem appellaret: & Plinius, hominem aut non naſci, optimum eſſe dixerit, aut natum quàm ocyſſimè aboleri. Adeo natura non tam parentẽ, quã ſeueram ſe nobis nouercam

exhibuit. Accedit ad hæc incõmoda, in-certa qua voluimur, rerum conditio. Aut enim ægri viuimus, aut ſani. Ægros impe-rioſa, ne dicam periculoſa medicorum iuſſa conſtringunt, ſub quorum manu (vt Plato voluit) viuere miſerrimum eſt. Cæterum ſanos mille vincula circunue-niunt: hunc ſuperciliosæ ſuperbiæ fa-ſtus, alios cretata ambitio, quoſdam in-uidiæ liuor, impura Venus multos ne-ctit & colligat: & in ſumma, quot ſen-ſuum affectionibus, quas paſſiones vo-cant, homo comprimitur, tot laqueis miſerè catenatur. Atque adeo vndique nobis anguſtæ ſunt, & vt cum Propheta loquar, tot nos laquei præuenerunt, in medio tot laqueorũ ingredimur, vt Di-uus Antonius mundũ totũ plenũ laqueis eſſe quondã exclamauerit. Grandis error mortalium, qui ementitam lenocinantis vitę felicitatem mirantur, & velut ſeruos velut mancipia, tot grauibus ſe vinculis obiiciunt: cùm tamen neſcire nõ poſſint ſicut libertas eſt res inæſtimabilis, ita ſer-uitutem eſſe miſerrimam. Plebs olim Ro-mana ære alieno oppreſſa, cùm à cre-ditoribus graui nexu ſtringeretur, in montem ſacrum pro conſequenda liber-tate confugit. Nos ad quẽ fugimus mon-

Rerum humanarum ſtatus incertus.

Dani. 13.
Pſal. 17.
Eccl. 9.

Pſal.67. tem, vt tot vinculis, tot laqueis liberemur nempe ad montem domini pinguem at-
Pſalm.14. que coagulatum: cuius tamen cõſcendẽdi nulla nobis patebit facultas, niſi ingrediamur ſine macula, operemur iuſtitiæ, & aliquando à grauiſſimo vinculorum catenarúmque pondere colla excutiamus. Id quod in hac pura anima, cuius hodie funebreis pompas celebramus, eueniſſe ſperandum eſt. Neque enim mala mors eſſe poteſt, quàm bona vita pręceſſit: vt iam non ſolùm à luctu ceſſandũ, ſed etiam ei gaudendum ſit, quam tot liberatam malis hoc glorioſo monte potiri, geſtire lætitia, & ſuo creatori gratificari piè credimus, quod ipſa erepta ſit de laqueo vénantium. Quod ſi in via adhuc & carcere preſſa detineatur, non quidem luctu mœreamus, non ſitu deficiamus, ſed redẽptorem humani generis Deum pro eius ſalute, præcibus, eleemoſynis, aliíſque piis operibus deuote comprecemur. DIXI.

ORATIO FVNEBRIS Pro D. Carolo V. Roman. Imperator. Auguſtiſſ.

Georgij Eder V. I. D.

SI cui vlla vel maxima laude plena, vel ſumma admiratione digna, homini

verè grato, iuſta dicēdi vnquā cōtigit occaſio, ego certè eā mihi nō tā Scholę huius celeberrimæ, quā totius Chriſtianæ Reip. nomine cauſam nactus eſſe videor quę Deo imprimis grata, vobis P. C. honorifica, poſteritatis verò memoria non indigna ſit futura: & in qua nemini neq; ad exornandū rationes, neq; ad perſuadēdū argumēta, deeſſe poſſint. Siue enim maximis magnanimi Ducis D. Caroli V. Ro. Imperatoris Auguſtiſſimi, ac pene diuinis veſtrā in Rēp. meritis, ſiue de veſtra in illū ipſū Principē maximū ſumma pietate, verba faciā: tāta ſe vndiq; offert exornādæ hui⁹ rei copia, vt vnde potiſſimū exordiar, ſatis intelligere nō queā: adeo, vt hęc ipſa copia, ex qua alij præſidiū actionū ſuarū exigere ſolent, mihi in diuerſum planè inopiam dicendi parere videatur. Accedit huc, ꝙ ignorē ac valde etiā dubitē, an ne animos veſtros ex diuturnitate fortè factos nonnihil pacatiores, orationis vehementia & doloris priſtini quadā quaſi refricatione ad luctum iterū cōmunem excitare: an verò rei ipſius indignitate nimiū anteà cōtriſtatos, cōſolatione potius aliqua lenire debeam atque recreare. Quæ quidem cogitatio etiam difficilem mihi & duram reddit

hanc dicendi rationem. Alterum enim hominem authoritate, alterum conſilio pollentem: vtrunque certè ſummum requirit oratorem. Quorum cùm nihil in me, neque loci huius celebritate, neque conceſſus tanti reuerentia, neque ſuſceptæ ipſius rei magnitudine iudicem dignum: precandum mihi ſanè fuerat, vt vel alius his omnibus melius inſtructus, has ſibi de Imperatorio funere perorandi partes ſumpſiſſet, qui pro dignitate eas & agere & tueri potuiſſet: aut mihi homini ad res magnas peragendas admodum imbecilli, tam diu vel Demoſthenis vel Ciceronis ſuppeteret eloquentia, dum commune totius orbis in hunc Cæſarem deſiderium, pro magnitudine, pro veritate, pro æquitate tantæ rei iuſtè vobis queam explicare. Sed certè vt his maximè omnibus abundarem, ſentio tamen hunc animum meum, ex indigniſſima Caroli Cæſaris noſtri morte ita eſſe perturbatum, vt nec quod ipſe ſentiam, præ dolore cõmodè ſatis poſſim declarare. Perturbat enim me, & vehementer perturbat tam acerba fortunę noſtræ mutatio, tam triſtis rerum omnium facies, vultus item cuiuſque veſtrum mœrore turbatus, ve-

ſtitus lugubris, ſuſpiria ab imo & exulcerato pectore deducta, manus deſperãtium ferè modo complicatæ, & oculi tãto Cæſaris deſiderio in cælum erecti: atque ita me hęc omnia perturbant, vt etiam dubitem, an vllus mihi conſolandi locus poſſit eſſe relictus. Video etiam vos ipſos non tantum deſiderio angi, ſed illo quoque confici dolore, qui totam Remp. Chriſtianam exagitare videtur: atque dum hęc ita video, facilè item intelligo, meam de hoc ipſo triſtiſſimo Caroli noſtri fato ſententiam, magna hic attentione expectari: ac eodem iure quaſi id porro deſiderari, vt aurib9 veſtris ſummis aliis diſciplinis, & maximè hiſtoriarum cognitione ſingulari vberrimè imbutis, non niſi rara, ſelecta, & digna admiratione aliqua proferantur. Qua in re etſi tam ingenio quàm mœrore impeditus, neq; animo, neq; oratione tã iuſtæ voluntati veſtræ ſatisfacere queam: quando tamen id rerum humanarum ſic voluit inconſtantia, vt in me infelicem Rectorẽ hęc alea doloríſque iuſtiſſimi plena dicẽdi ratio ceciderit, atque nõ rei tantum ipſius æquitas, ſed cõſuetudinis Eccleſiaſticæ moneat nos religio, vt D. Carolo Imperatori meritiſſimo, vltima

hæc officia, quæ IVSTA Chriſtiana vocat pietas, quã deuotiſſimè exhibeamus: patiar tandem, etſi inuitus patiar, hãc mihi lugendi acerbiſſimam imponi neceſſitatem. Si enim iuſta ſunt hæc, quamuis non difficilia modò, verùm etiam indigna videantur & amara, quia tamen iuſta, ah iuſta dici volunt, iuſta ego ſemper, quantumuis acerba, exequenda tamen iudico. Nam & Ægyptios & Gręcos pariter atque Romanos, id idem maxima ſemper religione egiſſe accipimus, vt Reges & Principes ſuos etiam mortuos, cùm lugere, tum laudes eorum ex publicis concionibus celeberrima pompa recitare, eóſque in cælum vſque efferre ſolerent. A quibus ſi nos Chriſtianos aut pietate vinci, aut gratitudine patiamur ſuperari, turpiſſimum id nobis apud bonos & prudentes omnes futurum eſſe, vos ipſi P.C. pro veſtra prudentia facilè iudicabitis.

Vt autem cauſam huius luctus propiùs pernoſcatis, iniquiſſimè mihi, aut profectò piè parum de rebus humanis iudicare videntur, qui D. Caroli mortem ideò minùs lugendam eſſe putant, quòd pacatam reliquerit Remp. & quod ſumma imperij Romani iam illi delata ſit,

qui partam ſua induſtria ſalutem, cùm tueri tum augere & poſſit rectè, & piè velit, vt vel hoc nomine ſors iſta minùs videatur deploranda. Quaſi verò vtilitate magis, quàm virtute, quàm pietate, quàm gratitudine homines Chriſtianos moueri deceat. Aſt quæ Deum immortalē fuerit iniquitas, intelligere te, quid à quoque acceperis: quid autem viciſſim ei debeas, nec velle quidē aliqua tantùm gratitudinis ſignificatione declarare, nedum perſoluere? Aut quæ, rogo, clementia eſt, cauſæ mutationem, quam plerunque effectus ſequitur mutatio, leuiorem iudicare, quàm id, quod ex ea aut fortunij ſequitur, aut infelicitatis? Quàm inhumanum autem id eſſe putabimus, ſi quis ita præſentium rerum cupiditate afficiatur, vt neque futuros caſus pertimeſcere, neque bona amiſſa poſſit deplorare? Durus profectò eſt, quem non ad lachrymas vſque permoueat, eum nobis Principem, quem paulò antè totus propè mundus vt caput reuereri, ac vt Dominum timere ſit ſolitus: vnius inuidę mortis tyrannide, tam ſubitò, tam inſperatò, tam indignè eſſe ſublatum. Ingratus eſt, qui tanta Cæſaris huius Auguſtiſſimi in Rempublicam merita, quanta vix cogi-

tatione cõplecti licet, nõ agnoſcere velit. Crudelis eſt, qui videtur ſibi Principe tam pio, tam iuſto, tam clementi, tam auguſto, ſine dolore, ſine lachrymis, ſine deſiderio poſſe in Rep. carere. Impius eſt, qui à Religione Chriſtiana tam eſt alienus, vt non intelligat Imperatorum obitus, grauiſſimas plerunque ſequi Imperiorum mutationes: Nam certè vt fato dantur poteſtates, ita non ſine fato prin-
Prou. 21. cipes viri è Republica tolluntur. Teſtatur id non obſcurè ſacræ ſcripturæ authoritas, fidem facit experientia, ac ſtultorum Magiſter probat euentus. Quin ipſa cęleſtia quoque ligna Principum ſępè conditiones exprimere vidimus, atque non ſemel ſumus experti, & ſidera, & elementa manifeſta edidiſſe indicia, quibus Imperatorum rebus vel ſecundis, vel aduerſis aut gaudere, aut dolere, ac in vtranuis partem vehementer commori viderentur. Vſque adeò plurimùm ſemper intereſt, quem & qualem habeamus in Republica Chriſtiana Imperatorem, quam tueatur is religionem, quas habeat virtutes, quibus & quantis polleat viribus & artibus imperandi. Quæ cùm in D. Carolo omnia excellentiſſima fuerint atque diuina, timendum ſanè

eſt,ne vt ex ſumma eius Imperij perfuncti felicitate, non conſeruata tantùm, ſed vltra fidem humanam aucta ſit hucuſque Reſpub. ita ex eius ab hoc & Imperio & vita diſceſſu, magnam fortunæ noſtrę partem amiſerimus. Nam etſi Diuus quoque Ferdinandus Imperator noſter Auguſtiſſimus,huic Cæſari fratri exoptatiſſimè,cuius vices iam multis annis feliciſſimè peregit,neque voluntate, neque viribus,neque felicitate cedat,neque virtutibus:ac filios vterque reliquerit tales,qui in vita vtriuſque ad regiam vſque dignitatem ſint euecti, quibus totus hic orbis nihil habet illuſtrius, quos nemo nec viribus,nec virtutib⁹ ſuperare queat: quia tamen & ipſi eidem fortunæ viciſſitudini ſunt obnoxij,& fluxę ſemper ſunt res humanæ, peccata verò & ſcelera impuriſſimi huius ſeculi tam grauia, tam perfricta ſunt & intolerabilia: facilè nobis hoc vnicum & extremum quoq; ſolatium, quod Deus clementer auertat, vel vnico momento eripi poſſet: adeò vt ex ſpe paucorum hominum,qui & ipſi ſunt mortales, omnis totius Chriſtianæ Reipub.& ſalus pendeat & dignitas:quibus ſublatis, quod iterùm diuina prohibeat clementia, & religio, & pax, & iu-

ſtitia, & pietas, atque res adeo publica ipſa, vnà etiam ſit ruitura. Atque ſic cauſam luctus huius non iuſtam modò, ſed perneceſſariam quoque & ineuitabilem penè cognoſcitis. Rerum verò ab ipſo Carolo Quinto geſtarum magnitudo tanta eſt atque tam diuina, quæ oratione compræhēdi non queant, & quas ego hoc in loco prçterire, ac hiſtoriographorum diligentiæ & fidei relinquere, quàm parciùs de iis dicere, maluerim. Quibus autem virtutibus hic heros magnanimus præ cæteris Imperatoribus, quos Romana vnquam viderit Reſpublica, præditus fuerit, quanta in Rempublicam contulerit beneficia, & quàm innumeris felicitatis gradibus fuerit abſolutus, etſi illa quoque longè ſint maiora, quàm quç vel ingenio vel ſtylo ſatis poſſint exornari, nulla tamen ratione aut honeſtè taceri, aut abſque manifeſta inuidia poſſunt præteriri.

Magna ſanè fuit in hoc Duce felicitas, maxima vtilitas, ſumma verò virtutum omnium dignitas ei quaſi innata fuiſſe depræhenditur. Felicitas inquam, quam non ab inconſtantiſſimæ fortunæ hauſit ludibriis, ſed ex benignitate Dei, ex bonitate naturæ, & ex ſingulari ſua

induſtria

induſtria fuerat conſecutus. Nam quis primum non intelligat, hunc Imperatorem de cælo nobis in hanc Remp. in qua ipſe ſummi Imperatoris Dei vices gereret, ſingulari cõſilio fuiſſe demiſſum? Atque huius rei imprimis certiſſimum argumentum illud eſſe poteſt, quod vaticinio quodam Germanico, centum & vigintinouem annis antequam naſceretur, ita huic orbi Chriſtiano fuerit promiſſus, vt & nomen eius, & anni Imperij ſui exprimerẽtur: Et quod eodem hoc anno vita deceſſerit, quo ſibi ex illo vaticinio fuerat præfixum: reliquis etiam quæ de Imperio eius in eo cõtinebãtur oraculo, maximè ſi (vt decet) myſticè quædam intelligas, omnibus feliciſſimè abſolutis. Ita planè, vti Diuo etiam Maximiliano, ab Aſtronomo quodam longè antè fuerat prædictum, eum patri ſuo Friderico Auſtriaco Cæſari, in Imperio ſucceſſurũ eſſe. Deinde ſi parentum atque adeò totius Auguſtiſſimæ Auſtriacæ familiæ dignitatem intuearis & originem, quam ab Hercule & Priamo hucuſq; ſine omni macula perpetuò deducere dicuntur: ſi generis nobilitatem, ſi Imperiorum potentiam, ſi rerum geſtarum gloriam, ſi nominis perpendas immortalitatem, ex

omnibus Rom. Imperatoribus vix reperias aliquem, qui iure quidem cum hoc Cæſare comparari debeat. Naſcitur hic heros Illuſtriſſimus Germaniæ vrbe celeberrima Gandauienſi,& non ſine omine ſingulari, iubileo naſcitur anno: ex Patre Philippo Hiſpaniarum Rege potentiſſimo,ipſe quoque Rex: ab Auo & atauis Cæſaribus,Cæſar: ex matre Ioanna Regina ac ipſis quoque Parentibus & atauis vſque maternis Regibus atque Reginis,& Rex & Princeps prodit in hãc lucem potentiſſimus. Filium ipſe relinquit Regem, filiam Reginam, ac generum quoque Regem:Fratrem Imperatorem deſignatum, atq; ſorores omnes vidit Reginas. Ab auo paterno Rom. Imperium, ab auia Maria Illuſtriſſimũ Burgundiæ ducatum acquiſiuit: A patre Regnum Hiſpaniæ, à matre Arragoniæ, Siciliæ & tandem Neapolitanum adeptus eſt regnũ: Et,quod vix vlli diuinius contigiſſe credo,hic Rex vnus,mox vigintiocto regnorum ampliſſimorum feliciſſimus fit moderator atque Dominus potentiſſimus. Quæ certè omnia non maximam tantùm oſtendunt Imperatoris huius Auguſtiſſimi potentiam, ſed ſummam etiam Maieſtatem, cõuerſationem.

verò cæleſtem, atque diuinam planè tot Regum, tot Imperatorum, tot regnorũ, tot atque tantarum virium coniunctionem abundè declarãt. Atque hanc felicitatem natura ſibi non tantùm fauere, ſed augere etiam conabatur. Vultus eius adſpectu reuerendus erat, & grauitate ſuſpiciendus, blanda quadam lenitate atque verecundia perfuſus. In toto verò corpore tanta elucebat dignitas, quę facilè eius animi cùm eximiam magnitudinẽ, tum ſingularem ad res maximas gerendas teſtaretur promptitudinem. Sed & nominis ipſius, quod à fortitudine atque magnanimitate gerebat, ratio, vel inde maiorem Reip. ex eius Imperio felicitatem acceſſuram polliceri credebatur, quod eius nominis Carolum Magnum Imperium Rom. virtutibus ſuis primùm in Germaniam introduxiſſe, Carolum autem Quartum pulcherrimis in conſtitutionibus, quas Auream vocant Bullam, corroboraſſe, conſtaret. Natalis ei etiam dies fauſtiſſima ſemper fuit & auſpicata: Ea enim Imperij Rom. coronam adeptus, eadémque cæleſti prorſus victoria contra Galliæ regem fuerat potitus. Et quo manifeſtiùs ſingularem Dei prudentiam cognoſcamus, ſunt qui dicant,

Caroli Cæſaris Germani coronationem in eum incidiſſe diem, quo & Solymanus crudeliſſimus Turcarum tyrannus, in certiſſimam totius Chriſtianæ Reipublicæ perniciem fuerit coronatus: vt vel ſic nobis certò certiùs conſtare poſſet, Deum optimũ Max. illius ſummam pietatem huius tyrãnicæ crudelitati tum ſtatim, cùm ſe contra Remp. armare cœpiſſet, opponere, atque ſic impios conatus eius omnes, diuina Caroli Cæſaris potentia, funditus reprimere voluiſſe. Has autem cùm naturæ, tum diuinæ cuiuſdam bonitatis præclariſſimas dotes, prudentiſſimus Princeps à præceptoribus ſuis, quos ſummos ſemper habuit, optimè educatus, ita ſua auxit induſtria & ornauit virtute, vt anno ætatis ſuæ decimonono, ad ſummam Romani Imperij Maieſtatem conſtantiſſimo totius orbis conſenſu fuerit euectus. Quo nihil Reip. Chriſtianæ auguſtius: neque optabilius toti populo quidquam contingere poterat, in ea maximè rerum omniũ perturbatione, qua Imperium hoc alij, non virtutibus, ſed largitionibus, non conſilio, ſed fraude, non viribus, ſed corruptionibus affectabant: non vt augerent, ſed minuerent vires Germaniæ: non vt

Imperij fines extenderent, ſed ſuos alienis viribus corroborarẽt: non vt his præſidiis opem Reipub. adferrent, ſed iis ad impetrandam Imperij ſucceſſionẽ contra ipſam Rempub. abuterentur: atque ſic nobis ipſa Germana libertas iam tum penè diminuta crederetur. Quæ res etſi Carolo non vulgarem inuidiam & inimicitias peperiſſet capitales, vſqueadeò tamen nihil ei obſtare potuerunt, vt omnium vires ſuperaret potentia, inſidias auerteret conſilio, & impetus violentos rei militaris compeſceret peritia: ita vt omnes ſibi inimicos atque hoſtes, tam ſuperiores quàm æquales, à ſummo ad infimum vſque & ſubditos & ſupplices reddiderit. Ex quibus omnibus non maxima tantùm felicitas, ſed Diuina etiam Maieſtas & authoritas ſumma, quibus hic Cæſar celeberrimus ſemper fuit, facilè æſtimari poteſt.

Porrò vt ſummi huius Principis ampliſſima in Rempub. merita, ea hîc breuitate perſtringam, quæ & tempori conueniat, & quæ gratitudinis tantùm memoriam aliquam teſtetur, nunquam Reip. neque viribus, neque pecuniis ad priuatum cõmodum eſt vſus. Opes, gloriam, potentiam, ac omnes felicitatis ſuæ the-

ſauros, quos tum ſucceſſione, tum virtute paratos habebat, tanta liberalitate ad tuendam augendámque Remp. conuertit, vt magnitudine, dignitate, honore atque diuitiis ſæpè omnibus neglectis, nihil aliud vnquam niſi populi ſalutē quærere ſtuderet. Honores perſonámq; Principis talem in Repub. gerebat, quæ ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati videretur. Beneuolentiam ſuam erga fideles Imperij ſubditos ita declarabat, vt non animis ſolùm, ſed & oculis hominum ſeruire cuperet. Ea promptitudine ſupplicantium deſideriis occurrebat, vt neque in auxilio periculum, nec in periculo auxilium vnquam denegaret. Tam conſtanti tenebatur Reip. deſiderio, vt pro ea liberè & fortiter in diſcrimen venire, & vel libertatem parere victori, vel mortem exponere victo perpetuò paratus eſſet. Nihil tā graue in Rep. credebat, quod non aut virtute ſuperare, aut conſilio regere poſſet. Nunquam illi in rebus etiam grauiſſimis voluiſſe tantum ſatis laudabile videbatur: non antè neque vi neque metu à cœptis pro Rep. laboribus aut abſtrahi aut deterreri potuit, quàm ſe eam ab omnibus periculis liberam reddidiſſe intelligeret. Nec eſt

cur nos plus aliquis huic Cæſari laudis tribuere ſuſpicetur, quàm ipſe ſuis virtutibus ſit meritus. Re certè ipſa amorem ſuũ, quem in hãc Rẽp. gerebat, declarauit ſummũ, rebúſque ſuis fortiſſimè pro ea geſtis, omni laude cõprobauit maiorem. Mortuo eius auo paterno Maximiliano Imperatore, eò nõ calamitatis ſolùm, ſed deſperationis etiã res Romanæ redierãt, vt ipſa Reſp. omni ope, auxilio, & ipſa penè ſpe deſtituta crederetur. Occupauerat iam crudeliſſimus Chriſtiani nominis aduerſarius Turcarum tyrannus maximã Aphricæ partẽ: Aſiam vndique inuaſerat, & Europæ ſimilem fortunam minitabãtur nobiliſſimæ Gentis Hungaricæ oppreſſiones infinitæ. Germania ipſa paulò pòſt Ruſticorum furioſis fluctuabatur motibus: quos tandèm calamitoſa ſemper Principum bella ſequebantur inteſtina. Quæ quidem rerum omnium perturbatio tam grauis & acerba, cùm ipſi Turcarum Imperatori non leuem ſic tumultuantis Germaniæ potiundæ ſpem præbuiſſet: tanto eam exercitu huc Viennam vſque adducto, adgreſſus erat, quo nec ampliorem nec inſtructiorẽ nemo in hac Rep. cognouerat vnq̃: nec vllæ vires humanæ videbãtur tã magnę, quæ aut tã

anno. 1525

propinquam Reip. Chriſtianæ cladem auertere, aut tantæ potentiæ reſiſtere poſſent. Aſt vbi hic Carolus Imperator fortiſſimus, & Imperij authoritate & Reip. arbitrio, ex diuina prouidẽtia potiri cœpit: ea prudentia horum periculorũ magnitudinem moderatus, tam inſigni pietate ad ea propulſanda commotus, tanta fortitudine Remp. eſt aggreſſus: vt non ſolùm nihil his omnibus ſit deterritus, ſed quo grauiora incumberent pericula, eo animoſior contrà ſemper redderetur. Primùm ſibi & ſeruitute & voto ſubiugauit eum, qui ob ſpretã repugnandi ambitioſam libidinem & ſummi Principũ Electorum Senatus iudicium alta mente repoſitum, ſuæ voluntati ſolus ſemper reniti videbatur: exercitu illius copioſiſſimo, ad extremum vſque profligato. Similem eius fortitudinem atque fortunam etiam Roma illa totius mundi caput & regina, quæ non niſi propriis armis anteà facilè vnquàm vinci poterat, ob violatã Cæſari fidem, non ſine perpetua memoria fuit experta. In Africã poſteà tãtũ ducit exercitũ, quãtus ibì viſus nõ erat, quo nõ ſolùm Tyrannicis Turci conatibus de Germania deuaſtanda fortiſſimo animo ſemper obſtitit, ſed admi-

randis etiam atque diuinis potitus eſt victoriis. Inter quas non infima æſtimari debet illa, qua Tunetano & regno & Rege capto, vno die ſex milia Chriſtianorũ hominum, quibus omni momento crudeliſſimè moriundum erat, ex impij Tyrãni faucibus eripuerit, eorúmq; animas ab ipſa quoque morte vindicauerit. Nec illud etiam diuina caret potentia, quod tanto cum exercitu, qui toti mundo tremendus erat, ipſius Herculis columnas, quæ felicitas tot ſeculis præteritis nemini contingere poterat, non attigerit modò, ſed hanc metam Plùs Vltrà extendere fuerit auſus, atque ſic aliis in poſterũ etiam omnem huius laudis æſtimationẽ præripuiſſe iudicari queat. Id omnes autem vires humanas excedere videri poteſt, cum gentibus anteà tam diù incognitis, quæ nec Deum nouerant, neque leges vllas viderant, ſed ipſa barbarie & impietate ſuffocatæ, carnibus veſcebantur humanis, iura dediſſe, ac mundi huius limites triplo ampliores quàm anteà cogniti fuiſſent, admiranda felicitate conſtituiſſe, atque extendiſſe potentia: quod etiã inimici eius, ſi quos tã pius Princeps iure habere potuit, velint nolint fateri tamen coguntur. Quibus rebus,

maxima fortitudine & ex animi ſententia ſic peractis, omnes tandem Germaniæ motus, qui eo abſente irruperāt, ſumma dexteritate ità compoſuit, eam ſibi ex rerum geſtarum magnitudine comparauit authoritatem, vt eum etiam illi quos anteà habuerat inimicos, & reuereri & diligere viderentur. Maieſtatem ſuam tanta retinuit moderatione, vt totus orbis & quidquid vſquàm viueret, nomine Caroli Quinti tantùm audito, protinùs ad reuerentiam & obedientiam commoueretur. Sed quid infinita proſequi pergo? cur externas quærimus victorias? an nō admirāda ſtupendaq; fuit illa victoria, qua hāc clariſſimā vrbem, tutiſſimum totius Germaniæ portum Viennam, à crudeliſſimis impij Mahumetici tyranni latrociniis, quibus eam tum inuaſerat, potentiſſimo ducentorum millium hominum exercitu, feliciſſimè liberauit, atque ſua tantùm præſentia, ità hoſtem à mœniis, à finibus, à regno & & Rep. propulſauit, vt eo viuente, nihil tale ampliùs in hanc Remp. cogitare, nedùm tentare aut adgredi auderet. Intelligo quoſdam hîc coràm adeſſe, qui ab ipſo Imperatore Carolo, cùm huc

pro vobis aduolâſſet, eius hanc diuinam audiuerint vocem: ſe curaturum,ne hæc ciuitas eo viuente vnquàm periclitaretur. Atque hæc licèt pauciſſima tantùm ſint velutì capita eorum beneficiorum, quibus diuinus hic Heros, veſtram vſque ornauit Rempublicam, talia tamen ſunt, quæ omnem laudem ſuperent humanam: pro quibus cùm illi plurimùm tota debeat Reſpublica, Vienna certè omnem ſuam vitam atque ſalutem ei ſoli debere fatebitur.

QVANTA AVTEM virtute omnia ab eo ſint acta, qua fide, qua fortitudine,qua clementia: & quanta pietate omnem vitam ſuam tranſegerit, id verò perpetua memoria & immortalitate dignum iudicari debet. Magnum P. C. pelagus ingreſſus ſum heroicarum prorſus virtutum: non hominis, ſed numinis cuiuſdam diuini: non Principis, ſed Imperatoris: non vulgaris, ſed illius Imperatoris virtutes præ oculis habemus, quo neque prudentiorem, neque animoſiorem vllo ſeculo fuiſſe conſtet. Variæ celebrantur veterum Imperatorum virtutes, quibus alius præ alio præditus fuiſſe commendatur: & ex quibus hic conſilij, alius fortitudinis, a-

lius continentiæ aut ſimilis virtutis æſtimationem ſit conſecutus. In quo autem omnia virtutum dona ità fuerint coniuncta, haud facilè vnum nominare liceat: nec aliquem reperiri exiſtimo, cuius laudes Auſtriacorum Cæſarum virtutes ſuperare poſſint. Abſolutiſſimum habemus in hoc Cæſare Carolo virtutum penè omnium exemplum: cui virtutes ipſæ innatæ, & in quo ſibi domicilium quaſi conſtituiſſe videantur. Ità, vt facilè omnes tum ſingulari virtutum laude, tum diuina prorſus rerum geſtarum gloria, quàm longiſſimè antecelleret. Superabat Numam religione, Æneam pietate, Regulum fide, Rhadamantum iudicio Solonem prudentia, Lycurgum conſilio, Auguſtum æquitate & iuſtitia, Catonem grauitate, Annibalem ſtratagemate, Alexandrum magnanimitate, Cleanthum labore, Apollonium temperantia, Traianum bonitate, atque omnes omni virtutum nobilitate ſuperabat. Clementia certè, quæ maximè Imperatores decet, ei inerat tanta, vt nunquàm bella, contra Chriſtianos maximè, ſuſciperet, niſi coactus: nec vnquàm vel in armatos ſæuiret, vel in victos inſoleſceret. Captum Galliæ Regem, non vt hoſtem tractauit, ſed vt

amicum ſæpè cõſolatus eſt: quem etiam honeſtis conditionibus dimiſſum, nón regno tantùm reſtituit, ſed quô arctiùs ſibi eius amorem adiungeret, propriam ſororem illius connubio iungi clementiſſimè adſenſit: ac tantam ei fidem adhibuit, vt non multò pòſt, paruo cum milite, per medium Galliæ regnum liberrimè & non ſinè admiratione omnium proficiſceretur. Summo etiam Pontifici eam exhibuit clementiam, ex qua facilè intelligere poterat, præter eius voluntatem factum eſſe, quidquid illi ex præmemorata victoria accidiſſet aduerſi, & quaſi eum illius fortunæ pœniteret. Ex cæteris omnibus, qui grauiſſimè in eum deliquerant, nemo ei tantoperè aduerſatus eſt vnquàm, cui non illæſa ſemper dignitate atque iuſtitia, ſummam præſtiterit benignitatem: quem non maximis iterum beneficiis auctum, perpetuo ſibi clementiæ vinculo deuinciret, ſubiiceretque: Et quotuſquiſque horum quæſo eſt, quem non facti ſui vehementiſſimè pœnituerit? aut qui non potiùs mori, quàm tanti Imperatoris Maieſtatem aduerſam habere, vel gratiam eius negligere voluerit? Qua re effecit ſanè Imperator Clementiſſimus, vt rebus Imperij tam inſigni

moderatione ad ſummam dignitatem euectis, motibus verò tam exteris quàm inteſtinis omnibus repreſſis, atque ipſa etiam Reſp. Chriſtiana in ſummam trāquillitatem reſtituta, PATRIAE PATER, Patriæ liberator, Patriæ triumphator, & Reip. Auguſtus, ab omnibus & dici cœperit & haberi. Ex qua tamen laude quæ alios plerunquè titillare, ac ad tyrannidem ſæpè exagitare conſueuit, moderatiſſimus hic Princeps nihil vnquàm inſolentior eſt factus, ſed omnem virtutum ſuarum rerúmque geſtarum gloriam, ſoli Deo, cuius eas geſſerat potentia, perpetuo tribuebat. Vt autem nihil in vita cogitauit vnquàm, quod non vehementer vel ad Reip. commodum ſingulare, vel excellentem publicæ tranquillitatis pertineret commoditatem: ità ei iam ſenio confecto, & non laboribus tantùm, ſed valetudine etiam aduerſa, qua perpetuò laborabat, exhauſto, cùm ex diuino proculdubiò afflatu, diem quaſi obitûs ſui præſentiret, hæc diuina tandèm ſubit cogitatio: Senem diù viuere non poſſe: Ambitioſæ autem & ſacræ dominandi libidinis vim, ingeniorúmque humanorum corruptionē eſſe tantā, quę facilè fratri tum Rom. Regi, ſibi tam

ex totius Imperij conſenſu, quàm ex publico populi decreto in Repub. ſucceſſuro, vel obſtaculum, vel impetum obiicere poſſent. Quare ne huic Reipub. eò etiã mortuo, vel minimum accideret, quod tranquillitatem ſuis ei virtutibus reſtitutam, aut offendere aut turbare poſſet, atque ſic etiã certiſſimo argumẽto in omnẽ poſteritatẽ comprobaret: ſe nihil vnquàm ex mala regnandi libidine egiſſe, ſed hoc potiùs ſtuduiſſe: vt non ſibi, ſed toti populo Chriſtiano: nõ præſenti, ſed futuro etiam ſeculo quæreret ſalutem: Sibi autem turpe videri, eum, qui tot celeberrimis & inauditis claruerit victoriis, proprias cupiditates non eadem conſtãtia vincere poſſe: Imperium fratri ſuo amantiſſimo, Ferdinando Imperatori noſtro Auguſtiſſimo, Filio autem chariſſimo magnanimo Anglorum Regi, Patri & animo & viribus ſimilimo, hæreditaria regna omnia, ea reſignauit alacritate, ac ſi nunquàm ſua, ſed aliena, & ſuæ tantùm cuſtodiæ ab illis ipſi demãdata fuiſſent. Atque hoc vnicum tale eſt, tãque diuinũ ſpectatiſſimæ moderationis & continentiæ exemplum, quale anteà nunquã in Rep. Chriſtiana, neque compertũ, neque auditum fuerat. Nam etſi nõ deſunt,

qui diadema antequàm vita perfungerẽtur, abiecerint: longè tamen id alia ratione factum eſſe, ex illorum propriis conſtat monumentis. Illi enim plerique omnes Imperium aut turpitudine aliqua maculatum, aut infortunio præſidiis populi Romani deſtitutum: vel ex faſtidio, vel ex ignaua deſperatione, deſerere potiùs quàm reſtituere videbantur. Hic verò Carolus noſter, non Imperium, non regna, nec onera tantùm, ſed Maieſtatem etiam & honores, quos ſumma cum dignitate retinere poterat, liberè exuit, & omnes totius mundi illecebras fortiſſimo animo contempſit. Quarum cupiditate multorum Imperatorum animi ità ſæpè turpiter capti fuerunt, vt nec à parricidiis, quibus præter modum olim contaminata erat iſta dignitas, poſſent abſtinere. Nam & fraterno primi maduerunt ſanguine muri. Hac veſana regnandi libidine etiam ſuperbiſſimus Machumeta Solymannus eo ductus eſt impietatis, vt filium ſuum proprium, quem ſibi Imperio ſucceſſurum timebat, ante faciẽ ſuam crudeliſſimè trucidari permitteret. Non ſic pius Imperator, non ſic victorioſiſſmus triumphator noſter, ſed ità dilexit filium, vt quidquid vſquàm haberet virium,

rium,id totum in illum effunderet. Fratrem, quem vt patrem perpetuò venerabatur, dignum iudicauit, quem Imperatoria Maieſtate ornaret, ac ſuprema totius orbis illuſtraret poteſtate. Tanto autem ardore Chriſtianam proſecutus eſt Rēp. vt ab ea omnibus dignitatibus exutus, in exilium potiùs diſcedere maluerit, quàm vt eam dubio mortis ſuæ euentu vel in minimũ diſcrimē, aut ſolicitudinē adducere vellet. Mortis etiam violentia, quam multi, vt ſummum malum pertimeſcere ſolent, vſqueadò nihil deterritus eſt, vt ei exul, ſolus, omni propè humano auxilio deſtitutus, ab amicis quos chariſſimos habebat, & iis quibus totiès ſalutem ſuo periculo reſtituerat, derelictus, fortiſſimo animo occurreret. Quam vbì iam adeſſe intelligeret, mox vna manu IESV Chriſti Saluatoris noſtri imaginē crucifixi, altera candelam arripit accenſam, atque tanta deuotione & humilitate hanc animam ſupremo ſuo Imperatori & authori ipſi reddidit Deo, vt cælum eius pietate moueri, & terra concuti conſtantia videretur. O ſtupendam Dei bonitatem: O diuinas Caroli Cęſaris victorias: O nos verò homines infelices. Videte P. C. videte quæſo æquiſſimi viri,

quàm mirabili Dei cõſilio Optimus hic Cæſar de cælo huic Reip. ſit datus, quãta eã retinuerit fortitudine, & quàm diuinis auctam muneribus vobis iterùm reſtituerit. Cogitate, obſecro, quanta ſpe ex hoc fato Chriſtiana ceciderit Eccleſia, & quàm ſingulari ornamento ipſa Reſp. ſit deſtituta. Nihil quidem huic Imperatori accidit mali, ſed immortalitatis proculdubiò gloriã eſt cõſecut⁹. Venit Carolus, vidit Carolus, vicit Carolus: venit in Rẽp. ſibi multis ſeculis antè deſignatã, vidit perturbatã, vicit reluctãtem, & triumphantem reliquit. Ea autem pietate & animi conſtantia D. Ferdinandus fratris iam ſecutus eſt veſtigia, vt nihil in eo neque virtutis, neque felicitatis præ alio, iure quidem poſſit deſiderari. Tanta denique filiorum vtriuſque magnitudo eſt & pietas, quę non parùm nos poſſint conſolari, atque perpetuam Reip. tranquillitatem hanc futuram non temerè polliceãtur. Sed inconſtantiſſima eſt humanarum rerum conditio, magna etiam fortunæ vis, quæ nunquàm nos ludere deſinit, nec ferè vnquàm ſola contenta eſt calamitate. Atque vtinàm hæc ipſa quoque calamitas non maius nobis minitetur infortunium. Amiſimus enim, & heu indignè

amiſimus eum è Rep. noſtra Principem, qui pietate ſua ſingulari facilè omnem deorum indignationem mitigare, & alienas à Rep. vires, ſua tantùm virtute propulſare poſſet. Patriæ amiſimus patrem, & Reip. liberatorem amiſimus, atque tã felicem amiſimus Imperatorem, quo viuente, nihil nobis vnquàm vel *aduerſari vel triſti⁹ poterat cõtingere. Verùm enim uerò, cùm ſumma ſit rerũm irrecuperabilium felicitas obliuio, atque hoc præcipuum ſit animi benè cõſtituti officium neque ſecundis efferri, neque deiici nimiùm aduerſis: quod proximum eſt, DEũ optimum & ter maximũm quàm humilimè rogabimus, vt Imperatorem, Reges, & Principes noſtros Chriſtianiſſimos, in ea virtute & potentia, quibus ipſam Rẽp. iamdudùm ſunt ingreſſi, in poſterum quoque ad ſuam gloriam & Eccleſiæ ſalutem, incolumes vſque tueri: atque nos etiam reſpicere, & perpetua in pace clementiſſimè velit conſeruare. DIXI.

* aduerſi.

AD INVICTISSIMVM Principem Diuúmque Maximilianum Cæſarem opt. Max. Oratio, Habita Vniuerſitatis Friburgenſis Nomine, Zaſio dicente.

QVanquàm Illuſtriſſ. inuictiſſ. & generoſiſſ. Princeps, Imperator Auguſte, nos qui ad tuam ſereniſſ. Maieſtatem excipiendam, à tuæ Maieſtatis gymnaſio Friburgen. miſſi ſumus, planè fateamur noſtrarum nõ eſſe nec viriũ, nec ingenij, id muneris apud tanti numinis fulgorem verbis quãlibet politis conſequi: Quæ enim humana mens ex æquo veneretur principem immortalib⁹ præconiorum titulis decorandum? principem cuius imperium Oceano, cuius fama aſtris terminatur? Verum enimuerò quod noſtrę ſupereſt exiguitati, tuã auguſtã maieſtatẽ, quãtã maxima veneratione, quanta obediẽtiſſ. ſubiectione poſſum⁹, excipimus, & ingenua, vt addecet, humilimè adpronati conſalutamus: felicem fortunatumque hunc diem arbitrati, quo poſt tot annorum curricula, poſt tot bellicos ſudores, tuam Maieſtatem ſanam iterùm & incolumem videre licuit. Vtinàm vel Ciceronis nobis vel Demoſthenis ſuppeteret facundia, quo illos ardentiſſimos in te, deſideratiſſ. Princeps, noſtrorum animorum affectus, paratiſſima propenſiſſimaque vota, ſtudia, obligamina, ex debito explicaremus. Quippe qui à tua maieſtate, eiuſque illuſtriſſimis progenitorib

origine, priuilegiis, prouentibus fundati, decorati, prouiſi, ſola ea tam honeſta tãtorúmque principum digna liberalitate alimur & propagamur. Quod ſi nulla huiuſmodi munificentia impelleremur, tuorũ tamen eminentiſſimorum nataliũ, rerúmque prçclariſſimè geſtarum admirabilem ſplendorem, quo totus propè orbis in prædicationem tui rapitur, memoria repetẽtes, in maximarũ laudum coagmenta iure optimo prouocaremur. De clariſſimis tuis natalibus, quos tamẽ nõnulli ab Hercule, alij à Priamo deduxerũt ideo in præſentia non dicimus, quod ea res & nõ ſit noſtri inſtituti, & ab idoneis authoribus ampliſſimè pertractetur. Cæterùm, quod in te maius & eminentius fuerit, propria tu virtute, rerũque geſtarũ gloria, MAXIMILIANE, ità celebraris, vt in multa præconiorum quæ nobis offertur ſylua, ſicut ſe principiũ vltrò exhibet, ità finem inuenire difficilimum ſit. Quum enim & paci & bello ſua ſint tempora, & præclaros principes pace liberalitas deceat & clementia, bello laborũ tolerãtia & fortitudo, vtrobiq; tua maieſtas, MAXIMILIANE, ità excellit, vt in ambiguo ſit, alterutrum ſit præſtãtius. Clemẽtiam ingens tua proteſtatur beni-

gnitas, qui benefacere omnibus, parcere delinquentibus conſueuiſti. Natiua hæc domûs Auſtriæ virtus eſt, vt eius principes humanitate potiùs mites & placidi, quàm ſeueritudinis rigore auſteri videãtur: quod cùm in aliis tuis maioribus conſpicuum fuit, tum in te ità egregiè pollet, vt quicunque familiariùs tuæ maieſtati conſueuêre, etiam ſi minoris notæ homines fuerint, patrem te quàm dominum potiùs experiantur. At verò liberalitas vel exuberans in te ſpectatur: nam & nemo vnquàm honeſtus tuæ maieſtatis curiam ſecutus, non opulentiſſimis, eſt muneribus ditatus. Quot enim militares, quot nobiles tua liberalitate confouentur? quot deniquè, ſi cæteros taceam, literati viri tua ſunt beneficentia ſuſtentati & prouidentur? Teſtis noſtra Vniuerſitas, teſtis Vienna, quæ ambo gymnaſia in tua vnius munificentia conquieſcunt. Teſtes innumeri & oratores & poëtæ, qui tua ſunt liberaliſſima erogatione decorati. Et in ſumma, tua hæc inſignis liberalitas, ex hoſtibus amicos, ex alienis tuos, ex infidis fidos facit, omnéſque paſſim & peregrinos & domeſticos ad te amandum allicit & inui-

tat. Mittimus quod in te literarum expeditiſſima eruditio, & quod in aliis principibus deſideratur, variarum doctrinarum profundiſſima inueſtigatio reluceat. At in pace illa. Bello verò tanta inſigniris claritudine, vt quicquid vel maximum de te prædicauerimus, minus illud à laude tua eſſe cenſeatur. Non enarramus hîc, quo inuicto labore primos tuæ iuuentæ annos militari puluere exercueris: frigora, æſtus, cateráque incommoda, quanta animi perſeuerantia pertuleris: non ſomnum, non quietem, non cibum, non potum tibi indulſeris, dum optimi ducis numeros vel omnes expleres. Non enarramus quanto animo tot periculoſa, tot horrida bella inter primos non ſolùm adiêris, ſed & vexilla anteiêris, potentiſſimos inferioris Germaniæ populos iam tum rebelles ſubdideris & ſubiugaueris: non inquam plurima id genus ſpectatiſſima, facinora referimus, quandò multa præterire neceſſitas cogit. Hoc dicimus, in oculis omnium verſari, quot nouiſſimè tua sereniſſ. maieſtas memorabiles deſudauerit victorias. Inuictam tuam vim nonnulli inter primos Germaniæ prin-

cipes, quos non nominamus, ſuperioribus annis ſenſere, quorum potentia cum iam vſque ad formidinem latè pateret, tua ſunt manu in ordinem redacti. Senſere & ferociſſ. Bohemi, quorum vel ſola nomina quum priſca ætate tanto eſſent terrori, vt copioſiſſimi exercitus ab ipſis necdùm conſpectis in fugam verterentur: tu tamen ſimulatque eos aduentantes accepiſti, tuo exercitu non expectato, parua accepta militum manu, in quibus & nõnulli Principes, Comitesque, & nobiles interfuiſſe traduntur: ipſos inopinatos & nihil tale verentes, animo maximo aggreſſus es: & cohortatis ad pugnã, ad res fortiter agendas militibus, in prima acie verſatus, fortiſſima tua manu, tuo illo victorioſiſſimo enſe ità in hoſtes ferebaris, vt quanuis reſiſtere primò animoſiſſimè viderentur, tuo tamen intolerabili impetu pars cæſi, pars in fugã verſi, adeò ſunt profligati, vt in verba tua truculentiſſ. iſti hoſtes vniuerſi, quotquot à bello ſupererant, iuuare cogerentur. Et niſi tuo pientiſſimo clementiſſimóque animo aliud ſediſſet, ſub iugum velut coronata & iam venalia mancipia mitti potuiſſent. Vt meritò id, quod C. Iulium, cùm Pharnacem fugâſſet, dixiſſe legi-

A victoria in Bohemos.

mus,tua de ſe Maieſtas vſurpâſſet, Veni, Vidi,Vici. De Venetis deniquè hoſtibus quid dixerimus?quidum ſe dominos terra mariq́ue iandiù iactitarent, & quos poſt Fridericum primum nullus vel imperatorum vel Principum ne attentauit quidem, tua eos maieſtas breui tempore ità contudit & fregit, vt ſi modò perſeueraretur, non magno negocio in ordinem redigi ſperemus. Hæc tanta, tam præſtantia,aliáque plurima clariſſima tua facinora, tuæ deniquè diuinæ virtutes, quæ in te velut concentu quodam relucent, & quas mirum eſt humanam naturam capere potuiſſe, toti te orbi iam planè admirabilem effecerunt, atque ità effecerunt, vt Chriſtiani paſſim orbis reges & principes, in fœdus amicitiámque tuam coniungi deſiderent, & iungantur: neque id iniuria, ſiquidem cùm vix alij vnquàm principi tot excellentes tum animi,tum naturæ dotes contigiſſe credãtur,tanto in te celebratiora, tanto magìs conſpicua ſunt, quo rariora illa in cæteris apparuêre.Et vt vno verbo dicamus Romani orbis Imperium tibi ſatìs debere non poteſt, quòd eum habeat principem, quem priſcis vel maximis imperatoribus rerum magnitudine vel antefer-

A Venetis repreſsis.

Epilogus.

re,nedùm comparare poſſit. Sedquorſum hæc? neque enim vel muneris noſtri, vel præſentis eſt conditionis, in tuis laudibus, quod maximè deſideraremus, latiùs immorari: nec etiam immenſiſſima iſt hæc noſtra ſufferret exiguitas: vndè finem facimus: &, quod ad noſtram rem attinet, tuæ ſereniſſimæ Maieſtati nos eiúſque ſubiectiſſimã Acedemiam, totius Vniuerſitatis nomine, obedientiſſimè, commendamus, atque ſub tua velut diuini numinis vmbracula confugimus, & ſubmittitur: obnixiſſimè & humilimè petentes, tua Maieſtas, Diue Cæſar, ſolita nos gratiæ benignitate defendat, ab hoſtilibus incurſibus, quibus tandiù nihil tale meriti affligimur & atterimur, ſubleuet, liberet, & tueatur, vt qui in tua vnius gratioſiſſima protectione quieſcamus & foueamur. Tandèm inuictiſſime Maximiliane Princeps omnium deſideratiſſ. Deum Opt. Max. rogamus, vt tuus auguſtiſſ. ſplendor pro Reipub. Chriſtianæ incremento in vltimam vſque ſenectam felix viuat, in dies magis ac magìs fortunetur & floreat. DIXI.

Obedientiã defert tociẽ oĩm.

TRIVMPHVS, D. FERdinando I. Roma. Imperatori inuictiſſ. P.P. Auguſtiſſimo Archigymnaſij Viennenſis nomine, pro felicibus Imperij auſpiciis Renunciatus.

QVemadmodùm nihil eſt non di-
[...]m in toto orbe terrarum, (quem vete[...] Philoſophi numine deorum immortalium regi ſapiētiſſimè iudicârunt) ſed in ipſa rerum humanarum natura, politico magiſtratu dignius, nihil regia poteſtate antiquius, nihil Roman. Principe maius nec auguſtius vſquàm, Inclytiſſime, & inuictiſſ. Cæſar: ità non eſt ſiue robur, ſiue vinculum ſummi huius Magiſtratus & Imperij, aut firmius, aut ſanctius vllum, quàm AMOR ciuium & OBSEQVIVM plebis: nec quidquam pulchrius eſſe poteſt, quàm viuere, vt; illo ait, optantibus cunctis. Amor inquam, quo parére, quo diligere, quo Principem hunc & Monarcham vnum, vt numen cæleſte, vt ſolem in terris, vt vicarium volentis Dei huic mundo diuinitùs datum, populus Chriſtianus agnoſcere velit. Porrò ſi quid in rebus humanis eſt, quo certiùs

quis amorem ſuum declarare poſſit,hoc certè maximum videri debet:ſi ita Principis ſui rebus vel ſecundis vel aduerſis afficiatur,vti ſuis:aut potius,ſi huius ſalutẽ vt cõmunem vtilitatem,priuatis cauſis omnibus anteponat. Sic prudentiſſimus antiquiſſimæ illius & optimæ Reip. S.P.Q.R.Principibus ſuis non ſolum in primo huius laudis ac dignitatis aditu, publicè congratulandũ ſtatuit, ſed pro rebus imperij ſucceſſu prçclarè geſtis, publicos honores & Triumphos, ac etiam poſt mortem communes luctus,ſtatuas, & perpetua monumenta decernere ſolebat. Sic olim vt optimi illius Principis memoria nobis in mentem veniat, D. Cæſar Octauius Auguſtus nõ in vita tãtum communi congratulantiũ voce PATER PATRIAE ſalutatus fuit, ſed mortuo etiam celeberrima templa, tam Romæ quàm per alias vrbes præclariſſimas, conſecrata ſunt animaduerterunt hoc omnes Chriſtianæ Reip.quotquot iã ſunt Reges, Principes & proceres Illuſtriſſimi,qui cum Auguſtiſſ.T. Maieſtati conſtantiſſimo omnium Electorum, Principum,atque adeò totius orbis conſenſu, ſummam Imperij Ro. vltro delatam intellexiſſet: tanto protinus ornatu, tanta

alacritate, tanta promptitudine, quaſi pro nomine, pro honore, pro M. tua Auguſtiſſima ſumma contentione certaturi, quotidie confluunt. Intelligunt hoc idem fideliſſimi Imperij totius ſubditi, qui ſanctiſſima pietate, ſumma obediētia, maxima deuotione S.T.M. turmatim vbique occurrunt, veluti ſub vmbram alarum victorioſiſſimæ Aquilæ confugiunt. Quæ quidem omnia diuina ſunt, cùm veræ totius orbis in te pietatis & obſeruantiæ teſtimonia, tum perpetuæ firmitudinis certiſſima argumenta. Quid enim aliud ſibi volunt, tot Regum, tot principum, tot ciuitatum, tot poteſtatum præſtantiſſimi & diſertiſſimi oratores? Quid tantus comitatus? Quid tam celebris occurſus? Quid communia vota? Quid tot præclariſſimæ orationes? Quid tam angelici, non humanæ tantum vocis, ſed rerum etiam mutarum concentus iucundiſſimi ſignificant? Quam vt S.M.T. intelligat, eam ab omnibus mortalibus nõ aliter, quàm numen aliquod ſibi diuinitus propoſitũ, venerari, ac vt PATRIAE PATREM diligi, mirari vt prudētiſſimũ, reuereri autem vt iuſtiſſimum Imperatorem: tũ optimo cuique planè eſſe perſuaſum, ex te

vno ſummũ ac certiſſimũ tot mille modis afflictæ, & penè extinctę Reip. Chriſtianæ, præſidium parari.

Non nos fugit, prudentiſſime Cęſar, quàm alioqui ſit variũ, quàm lubricum, & quàm ob id S.T. M. ſuſpectum videri poſſit vulgi tumultuantis iudiciũ, quod in rebus ſuo more æſtimandis, nouitatis interim ſtudio magis quã ratione ducitur: quàm porro res ipſa adulationis ſuſpicione ſit plena, etiã quæ vera ſunt, coram liberius in os profundere: maior tamen eſt glorioſiſſime Imperator, virtus illa tua toti orbi cognita, magis hęc vita ex rebus anteà per tot annos in hoc ipſo ſupremo Magiſtratu ſuſtinendo præclariſſimè geſtis perſpecta, quã vt tale quid ex hac communi ipſius tecũ vnà triumphantis Reip. congratulatione, iure quis ſuſpicari aut debeat aut poſſit. Non enim hoc vulgi eſt iudicium, ſed ipſius DEI ac ſummæ æterni patris ſapientiæ conſiliũ & in reb⁹ præclaris, VOX POPVLI, VOX DEI cenſetur. Rei dignitas, vt oẽs taceã, ipſa clamitat, teſtantur hoc non vana hominum piorum, ex ſpiritu cæleſti iam olim de te proclamata vaticinia, MILLE TESTIS EST BONI CVIVSQVE CONCIENTIA:

nec rei ipſius veritas aliter nos vel cogitare, nedum pronunciare, patitur, quàm, quod in te vno omnis totius Reipublic. Chriſtianæ ſpes, ſalus, & authoritas ſit poſita. Nàm etſi paulo antè non exteris tantum bellis, ſed inteſtinis etiã motibus, & malè fœderatis factionibus ad extremum vſque defatigata Reſpub, violata pax, labefactata iuſtitia, religio penè extincta crederetur: tamen vbi tibi redditos Imperij faſces auditum eſt, tantam hæc res mentibus afflictis omnibus lætitiam attulit, tantum Chriſtiani nominis Imperiíque Rom. hoſtibus terrorem incuſſit, ita ſpem piorum omnium confirmauit, vt non ſolum Reſp. iam tum ab interitu vindicata, ſed nihli etiam ſupereſſe videretur, quod amplius requirere, aut admodum deſiderare deberemus, quàm vt DEVS OPT. ET TER MAXI. hoc nobis gaudium faceret ſempiternum. Et profectò ſi quid vnquàm Chriſtianæ pietati ſalutare, toti verò Reip. laude dignum accidit: ſi quid eſt, de quo ſibi Germania noſtra meritò gratulari poſſit, id certè digniſſimũ eſt, ꝙ ab eo tempore quo Rom. Imperium ad Germanos ſingulari Dei conſilio deuenit, Imperatores fortuna quidem & po-

tentia Rom. Principibus haud inferiores ſed virtutibus & diſciplinis habuerit multo cum ſuperiores cum ſanctiores.

Nam ſi penitus omnium hiſtorias perluſtremus, ex multis vix paucos reperias, qui omni ex parte commendatione videantur digni: complures autem ſacros hos faſces depræhendemus crudelitate, libidine, ignauia & ſcelere labefactaſſe: Tum ſi qui ex his paulo fuerint tolerabiliores, illos in hoc tantũ elaboraſſe, vt vno aut altero virtutum genere præſtare viderentur, nec interim vitiis maximis quaſi peculiaribus caruiſſe. Aſt in te vno ita omnia ſunt abſoluta, tã perfecta, adeo perſpicua, vt nihil quod perfectiſſimum Imperatorem, nec quod hominem Deo proximiorem faciat, poſſet deſiderari: ita te omni virtutũ & ſcientiarum genere, tum vero rerum optimarum experientia clarum conſpicimus & illuſtrem, vt cum natura, tum Philoſophia, & ipſa adeò virtus, ſua dona in te potiſſimũ omnia cõtuliſſe videri queant. Omnem verò cùm Romanorum, tum Germanorũ Principũ laudẽ ſuperat, ꝙ in tota EVROPA nulla familia Auſtriæ Principũ, hoc tẽpore neq; illuſtrior ſit, neque antiquior vlla. Quam hiſtoriarũ fides

des vel ab HERCVLE, vel à PRIAMO hucuſque deduxit: ex quorum ſanguine, quod vix vlli generi præclarius contigiſſe puto, tot antea fuerint Imperatores Ro. deſignati. RVDOLPHVS nimirum ille inclitiſſimus, ALBERTVS primus feliciſſimus, ALBERTVS ſecundus ſapientiſſimus, FRIDERICVS pacis amãtiſſimus, MAXIMILIANVS fortiſſimus, & germanus frater tu⁹ CAROLVS QVINTVS victorioſiſſimus: penes quos annis plus quã trecẽtis Imperiũ Ro. atq; Remp. ipſam felicius, quã antea vnquã & ſtetiſſe & floruiſſe cõſtat. Res profecto vt rara ac pene diuina, ita perpetua memoria digna. Vſq; adeo ab omni adulationis ſuſpicione alienũ videri debet, quicquid Auguſtiſſimæ T. Maieſtati vel laudis, vel honoris vnquam eſt exhibitũ: nec quidquã vel de atauis prudẽtiſſimis, vel parentibus clementiſſimis, vel de te & fratre tuo principibus catholiciſſimis poteſt dici tantum, quod non virtutes veſtræ planè Heroicę longè exuperẽt. Adeò vt non iniuria dubitemus, plúſne vobis à Rep. honoris & dignitatis, an verò per vos imperio Ro. & plus Maieſtatis & emolumenti ſit allatum.

Sibi ergò potius, quã tibi, Cæſar Inui-

ctiſſime, gratulari volunt, qui tanta celebritate laudes noménque tuũ commẽdare ſtudent. Ita ſanè, vt olim COCCEIO NERVAE gratulatum fuiſſe accipimus. Qui cũ in curia à Senatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus Arrius Antonius vir acer, eiq; amiciſſimus, cõditionẽ imperãtiũ prudẽter exprimẽs, amplexus eũ, gratulari ſe ait, Senatui & populo prouinciiſque, ipſi autẽ nequaquã: cui ſatius erat, malos ſemper Principes eludere, quã tãti oneris vim ſuſtinentẽ, non moleſtiis modò & periculis ſubiici, ſed framee etiã tã inimicorũ quàm amicorũ. Nam & hi cùm ſe mereri omnia preſumunt, ſi quidquam non extorſerint, atrociores ſæpè fiunt ipſis quoque hoſtibus. Voluit vir prudentiſſimus haud dubiè nos hoc dicto admonitos: ampla imperia & opes magnas, infinitas ſecum trahere moleſtias. Id quod non inſcitè Valerius Maximus peracuti ingenij regem quendam perpendiſſe affirmat: Qui traditũ ſibi diadema priuſquam capiti imponeret, manu diutius retentum adſpexiſſe, ac tandem in hæc verba prorupiſſe dicitur: O nobilẽ magis quàm felicem pannũ, quẽ ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſolicitudinibus, miſeriis atque periculis ſit re-

fert⁹,ne humi quidẽ iacẽtẽ tollere veller.

Ad nos ſanè quod attinet, S. T. M. & vitam & fortunam noſtram debemus omnes,nec tibi, nec nobis, neque Reipublicæ tantum, ſed in commune toti mundo quam poſſumus maximè quidem congratulandum, gaudendum ac manibus & pedibus plaudendum eſſe ducimus.Non tamen facimus tanti ſplẽdidos iſtos tot regnorum titulos, qui te Principem alias Illuſtriſſimum, paulo illuſtriorem: non ſummos Imperij faſces,qui te vix beatiorem reddere poſſũt. Nec ſolum ob eximiam tibi authoritatem aut potentiam iſtam ampliſſimam, cùm humana illa omnia ſint & caduca tantopere gratulandum exiſtimauimus: verum quod tu Auguſtiſſime Cæſar Imperium hoc, vt alios honores & regios titulos omnes, tua propria virtute & induſtria, incomparabili rerum optimarum ſcientia, rebus & pace & bello præclariſſimè geſtis, maximis in Remp. meritis,ſumma felicitate ac ſingulari DEI conſilio ſis adeptus: quod tibi nihil vnquàm minus ambienti,vltro ſit delatum: quod tam piè, tam quietè & pacificè omnia ſint peracta: quòd tam grata ratáque habeatur diuina hęc electio, nom

ipſis tantum Septemuiris, ſed omnibus Imperij ſtatibus, ac totius orbis Chriſtiani cùm principibus tum ordinibus: quòd has ac tantas nobis felicitates omnes, ex ſumma DEI prouidentia obtigiſſe intelligimus: id verò imprimis Cæſareæ tuæ Maieſtati ex animo fauere, ac ipſi Reip. Chriſtianæ gaudere, nobis autem maximè gratulari debemus. Hoc Auguſtiſſ. T. Maieſtati, filiiſq; tuis dilectiſſimis Principibus totius orbis Illuſtriſſimis, honorificentiſſimum, Reip. ſalutare, nobis ac poſteris immortale & perpetuum precamur.

Pro iſtis ac tantis beneficiis ipſa Reſp. atq; adeo totus penè terrarũ orbis DEO quidẽ O P.T. & TER MAX. immortales gratias, Maieſtati verò T. Auguſtiſſimæ ſummos debet honores & Illuſtriſſimos triumphos. Non aliter quàm Ro. olim Reſp. ſuis Imperatoribus pro rebus tam domi quàm foris feliciter peractis, publicos triumphos magna cum laude, ac ſæpè etiam cum admiratione deferre conſueuit.

Sed certè ſi paulò æquiores habeamus rerum æſtimatores ex his omnibus, qui tam glorioſè olim triumpharunt, vix aliquem reperient: qui hono

re iſto æquè fuerit dignus, vt hoc ipſum non ſolum virtus tua ſingularis, ſed diuina prorſus in Remp. merita, ſuo propè Iure à nobis requirere videantur. Quod quidem vt facilè ac lubens agnoſcit Gymnaſium tuum Viennenſe, & ſtudio & gratitudine antiquiſſimum: ita nos vehementer dolemus, nec id vires nec facultates noſtras ſuppetere, ꝙ Cæſareæ T. Maieſtati præſtare ex animo cupimus. Ne tamen, quod turpiſſimum foret, prorſus moriamur, ingrati, ſed literario ſaltem munere, quale idcúnque ſit amorem obſequium & gratitudinem teſtemur, ac aliquam ſignificationem veræ congratulationis exhibeamus: S. T. Maieſtati Cæſ. triplicem hic offerimus triumphum. Triumphum quidē vt Imperatore fortaſſis non indignum, ita tibi iam olim debitum, ac poſteris etiam commendandum: Quorum M. Tuę primum cùm ipſa natura, tum Philoſophia, pro ſingulari ſapientiæ ac optimarum diſciplinarum ſtudio: alterum virtus pro eximia pietate & cæleſti conuerſatione: tertium vero ipſa Reſp. pro æternis & ampliſſimis in eam meritis, rebúſque tā regiè ac feliciter geſtis, gratitudinis loco exhibendos decreuerit.

VT ERGO philoſophia nihil eſt diuinius, nihil admirabilius, neque ad ſummos honores, immo ad ipſam felicitatem conſequendam efficacius quicquam vt primum vrbes peperit, deinde diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocauit, eóſque tandem & domiciliis & coniugiis, tum literarum & vocum cõmunione coniunxit, vt ſola inuentrix legum, ac magiſtra morum eſt & diſciplinæ: ita primum tibi exhibet Triumphũ CVRRVM inquam, non honore tantum illuſtrem, ſed ſecuritate etiam firmum atque tutum. Cuius principium quaſi & AXIS, ſit antiquiſſima generis tui NOBILITAS & POTENTIA inuictiſſima, quæ ipſa ſola quatuor ſuſtinet rotas: LABOREM in negociis, FORTITVDINEM in periculis, INDVSTRIAM in agendo, CELERITATEM in conficiendo. Quas virtutes in te quidem ſummas oſtenderem, niſi iam olim omnibus ſeculis tot doctiſſimorum hominum monumentis ita vbique innotuiſſent, vt admiratione magis, quam fide & teſtimonio, videantur indigere. Dehinc quatuor exurgunt Regiæ prorſus COLVMNAE VIRTVS primum & mẽs quædã diuina. Quæ in te ſingularis

eſt,& toti orbi terrarũ conſpicua. Deinde FELICITAS, deorum ſocietati ſimilima: Qua tu Cæſar prudentiſſime tot turbulentiſſimos totius Imperij motus, ſumma ſemper fide atque diligentia ita compoſuiſti, vt quod nec armis, neque potentia vllo modo comparari poſſe videretur,id tu mira dexteritate,prudentia & conſilio, ſine clade & multo ſanguine feliciſſimè perfeceris: Tum SCIENTIA REI MILITARIS exquiſitiſſima,quam non ſolùm ſuperioribus annis apud Nouam ciuitatem xij. millia Turcarum, ex vnico congreſſu cæſa, ſed ipſius Imperij quoque rebelles ad obediẽtiam cæleſti victoria redacti,non ſine perpetua memoria ſunt experti: Ac demum authoritas illa ſumma, quam in te veluti numen minimè violandum totus reuereretur mũdus. SELLAM porrò Maieſtati tuæ Cæſ. digniſſimam præbet vix vlli comparabilis illa tua rerum tam variarum & illuſtrium experientia. Quæ vt tibi ſint perpetua magiſq; iucũda,ab vno te latere FAMA,quæ claſſicum canat, & AMOR POPVLI,qui moleſtias omnes & pericula Imperij mitiget,perpetuò comitantur: ab altero verò latere FIRMITVDO & SECVRITAS fortiſſimè

aſſiſtunt. AVRIGA ſe hinc offert ipſa
Prou.8. mater omnium bonarum artium SAPIENTIA, per quam diuino teſtimonio REGES RECTÈ REGNANT, ET IVDICES IVSTÈ IVDICANT: Qua nihil eſt optabilius, nihil præſtantius, nihil homine dignius: quæ ſola docet vias, quæ ad quietem & tranquillitatem perducant. Hęc ſua bonitate nouem regit equos, quos totidem hincinde comitantur Muſæ. CLIO, quæ te hiſtoriarum cognitione prudentiſſimum, MELPOMENE, Heroicis virtutibus illuſtriſſimum, THALIA, legum peritia excellentiſſimum prædicat: EVTERPE cæleſtibus his donis claſſicũ præcinit: TERPSICHORE, in te vitæ commendat æquabiliſſimam harmoniam, & concentum probat morum: ERATO, Mathematum, CALLIOPE, humanitatis in te complectitur ſtudium & literarum amorem propè inſatiabilem: VRANIA, cæleſtium tibi ſiderum ſuggerit notitiam. Quæ omnia POLIHYMNIA, cùm variarum linguarum cognitione, tum mira affabilitate gratiora reddit & illuſtrat. Ad hæc equos iſtos vt nobiliſſimos, ita præſtantiſſimos moderatur quidã quaſi præcurſor vel itineris ductor & perſpi-

caciſſimus Phœbus, VOCATIO DIVINA: quæ ſibi iam olim ob heroicas iſtas & planè diuinas virtutes atque ſciẽtias, te potiſſimùm Imperatorem huic mundo delegiſſe videtur: haud aliter quàm diuinus ille vates SAMVEL, *1. Re. 15.* Deum ſibi primùm SAVL, deinde DA- *16.* VID Regem ſecundum cor ſuum, elegiſſe teſtatur. Vnde illud etiam rectiſſimè dici putamus: COR REGIS IN MANV DEI POSITVM ESSE. *Prou. 21.*

ATQVE hic te currus, Inuictiſſime Cæſar, rectà ducit ad alterũ virtutis honorem & Triumphũ, quem GLORIÆ PORTAM, Auguſtiſſimam ſtatuimus, cui pro fundamẽto & baſi ponimus iſta pulcherrima tua facta & res præclariſſimè geſtas, nullis non gentibus cognitas: quas poſteritas admiratura potiùs, quàm in vllo vnquàm æquè copioſas & illuſtres ſit habitura. IANVÆ quæ tibi aditum ad hanc laudem tam præbuerint felicem, commodiſſimæ ſunt, SOLERTIA & MODERATIO, virtutum reliquarum omnium origo & temperamentum. COLVMNAS, in quibus hæ velut in cardine verſentur, ipſa ſibi virtus tua efformauit nobiliſſimas: FORTITVDINEM dico, quæ non ſinit frangi

animum fortuna, & MAGNANIMITATEM, quæ in rebus quantumuis aſperis vel aduerſis, illæſam vſque retinet dignitatem. Quæ virtutes ipſum tandem GLORIAE ARCVM ſpecioſiſſimum exhibent, ſuſtinent, ac tribus veluti globis ſeu pomis, MAGNIFICENTIA ſcilicet, HONORE & DIGNITATE, diſtinguunt & exornant. Quibus, vt rectiſſimè perpendit Cicero, nihil eſt diuinius, nec quidquam ad virtutis imitationem efficacius excogitari poteſt. Ex omnibus enim præmiis virtutum ampliſſimum eſt gloria: quæ vitę breuitatem, poſteritatis memoria conſolatur: quæ efficit, vt abſentes adſimus, mortui viuamus: cuius gradibus etiam homines in cælum videantur aſcendere.

REI verò publicæ adminiſtratio nemini aut rectiùs, aut tutiùs committi poteſt, quàm qui non ſolùm iſtas virtutes habeat omnes, ſed qui vir ſit fortis, innocens, iuſtus, ſeuerus, grauis, largus, beneficus, liberalis & manſuetus: qui primùm libidines refrenet, teneat iracundiam, ſpernat voluptates, ac omnes omnino repellat animi labes, atque tum regere incipiat, cùm ipſe prauis animi cupiditatibus imperare didicerit. Quæ vir-

tutes cùm in te ſolidiſſimæ ſint, ac ita prudentia tua hucuſque defenſa Reſpublica, vt nulla neque virtutis, neque ſummarum artium pars in te iure quidem deſiderari potuerit: meritò Reſpub. Auguſtiſſ. T. Maieſtati tertium renunciat Triumphum, ſummam ſcilicet totius orbis MONARCHIAM, conuenientiſſimo typo ARCE ſeu CASTRO quodã fortiſſimo & inexpugnabili expreſſam: quod non ſine pulcherrima ratione in turres tres magnificentiſſimas, & ſeptem muros ſiue propugnacula tutiſſima, ſit diuiſum: quibus communem omnibus aditum teſtudinis in modum fideliſſima ac vtilis ad omnia monſtret PIETAS: cuius quidam ſunt veluti gradus, pietas in Deum, in patriam, parentes, amicos & proximum, ac diligens in vniuerſum de omnibus ex æquo benè merendi ſtudiũ. Atq; tres illas TVRRES, nihil aliud eſſe putamus, quàm ſumma illa tria capita, in quibus tota Reſp. cõſiſtere videtur, RELIGIONEM, PACEM, & ipſam ſanctiſſimam IVSTITIAM: Pro quibus bonum Imperatorem veluti pro ara & focis ita pugnare decet, vt pro Rep. mori, vt ſe huic totum dare, vt ſua omnia in ea ponere & quaſi conſeruare velit. Earum

virtutum fundamenta, quibus inſeparabili ratione nituntur & incumbunt, ſunt TIMOR DOMINI, TEMPERANTIA, FIDES: Ianuæ verò ſecretiores, COGNITIO DEI, HVMILITAS, & VERITAS habentur. Ac vt longitudinem earum metiuntur, VOLVNTAS DEI, LIBERALITAS, ÆQVITAS: ita latitudinem GRATIA DIVINA, CLEMENTIA, BONITAS, exprimere videntur. Ipſis porrò apicibus hæc cæleſtia quaſi oracula, BEATITVDO, VICTORIA & SALVS POPVLI, conſpiciuntur incubare. Quæ omnibus virtutum cultoribus, maximè illis, qui in defenſione caſtri huius ad finemvſque perſeuerauerint, diuina, æterna, & nullo nec labore comparanda, nec precio æſtimanda præmia, videantur polliceri. Septem denique muri atque propugnacula huius arcis, ſiue potiùs ipſius Reip. quid aliud ſint, quàm ſeptem illi Græciæ Sapiẽtes? SOLON, cui ea potiſſimum placet Reſp. in qua iniuriam alteri illatam, vt ſibi quiſque factam vindicet: BIAS, qui eam Remp. optimam eſſe iudicat, in qua legem omnes perinde vt Tyrannum metuant: THALES eam, quæ ciues neque prædiuites, nec admodum pauperes

contineat: PERIANDER, in qua, cùm reliqua exiſtimentur, virtute quod melius, vitio autem quod deterius eſt, definiatur: CLEOBVLVS illum populum maximè benè compoſitũ eſſe putat, vbi ciues magis infamiam, quàm legem, metuant: PITTACVS, vbi malis imperare non liceat: CHILO ei Reip. palmam tulit, quæ magis leges, quàm verborum audiat lenocinia. Atque hi ferrei aut pluſquàm ahenei ſunt totius Reip. Chriſtianæ muri, qui nulla hoſtium vi, nulla fortunæ potentia, nec vlla temporis iniuria poſſunt expugnari. Errat enim, & grauiter & ſtultè & pernicioſè errat, quiſquis aut tutiora, aut firmiora non modò ciuitatum, ſed totius Reip. præſidia eſſe putat, quàm religionẽ, quàm pacem, quàm iuſtitiam: aut qui rectiùs ea adminiſtrari poſſe exiſtimat, quàm ſcientia, virtute, atque ſapientia. Nam & SOCRATES eas demum beatas fore Reſp. prædixit, in quibus aut docti regerent, aut qui regerent, omne ſtudiũ in doctrina & ſapientia collocâſſent. Quod cùm ita ſit, perpende tu prudentiſſime Cæſar, quàm neceſſarium præſidium Reipub. ſint Scholæ: Ex quibus ſolis hæc omnia, veluti Palladis ex equo, proficiſcũtur. Vbi non

tantùm optima efformãtur ingenia, neque nuda ſolùm traduntur artium præcepta, ſed virtutum omnium fontes aperiuntur: Vbi etiam non modò quæ ſit optima Reſpub. compoſitis diſſeritur verbis, ſed quibus ea rationibus regi, tueri & conſeruari rectiſſimè poſſit, re ipſa ſapientiſſimè demõſtratur. Ac ob id etiam cogita, quæſo, quanti faciendum ſit hoc tuum Viennenſe Archigymnaſium, ſiue frequentiam quis doctiſſimorum hominum, ſiue ſingularem doctrinam variarum artium ſpectet, florentiſſimum: ex quo magni indies viri ſumma cùm laude tum vtilitate ad Rempublicam prodeũt, quorum ſtudio, conſilio atque prudentia, non ſolùm hæc noſtra Reſpublica, ſed totus propè mundus rectè adminiſtrari, ac in poſterum etiam in tuto collocari & conſeruari queant. Ex quibus non obſcurè patet, non igni, non aqua, non ipſis elementis tantoperè in Repub. benè conſtituta opus eſſe, atque Scholis & conſiliis prudentum. Nam vt nulla Reſp. ſalua & incolumis eſſe poteſt, vbi aut virtus, religio, pietas negligitur, aut violatur pax atque publica tranquillitas, aut iuſtitia & æquitas vel vi, vel fraude corrũpitur: ſic iſta omnia, nec ipſa Reſp.

immò nec virtus, neque religio, neque adeò ſalus ipſa æterna, ſine Scholarum præſidio, ſine literis & ſine doctorũ hominum conſilio, doctrina atque ſapientia, nec aſſequi rectè, nec tutò tueri, neque conſeruari integra poſſunt.

HOS ERGO Triumphos, tam celebres, tam Illuſtres, tam regios ac penè diuinos, tu ſapientiſſime Cæſar non quaſi à nobis aut abs homine fictos, ſed ab ipſa Philoſophia, à virtute, à Republica pro iſtis tuis meritis ampliſſimis, pro pietate, pro victoria cæleſti, iam olim ex ſingulari Dei conſilio deſtinatos & decretos ita accipe, ita amplectere: non quaſi tale quid in te, qui ſaltem vir ſit bonus, vllo iure deſiderare poſſit, ſed vt his te virtutibus atque ſcientiis omnibus diuinitus pręditum & exornatum eſſe, ipſa te Philoſophia commendet, pronunciet virtus, agnoſcat Reſpub. proclamet fama, & propria cuiuſque boni viri teſtetur conſcientia. Immò quæ vis & potentia eſt ipſius virtutis, omnes tui (ſi qui ob fortunam & feliciorem rerum tuarum exitum ſunt indigni) hoſtes fateri cogantur, ac pleno vbique ore profiteantur, te bonum, te pium, te ſanctum eſſe Cæſarem: quos rectiùs etiã, inter bonos

probiſſimum, inter pios pientiſſimum, inter ſanctos ſanctiſſimũ dixiſſe putem.

NON videmus Auguſtiſſime, feliciſſime & glorioſiſſime Cæſar, quid Cæſarea T. Ma. glorioſius, quid magnificentius, quid dignius, nobis verò quid felicius, aut quid æquè toti Reip. Chriſtianæ ſalutare, vel à DEO OPT. MAX. precari, vel à fortuna contingere potuerit: quàm quod tibi hac ipſa tanta dignitas, & ſumma totius orbis poteſtas, non fortuna, non caſu, non vllo humano præſidio, ſed comitante virtute, ſcientia & ſapientia, ex cæleſtium omnium conſenſu ab ipſo Deo, ſummo cælorum atque terrarum omnium Monarcha, tanta expectatione, tanta felicitate & opportunitate tanta ſit collata. Quis, quæſo, tam ſit vecors aut imprudens, qui hanc nobis felicitatem cælitus eſſe datam non intelligat? qui non videat à Domino illud eſſe factum? qui non, regnante te, ſummam ſperet rerum omnium tranquillitatem? Magnum profectò hoc eſt Reipub. iam diu multúmque exagitatæ ſolatium, ſed longè maius ac diuinius multo id eſt, quod tam ipſa natura, quàm admirabilis Dei bonitas & clementia, Maieſtati T. Cæſ. filios tres dederit etiamnum ſuperſtites

ſtites, Principes Auguſtiſſimæ huius Auſtriacæ familiæ, cùm natalium ſplendore, tum paternis hiſce virtutibus penè omnibus Illuſtriſſimos: Vnum Bohemorum Regem D. MAXIMILIANVM, ſummum decus atque præſidium: alterũ FERDINANDVM, fortitudinem: & CAROLVM, delicias totius orbis terrarũ. Quos ita Auorum veſtigiis, ita paternis ſtudiis, labore, diligentia, & quadã quaſi contentione inſigni incumbere videmus, vt ſpes nobis ac toti Reipublicæ non vana ſit relicta: illum magnanimo Cæſari MAXIMILIANO, alterum tibi Clementiſſimo Imperatori, & authoritate & felicitate atque Imperio ſucceſſuros: hunc verò perfecturum tandem ea, quæ ab olim vſque multis ſeculis antè, vel de illo Magno, vel hoc noſtro victorioſiſſimo CAROLO, fratre tuo Germano, ſapientũ induſtria vaticinata ſunt, atque ſic nobis hanc lætitiam & felicitatem fore perpetuam.

TIBI ne hoc feliciſſime Imperator, an iſtis filiis tuis Principibus Auguſtiſſimis, an vero toti terrarum orbi gratulemur, prorſus ignoro, & vix me hîc contineo, quin voce intentiſſima exclamem: O admirabilem Dei ſapientiam. O te-

Principem Imperatorem ter quatérque beatum, qui non ſolùm ipſe pacatam & tranquillam poſſis reddere Rempub. ſed iam tum etiam videre & intelligere, quibus eam ſis relicturus, & qualem poſt te ſtatum ſit habitura. O nos nimium felices, quibus talis contigit Imperator, ſub cuius virtute & pietate bello tutius ſit viuere, quàm ſub aliorum inſolenti faſtuoſa & ſuperba potentia periclitari. Totus horreo, & vix lachrymas præ nimio gaudio continere poſſum, dum mihi videor videre, quàm triſtiſſimam faciem, quàm turbulentiſſimum ſtatum Reſpub. nunc haberet, ſi Imperium illi, qui id paulò antè non diſſimulanter per vim & ſuperbiam affectârunt, obtinuiſſent. O quàm vellem ita natura eſſe comparatum: Vtinam DEO Opt. Max. ita ſit viſum, vt Maieſtas T. Cæſ. ad finem vſque mundi huius ſupereſſe poſſit, quò iſta nobis felicitate perpetuò frui liceret. Verùm quãdo diuinæ id ſapientiæ aliter ſit viſum, & ineuitabilis omnibus ſit moriendi neceſſitas, à qua lege ne Chriſtus quidem ſaluator noſter ipſe liber eſſe voluerit, ac ob id nihil præclarius ſit, quàm tum benè de Republica mereri, dum viuere licet, ac æternã ſibi ex virtute potiſſimum

laudem & gloriam comparare: ad tuam iſtam Inuictiſſime Cæſar ſapientiæ virtutem Imperij Maieſtatem Auguſtiſſimam confugimus, hanc veluti numen cęleſte intuemur, hanc ſuſpicimus & imploramus, in hac acquieſcimus: huic primùm religionem, deinde pacem & iuſtitiam ac ſanctiſſimam rerum omnium æquabilitatem, tum etiam Gymnaſiũ hoc tuum Viennenſe celeberrimum, atque adeò Scholas in vniuerſum omnes (quæ fundamenta & ſeminaria ſunt, non præſentis tantùm, ſed futuræ etiam Reip. ac totius poſteritatis) in ſuam fidem, pietatem atque tutelam humilimè commendamus. Pro quibus Maieſtatem T. Auguſtiſſ. quæ tua eſt prudentia & magnanimitas, nullos non labores & pericula fortiſſimè ſuſcepturam nunquam dubitamus, atque ſic omnino futurum ſperamus, vt Maieſtas T. Cæſarea non tantùm ipſa pacatã atque tranquillã Remp. tueri & conſeruare, ſed poſt eris etiam multò quietiorem relinquere, & ex hoc tandem Imperio perpetuum ſibi regnum comparare poſſit: Proculdubio æternum ibi cum Electis omnibus triumphaturus, & æquiſſimi illius Dei, cuius tu vices tam ſtrenuè hîc geſſeris, ſuauiſſimam

Matt.25. beatiſſimámque vocem auditurus: Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudiũ Domini tui: gaudium inquam,
3.Cor.2. quod ante ſecula ſolis virtutum cultoribus deſtinatum eſt, & quale oculus humanus nec viderit, nec audiuerit auris, neque in cor hominis deſcenderit vnquam.

Sequens Precatio, Rectore cum tota Acrdemia flexis genibus procumbente, recitata eſt.

QVOD reſtat vnicum, ad tuam mitiſſime IESV diuinam clementiam & bonitatem ſingularem recurrimus: tibi primùm gratias, tibi laudes, tibi triumphos pro his & tantis beneficiis perpetuos deferimus & immortales. Deinde cùm in tanta oberremus omnium rerum confuſione, in tanta religionis perturbatione, vbi tot ferè ſint fides, quod non tantùm nationes, non ciuitates, non domus, non familiæ, ſed quot omnino ſunt capita: nec ferè ſatis conſtare poſſit, quid quiſque credere debeat: in tanta non ethnicorum modò, ſed Chriſtianorum etiam tam Principum quàm ſubditorũ diſcordia, vt nec hoſpes ſit ab hoſpite tutus: in tanta neceſſitate, in qua omnes de ſalute ſua deſperare videantur:

ſumma rogamus tuam potentiam ac immenſam teſtamur pietatem, vt qui tibi hunc Principem Auguſtiſſimum, præ cæteris omnibus vicarium in terris, nobis quaſi deum, toti verò mundo caput & dominum non ſine cęleſti conſilio & totius orbis conſenſu conſtituiſti, eum tu O ſumme pater, pro incomparabili pietate tua, tam diu ſaluum & incolumem cõſerues, vſque dum his malis omnibus non auxiliatrices tantùm manus admouere, ſed omnibus calamitatibus finem imponere, & pacatam atque tranquillam totam Rempub. reddere poſſit. Ita conſiliariorum ſuorum animos prudentia & pietate illuſtres, vt nihil S. M. ſuæ Cæſ. ſuggerant, nihil conſulant, neq; cupiant, quàm quod ad T. Maieſtat. diuinæ gloriam, & omnium pertineat ſalutem. Ita potentiam & ſuperbiam crudeliſſimorum nominis tui ſanctiſſimi atque ipſius Imperij hoſtium perfringas, vt te omnes vnicum, ſummũ, verum, æternũ Deum, & Dominum Dominantium, adorare: illum verò vt tuum vicarium, caput & Dominum mundi agnoſcere ac reuereri cogantur: Ita filios huius Imperatoris dilectiſſimos, Principes totius orbis illuſtriſſimos, in vera pietate, ſapientia diuina, &

valetudine proſpera velis conſeruare, vt tuo auxilio, tua clemētia & bonitate, parenti ſuo Principi Auguſtiſſimo, & virtute & potentia ſuccedere, illius conatus ſanctiſſimos prouehere & abſoluere, ac ipſam demum Rempub. Chriſtianam in perpetuam incolumitatem, ad tuam potiſſimum laudem & gloriam & ſalutem omnium, collocare & conſeruare queāt. Agè pater, reſpice quæ petimus, ſuppedita quæ non intelligimus, præſta quæ petere nec auſi, nec meriti ſumus vnquam. Tuam promoue gloriam, noſtram ſerua ſalutem: defende religionē, auge pacem, tuere iuſtitiam. Viuat hic Ferdinandus, Imperet Ferdinandus, Triumphet Ferdinandus: ſuccedant ſibi filij, floreat ſub his Reſp. Chriſtiana: gaudeat Auſtria, totum gratuletur Imperium: nomen tuum in æterna laudetur ſecula, & nos in te perpetua fruamur felicitate, Amen.

DE INVICTISSIMI IMPERatoris Ferdinandi primi Cæſaris Auguſti P. F. P. P. Imperio, Carmina aliquot Authore Petro à Rotis I. V. D.

FErdinando faſces, fratris faſtigia, fortis
Fortunæq; fauor, fauſtáque fata ferūt

Fruſtrà fœdifragi flamma ferróque ferentur,
Feruorem frangent fortia fata ferum.
Fœdifragos, flamma frameáque furēte feroces,
Frāget Ferdnādus, fáſque ſi démque feret.
Flamen felici faſtigia fœdere firmans.
Ferdnando faſces fatáque fauſta fouet.

ALIVD EIVSDEM.

Fulcrum fidele, fortium fortiſsimus
Fit, fratre feſſo, Ferdinandus faſcium.
Fatum ferendo faſcium faſtigio,
Felicitate Ferdinandum fulciet,
Fortuna fauſtis fauſta fiet flatibus.
Fruſtrà feretur fraudulentus, furcifer
Fœdifragas, flammæ furore feruidæ:
Ferro flagríſque Ferdinandus fortior,
Fœdifragi fractum furorem finiet,
Fidem fouebit, fáſque firmum fulciet.
Faſtigio faſci fauénſque fulgido
Flamen, fouebit Ferdinandum filium.

ALIVD EIVSDEM.

Faſcium faſtigia Ferdinandus
Firma, fortunæ facilis fauore,
Fratre fert feſſo, facie fauenti
Fata feruntur.
Fortiter ferrum, furiíſque flagrans
Flamma funeſtis, feritáſque furis,
Fraude frangentis fideique fáſque
Fœdera feſtæ,
Finietur, fœdifragúſque fallax

Fur, feret fortis flagra Ferdinandi,
Fortium fortes frameas, ferétque
Ferrea frena.
Faſcium flamen, fideíque fulcrum
Fulciet faſces, faciétque firmos:
Filij fauſtè faciles futura
Fruge fruentur.

EPISTOLA HENRICI CHRISTIANISS. FRANCOrum Regis, ad Rom. Imperatorem Ferdinandum, & Status Imperij.

HENRICVS *Dei gratia Francorũ Rex, Sereniſſ. ac potentiſſimo principi Imperatori ſemper Auguſto, Fratri & conſanguineo noſtro chariſſimo, Reuerẽdiſſimis, Illuſtriſſimis, Magnificis, Spectabilibus, Prudentibus ſacri Romani Imperij Principibus Electoribus & Principibus, Prælatis, Comitibus, liberis & Imperij ciuitatibus, noſtris charis cognatis, amicis & confœderatis Auguſtæ Vindelicorum conuentum agentibus, Salutem plurimam dicit.*

GRauiter moleſtéque tulimus, vſque adhuc præbitam facultatẽ non fuiſſe, neque tutum ſecurúmque iter patuiſſe, vt ad vos ablegaremus, qui perpetuam

conſtantémq; animi noſtri propenſionẽ erga ſanctiſſimum imperium, omnéſque eius Principes & ordines, declararẽt. Neque ſine incredibili animi dolore tã diu eius rei occaſio nobis adempta fuit, ſicuti & vobis ſatis compertum eſſe arbitramur. Et ne huic officio deeſſemus, quæ hucuſque tentauerimus, atque hæc nos hac in re excuſatio ſatis liberabit. Itaque ſtatim cùm & iter & aditus liber patuit, nihil prius antiquiúſque duximus, quàm vt ad vos ex amicis & conſiliariis noſtris mitteremus BORDILORII dominum equitem auratum, ordinis noſtri in prouincia Campaniæ (pro abſentia chariſſimi dilectiſſimíque conſanguinei noſtri Ducis Niuerniæ) locum tenentem noſtrum generalem, & Archiepiſcopum Viennenſem, è noſtro ſanctiore conſilio, qui has ad vos pertulerunt, quibus negocium poteſtatémque dedimus, vt officium omne debitum veræ ſynceræque amicitiæ, pro fœdere (quod iam inde vſque ab vltimis temporibus inter ſanctiſſimum Imperium noſtrúmque regnũ interceſſit) vobis redderent & perſoluerẽt, & nonnulla quæ ad eam rationem pertinent, vobis ex noſtra parte exponerent. Vos autem sereniſſime ac potentiſſime

Imperator, frater & cõſanguinee noſter chariſſime, Reuerendiſſimi & Illuſtriſſibi Principes ac reliqui ordines, ita obſecramus, vt magis ex animo facere non poſſimus, vt hos audire, his credere & fidem habere quicquid vobis dixerint, æquè velitis, vt faceretis, ſi ex ore noſtro oratio mitteretur: DEVM OPT. MAX. precantes, Sereniſſime ac potentiſſime Imperator ſemper Auguſte, frater ac conſanguinee ſemper chariſſime, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Magnifici, ſpectabiles, prudentes, ſacri Romani Imperij Principes Electores & Principes, Prælati & Comites, liberi & Imperij ciuitates, noſtri chari cognati & amici & confœderati, vos ſanctiſſima ſua cuſtodia tueri velit. Datum Pariſiis die 1. menſis Ianuarij, Anno 1559.

Frater, conſanguineus & amicus
Henricus.

ORATIO LEGATORVM Henrici Gallorum Regis in comitiis apud Auguſtam 1559. habita.

INVICTISSIME Cęſar, vóſque Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Electores Principes, ac reliquorum ordinum & ſta-

tuũ ſacri Romani Imperij prętantiſſimi & ampliſſimiviri, legationis noſtræ teſtimoniũ ac fidẽ habetis ex his, quæ nobis redditæ ſunt à Chriſtianiſſimo Rege, literis: dicẽdi facultatẽ pro veteri Germanorũ omniúmque gentium iure & libertate nacti, legationis cauſas & Regis noſtri poſtulata, paucis aperiemus. Nec enim tanquam de re noua, vel admodum difficili apud ignotos aut dubios verba facturis, attentiores aures nobis conciliandę ſunt. Sed cùm Regis cognati & amici nomine apud amiciſſimos dicendũ ſit, de conſeruanda iam inde à naſcentis vtriuſq; gentis origine inita ſocietate & amicitia, certò nobis perſuademus, nulli veſtrûm non probatum iri noſtram hãc orationem, pręcipuè dum ea complectetur, quæ vt audire iucundiſſimum eſt, ita fructum ex illis percipere, & ad Imperij Romani dignitatem maximè pertinet, & Reipub. Chriſtianæ ſalutem.

POSTQVAM viſum eſt ampliſſimo huic ordini, vt tu Cæſar iamdudum Imperij ſucceſſor deſignatus in Caroli fratris locũ, communiũ Electorũ ſuffragio ſufficereris, téque ſub hæc initia adeptæ dignitatis indictis more maiorum conuentibus, de iis inire conſiliũ cõpertum

eſſet, quæ Reipub. componendę & ſtabiliendæ ſtatum imprimis reſpicerent, viſum eſt & Hērico Galliarum Regi chriſtianiſſimo, nos Legatos ſuos huc mittere: cùm vt tibi nouo Auguſto Regis cognati & amici veteris nomine ſalutem, fauſta feliciáque omnia precaremur, (in quo iampridèm fidem noſtram liberauimus) tam vt vos Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Electores, Principes & ſtatus ampliſſimi, omni cognationum & fœderum nexu copulatos, iiſdem beneuolentiæ officiis proſequeremur. Itaque quandò nulla legatio à Regibus noſtris profecta recenſeri poteſt, quæ cum Germaniæ Imperiiq́ue Romani rationibus non fuerit cōiuncta: cúmque REX HENRICVS acceptam hanc à maioribus ſuis legem, non tantùm lubens amplectatur, ſed etiam in honeſtiſſimo illo benè merendi ſtudio, & in maiorum ſuorū exemplo, & ſe ipſo etiam ſuperādo, quotidiè laboret, conſilia omnia communia fore ꝓ cognationis & amicitię iure ſummoperè cupit. Nam cùm omnia ad Reipub. Chriſtianæ quietem, & Imperij Romani decus præcipuè vergant, nō eſt cur aliam mentem Regi amiciſſimo quis ineſſe putet, qui ſemper publici boni & vti-

litatum veſtrarum ſtudioſiſſimus fuit.

EXAGITATA eſt ſuperioribꝰ annis domeſtico bello Germania tam miſerè, vt magnam Chriſtiano orbi calamitatem allatura videretur: tāta ſtudiorum diſſenſio, tam obſtinati in perniciem mutuā animi, tam difficilis in gratiā reditus. Ea res vt proborum omnium animos vulnerauit, qui Germaniæ benè volunt, & Reipub. Chriſtianæ ſaluti benè conſulunt: ità Reges noſtros inprimìs tam malè habuit, vt fortunas eorum, quorum res tam afflictæ erant, diutiùs premi, æquo animo non tulerint: quin etiam quod per illos honeſtè licuit, procuratum & effectum eſt, vt illi quos temporum iniuria conceſſerat, ſublato grauioris periculi metu, antiquis ſedibus & amicis redderentur.

ACCIDIT TANDEM, vt fatalis illa bellorum lues, quæ Germaniam aliquot annis ancipiti fortuna, ſed certiſſimo Reipub. damno afflixerat, ad nos quoquè permearet. Ità potentiſſimi Galliarum & Hiſpaniarum Reges, dum iura & iniurias proſequuntur, magno armorum apparatu multos iam annos cōtendunt, ac belli ſupra memoriam hominū maximi fortunam periclitantur, ac niſi

Deus ille generis humani author & cuſtos, diſſidentiũ Regũ animos, in iis quæ per Legatos vtrinque habentur de pace colloquiis, propediem reuocet ad placatiora conſilia, & ſarciendæ cõcordiæ leges, magna rerũ multarũ cõmutatio, ex tã diuturno bello diuti⁹ abeſſe nõ poteſt.

INTEREA dum euentum rei expectamus, inter has ſperati boni aut mali, omnibus ex ęquo imminẽtis ſuſpiciones gratiſſimũ tamẽ eſt intelligere, Germaniã his malis liberatam, in tuto agere, æſtum illũ priorũ diſſidiorum efferbuiſſe, atque ſublata illa peruicaci diſcordia, (quæ ſola Imperium veſtrũ labefactabat, ſola legibus, pietati, Reipublicæ interitum à ſtirpe allatura videbatur) nunc propenſiores veſtrorũ hominum animos veteris odij reliquias prorſus extinguere, controuerſiis omnibus magna ex parte amicè compoſitis, aut æquis legibus propediem terminandis. Quæ cùm Germaniã Germanis reddant, & felices ſuis ciuibus Reſpub. dici non poteſt, quantum hinc lætitiæ redeat ad Regem Chriſtianiſſimũ qui Germaniam Romani Imperij Sedẽ, hoc tuo, Cæſar optime ſancto in bonum publicũ ſtudio & voto hoc veſtro Principes celeberrimi, omnium conſenſu &

ſuffragatione non tantùm conſeruatum iri confidat, ſed validiſſimam quoquè ad caſus omnes perferendos lubens adſpiciat.

SIQVIDEM ex veterum teſtimonio & monumentis pro comperto habemus, Germanorum Imperium, quod nec vi, nec ſcelere partum, ſed à maiorib⁹ acceptum, iuſtitia & legibus corroboratum eſt, nullam externorũ armorum vim vnquam reformidâſſe, aduerſùs veterum Romanorum potentiam, quanquam reliquum propè orbem perdomuerant, integrum tamen permanſiſſe, donec iniectis hoſtium fraude diſſenſionum ſeminibus, & commiſſis inuicèm partibus, aduerſariorum iniuriæ opportunum fieret. Quibus tamen ſublatis & conſpirãtibus in bonũ publicũ animis, priſtinã ſemper recuperauit & in bello armorũ gloriã, & in pace legũ ſecuritatem. Quæ cùm omnia vobis nunc cõtigiſſe ſummoperè lætemur, perpetuámque illam felicitatem vobis optemus & precemur: ità ad eam rẽ augendã & conſeruandã, magnũ adferimus adiumentum HENRICI REGIS Chriſtianiſſimi ſyncerã & cõſtantẽ in amicitia fidẽ. Quæ cũ nihil fictũ, nihil opertũ, ſed nuda oĩa & veritati amica pręſ

ſe ferat, ſempiterna procul dubiò iudicanda eſt.

MVLTA ſunt, Principes Illuſtriſſimi & viri optimi, quæ huius amicitię nodos & vincula nexuerunt: multa etiam quæ retinere debent, & maximè poſſunt: Primum omnium ſanguinis neceſſitudines, quæ à prima noſtra origine claruerunt, & mutua genti noſtræ nomina viciſsìm & ornamenta cõtulerunt: Reges noſtos à Germanis originem traxiſſe, non tantùm non erubeſcimus, verum etiam propemodùm gloriamur: Eoſdem imperij veſtri & ordinum authores facilè cognoſcitis. Ità quibus ortum dediſtis, maximæ dignitatis ornamenta accepta refertis. Secuta ſunt vtriuſque gentis varia ſtudia, & par propemodùm gloria, cùm in bellicæ rei virtute, tam in pacis conſtantia. Præthereà fœdera innumera quæ interceſſerunt: ſiquidem ea pacta, eas tabellarum cautiones nihil moramur, dum antiquiſſimas neceſſitudines conſideramus, quæ ex ſeſe ſubſiſtunt, & populorum pectoribus altiùs infixæ, longa temporum ſerie tam altas radices egêrunt, vt natura eas videatur inſeruiſſe, ex morum & voluntatum ſimilitudine conſenſum & ſocietatẽ, quæ nullis indigeãt

literarum

literarum adminiculis. Quòd ſi vtilitatum quoquè ratio habeatur, vtraque gẽs magnis inuicèm ſe commerciis exercuit: nulla ad omnes caſus ex ęquo ferendos ſeſe magis comparauit, nulla in aduerſis (vt ſunt rerum humanarũ varietates & vices) alterius opem prę ſentiùs ſenſit, nulla cauſa alia aut vtilior aut æquior viſa eſt, quæ aliò vertere conſilia ſuaſerit. Superuacaneum eſt exempla hîc commemorare, quibus vltrò citróque, collatis & acceptis beneficiis, beneuolentiam mutuam declarauimus: tum quod ea penè recẽtia in oculis omniũ verſentur, tũ quod voluimus amicitiæ officia & fructus veluti ad calculos reuocare: hoc ſatis fuerit teſtatum vniuerſo orbi reliquiſſe: Reges noſtros amicitiam veſtram tum priuatim tum publicè coluiſſe, nec facilè admiſiſſe, vt oblata benemerendi occaſio, ſine fructu aliquandò effluerct. Intereà tamen aliud nihil ſpectatum, quam rei præclarè & amicè geſtæ conſcientia, & poſteritatis exemplum. Idem à vobis nos etiam plerunque percepiſſe, non tantùm non inficiamur, ſed etiam apertè profitemur.

QVANQVAM enim ea quæ ante annos quatuordecim interceſſerunt, par-

rùm beneuolè à vobis conſulta, fines amicitiæ prętergredi nonnullis videri potuerint, malumus tũ quicquid id fuit, tẽporũ illorũ infelicitati tribuere, (quibus Germania variis diſſidiis conflagrabat, bellũ etiã ingens totã Europam conturbabat) quàm exiſtimare vos alienato animo quicquid durius in nos conſtituiſſe. Quippe in tãta rerũ perturbatione nonnihil à vobis exigi potuit, quod amicitiæ rationibus quidem nõ cõſentiret. Sed ità tñ lædere, vt vulnus lætale, nec altiùs inflictum, ſed medicabile, leui remedio curaretur. Etenim cõpertum vobis erat, vos nulla à nobis illata iniuria prouocatos, ſed vi neſcio qua maiori compulſos, in illius voluntatem cõceſſiſſe, qui tũ rerum magna ex parte potiebatur. (nè quid ampliùs ſubiiciã, nolo enim mánes mortuorum interpellare.) illud tantùm addã, eandem malorum luem, quæ nos bello cum Carolo Cæſare implicuerat, quod & in filium deriuauit, obſtitiſſe, quo minùs Oratores, Legatos ad conuentus ſuperiores Rex miſerit, quod nobis non incognitum eſſet, Legatos Regios, hoſtium opera, itinerum ſecuritate excludi.

VERVM enimuerò amicos intereã officioſè colere. Germanos imprimis vt,

prçcipuos, è re & fide noſtra eſſe perpetuò reputabamus. Atque itâ nos cōparabamus, vt ad æquiora tempora, qualia ſeſe hodiè obtulerunt, dignam amicitiæ & beneuolentiæ ſignificationē teſtaremur.

VERVM vt aliquandò orationem cōtrahamus, ſi amicorum nemo vnquàm ſatis habuit, ſi exercitus, ſi opes, & omnia quæ hominibus poſſunt cōtingere rerum humanarum ornamenta, amicis inferiora ſunt, cōſequēs eſt, vt nobis perſuadeamus, vobis Regū omniū Regis Chriſtianiſſ. in primis amicitiā chariſſimā fore: Regis, inquam, qui cauſam veſtrā à capite proprio ſeiunctā nunquā habuit, qui ad nouas amicitias nunquā animū adiecit, vt intereà à veſtra diſcederet, qui theſauros apud amicos deponere vt glorioſum ſēper exiſtimauit, itá ærario clauſos cōprimere, quando aliter amicorū cauſa poſtulat, flagitioſum: quo deniquè ſaluo & integro, nihil de Imperij veſtri dignitare, nihil de iure veſtro decedere poteſt. aut enim vobis ſtādū, aut illi vobiſcū cadēdū. Itaq; ſeu de auertēdis Romani imperij hoſtib⁹ cogitatis, vel de reb⁹ ad Germaniæ quietem, Europæ tranquillitatem orbis Chriſtiani ſalutem conſilia initis, ſi quid agendū, prouidēdū, maturandū eſt,

habetis Regem Chriſtianiſſimum, qui ſi quid gratia valet apud exteros, ſi conſilio & re iuuare poteſt apud omnes, id omne in Remp. collaturum ſanctè pollicetur, daturúmque operam promittit, vt facultatem potiùs quàm animum, in eo defuiſſe facilè iudicetis.

At nè vſûs remiſſione amicitia langueſcat aut torpeat, quotiès (Illuſtriſſimi & Clariſſimi viri) de rebus publicis conſultatur, more maiorum conuentus habebitis, Oratores, Legatos multo rerum vſu peritos ad vos mittere Rex Chriſtianiſſimus conſtituit, qui mentem Regiam, & conſilia in rem veſtram amica, & vt confidimus, non aſpernanda aperiant, ſi modò illis omnis offenſionis ſecuris pro veteris ſanguinis neceſſitudine, pro amicitiæ ratione, pro libertate Germaniæ & gentium iure, itinerum immunitas, & dicendi libera accedat facultas. Quam rem etſi à vobis cõceſſum iri non dubitamus, tamen Regis Chriſtianiſſimi nomine poſtulamus & cupimus. Diximus.

Legati Regis Chriſtianiſſ.

M. de Burdiglion:

C. Marcilianus Archiepiſcopus Viennenſ.

RESPONSVM AB IMPERij ſtatibus & Ordinibus Datum Gallicis Legatis 26. Aprilis, Anno LIX. *in præſentia Imperatoris, cæterorúmque principum & Statuum,*

Lectum ſecunda Maij.

SACRA Cæſarea Maieſtas, Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimíque, Reuerendi, Illuſtres, Generoſi, Spectabiles, & Magnifici Sacri Romani Imperij Electores, Principes, cæteríque Ordines, & abſentium Conſiliarij atque Oratores, mandata Chriſtianiſſimi Frãcorum Regis ex oratione veſtra(Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſ. Domini) ſuperioribus diebus habita, ac ſcripto oblata, intellexerunt: quidque Conſiliariis Electorum, Principum, cæterorumque Ordinum, Regis Chriſtianiſſimi voluntatem ſciſcitantibus de reſtitutione Meten. Tullen. Verdunen. Leodienſiſque Epiſcopatuum, Principtauum, & Ciuitatum, aliarumque ab Imperio auulſarum ditionum, inexpectati reſponſi dederitis, acceperunt.

Ac quod Rex Chriſtianiſſimus ad hũc Conuentum vos miſit. Cæſareę Maieſta-

ri gratulatũ, & eiſdem quibus ipſius Maieſtatẽ beneuolentiæ officiis Electores, Principes, Statúſq; proſequutũ: quodque lege à Maioribus ità accepta, legationem hanc ſuã cum Germaniæ Imperíique nationibus coniunctã eſſe velit, illa Cæſareæ Maieſtati, Imperíique Ordinibus ex Regis mandato audire, pergratum fuit. Cumque erga ſe ipſius Regis ex hac legatione beneuolentiã cognoſcant, viciſſim eidẽ ſalutem, felicitatem, ac omnia auſpicata precãtur, ac parem inſupèr beneuolentiam & amicitiam cum ſuæ benignę volũtatis ſtudio cõiunctã deferũt.

Præterea, ſi res ità poſtulârit, Cæſarea Maieſtas Imperíique Ordines de rebus quæ ad cõmunẽ ſalutẽ ac trãquillitatem pertinere videbũtur, cum Rege Chriſtianiſſimo, aliis Regibus & populis Chriſtianis cõſilia ſua cõferre non detrectabũt.

Germaniam ſuperioribus annis domeſtico bello exagitatam, fato temporique tribuendum, adeóque obliuione delendum eſſe putatur. Quòd verò fatalis illa bellorum lues ad Francos permeârit, & Reges potẽtiſſimi tanto armorum apparatu cõtenderint, certè Cæſareę Maieſtati, ordinibusq; Imperij ſũmopere ſẽper doluit, vel eã maximè ob cauſam, quod ex

his bellorum motibus ad Germaniam & reliquum Chriſtianum orbem nō exigua detrímenta redūdarint. Quæ enĩ occaſio & opportunitas Chriſtianis nationibus calamitoſum bellum inferendi, exteris à fide noſtra alienis præbita ſit, dum ipſi inter ſe Reges potētiſſimi ciuilibus quodammodo armis conflixerunt, ſenſit cū bonæ partis florentiſſimi olim Chriſtianiſſimíque regni Hungariæ internecione, aliorúmq; ſtrage & clade Reſp. Chriſtianorum. Quæ ſanè ſine maximo cuiúſque piè & rectè ſentientis animi mœrore ac gemitu vix cōmemorari poſſunt. Ac optandum erat, depoſitis animorū offenſionibus, Reges coniunctis viribus ab impia exterorum violentia, deflendóque interitu Chriſtianos populos vindicare, certò & verè affirmari poteſt, Germanos nihil maluiſſe, quàm pacem inter ipſos Reges dudum firmatam fuiſſe. Et Electores Principes ab initio conatos exorientem inter Carolum V. ac Franciſcum I. bellorum flammam extinguere. Quod literæ ad Franciſcum Regem id temporis ſcriptę, teſtātur. Electoresquoq; Principes ſuperiori anno in flagrāti bello ſtudiū ſuū ad pacem conciliandā vtriq; regi deferre cōſtituiſſe. Qui dū qua via res

explicandæ deliberarent, nunciatum Regios vtrinque Commiſſarios de pacificatione inter ſe tractare. Vnde id temporis Germania in ſpem ampliſſimam erecta, poſſe per ipſos Cõmiſſarios res abſque ſua opera ad quietem reduci. Quæ ſpes ne ipſos falleret, vehementer exoptarunt.

Cùm itaque pax firma nunc inita ſit, Deo Opt. Max. gratias agunt, vtriq; Regi adeóq; omnibus Chriſtianis nationibus gratulatur, & lætantur magnopere, pacẽ cunctis rebus anteferendam, tandem factam eſſe.

Ad hanc pacem fouendã, ſtabiliendam ac retinendam, quicquid Cæſarea Maieſtas Imperiíque Ordines poterunt diligẽtia ſua prouidere, ac ſtudio ſuo efficere, id haud quaquam vllo tempore prætermittent.

Sperant enim hac confirmata, deinceps coniunctis animis auxiliíſque, quod reliquum eſt regnorũ populorúmque Chriſti nomen profitentium, à crudelibus exterorum armis liberari, & amiſſa, pro virili recuperari poſſe.

Commemorata amicitię vincula, ſanguinis neceſſitudinem, & vtriúſque gẽtis paria ſtudia, Cæſarea Maieſtas, Imperiíq;

Ordines inter Regna ac prouincias vicinas,ad alendã conſeruandámq; amicitiã non minimi momenti exiſtimant, & per ipſos quidẽ nõ ſtabit ,quominus cõcordia interGermaniam Franciámque conſiſtat.

Eam orationis partẽ,qua Regis Chriſtianiſſimierga Cæſareã Maieſt.Imperiíque Ordines amicitia commonſtratur, & de Imperij Romani totiúſque orbis Chriſtiani incremẽtis prouehẽdis,promptus Regis animus oſtenditur. Cæſarea Maieſtas Imperiíq;Ordines amicè intellexerunt,gratiſſimáq; eſt ipſis hæcRegis propenſa voluntas,idcirco eidem amanter ac perquam officioſè gratias agunt. Et cùm exteri Chriſtiani nominis infeſtiſſimi,Pannonia deuaſtata, Germaniæ excidiũ meditẽtur,caſtra,arces & oppida occupẽt,villas exurẽt, prædas agãt quicquid hominibus charũ neceſſariũq; abigãt, homines deniq; ipſos cęde, & ſanguine prius exatiati,in deplorãdã ac proproſam ſeruitutẽ abripiãt, pollicẽtur ſibi Cæſarea maieſtas Imperiíq; Ordnes, regẽ eo ſua cõſilia auxiliáq; collaturũ, vt à Chriſtianis nationibus iſti remoueãtur, ac penitus repellantur.

Quod ad poſtremũ legationis veſtræ

caput attinet, eandem vobis petentibus ſecuritatem & fidẽ publicam non denegabunt, qua hactenus aliorũ Regũ exterarũq; nationum Legatis (cũ quibus nõ certare tantũ beneuolẽtię humanitatíſq; officiis, ſed & omnino in hoc genere ſtudij paria facere, ſi facultas detur, maximè cupiunt) ſacri Romani Imperij cõuentus odire cõceſſum eſt. Neq; enim vobis dubiũ eſſe debet, Cæſareã maieſtatẽ ſtatúſque Imperij & coniũctionis veteris & amicitiæ memores, facturos quæ grata pariter ac cõmoda Regi veſtro futura perſpexerint, ſi quod Regis veſtri nomine ſanctè recipitis, cõſilia ſacro Romano Imperio nõ aduerſa, ſed ad publicã Germaniæ tranquillitatẽ, libertatémq; cõſeruandã, & Imperij fines nõ minuẽdos, ſed amplificandos, augendos, tutãdóſq; pertinentia, in mediũ adferatis ac dirigatis. quã enim à neceſſitudinis amicitiæq; toties repetito fœdere alienũ, quãq; procul ab ingenuis promiſſis poſitũ, futurum ſit, ſi magnifica quis amicitiæ prædicatione verborúmque ſplendore, quã ipſa rerum præſtatione vti mâlit, à prudentibus æſtimari poteſt.

Nec dubitant, Regem Epiſcopatus, Principatus & Ciuitates Meteñ. Tulleñ.

Verduneñ. ac Leodieñ. bonam partem, aliáſque ab Imperio auulſas ditiones ſuperioribus annis occupatas, pro Cæſareę Maieſt. ac imperij Ordinũ voto ac poſtulatis Imperio reſtituturum. Quod ipſum factum eſſe, cùm eius animi ſit, quemadmodum nuper de eo teſtati eſtis, nolle eum Imperij dignitatẽ in aliquo labefactare aut imminuere, planè confidunt.

Quod ſi fuerit explicatum, Rex Chriſtianiſſimus quæuis amica beneuoláque à Cæſ. Maieſt. Imperiíq; ſtatibus ſibi polliceri poterit.

Verùm Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Domini, quia de hac reſtitutione nullũ vos mandatum habere dicitis, Cæſarea Maieſt. Imperiíq; Status & Ordines porro apud Regem Chriſtianiſſimum, quod res ipſa, æquitas, ac Imperij neceſſitas expoſtulat, agere non prætermittent.

INDEX ORATIONVM GRATVLATORIARVM AVT funebrium, hoc in libello contentarum.

AD Paulum II. Pont. Max. Oratio Bernardi Iuſtiniani Patricij Veneti fo. 6
Ad Xiſtum IIII. Pont. Max. eiuſdem Bernardi Iuſti. &c. 12
Ad Innocentium VIII. Pont. Max. Hectoris Fliſci oratoris Genuen̄. 25
Ad Innocentium VIII. Pont. Max. Ioānis Camerarij Dalburgij, epiſcopi Vormatien̄. Bauariæ Ducis nomine. 34
Ad Innocentium VIII. Pont. Max. Titi Veſpaſiani Strozæ Ferrarien̄. Ducis nomine. 43
Ad Alexandrum VI. Pont. Max. Iacobi Spinolæ I.C. Genuenſium nomine 49
Ad Alexandrum VI. Pont. Max. Iaſonis Maini I.C. Mediolanenſium principis nomine. 58
Ad Alexand. VI. Pont. Max. Gentilis Epiſcopi Aretini, Florentinorū nomine 71
Ad Alexandrum VI. Pont. Max. Angeli Politiani, pro Senenſium oratoribus 76
Ad Alexand. VI. Pont. Max. Nicolai Tygrini, pro Lucenſibus 82
Ad Fridericum Imp. & Maximilianum

Regem Rom. Hermolai Barbari 86
Ad Ludouicum Gallorum regem, Hieronymi Donati Patricij Veneti 96
Ad Ferdinandum Hiſpaniæ & vtriuſque Siciliæ regem, Marci Danduli Patricij Veneti
Ad M. Antonium Triuiſanum Venetiarum principem, Cynthij Ioan. Baptiſtæ Giraldi Ferrarienſium Ducis nomine. 110
Ad Franciſcum Venerium Venetiarum principem, Cynthij Ioan. Baptiſtæ Giraldi, Ferrarienſium Ducis nomine 117
In funere Innocentij VIII. Oratio Leonelli epiſcopi Concordieñ 128
In funere Franciſci Cornelij Cardinalis, Hieronym. Nigri 133
In funere Franciſci Gallorum regis, Cynthij Ioan. Bap. Gyraldi, ad Herculem Ferrarienſium Ducem 142
In funere Sigiſmundi Iagellonis Poloniæ regis Staniſlai Oricouij Rhuteni 157
In funere Nicolai Marcelli Venetiarum principis, Hermolai Barbari Patricij Veneti 205
In funere Leonardi Lauredani Venetiarum principis, Andreæ Naugerij Patricij Veneti 211
In funere M. Antonij Triuiſani Venetiarum principis, Bernardini Lauredani, Andreæ F. Patricij Veneti 236

In funere Franciſci Venerij Venetiarum principis, Bernardini Laured. Patricij Veneti 251
In funere Benedicti Piſauri, claſsis Venetæ Imperatoris &c. Oratio Gabrielis Mauri Patricij Veneti. 265
In funere Caroli Zeni Patricij Veneti, procuratoris S. Marci, Leonardi Iuſtiniani Patricij Veneti 270
In funere Zachariæ Barbari Patricij Veneti, Equitis, & procuratoris S. Marci, M. Antonij Sabellici 280
In funere Franciſci Faſeoli, magni Venetiarũ Cancellarij, Ioan. Baptiſtæ Rhamnuſij oratio 284
In funere Guidi Vbaldi Feretrij, Vrbini Ducis, Odaxij oratio 289
In funere Barthol. Liuiani, Veneti exercitus Imperatoris, Andreæ Naugerij patricij Veneti 328
In funere Franciſci Rubrij, apud Venetam Remp. Oratoris Regij, Victoris Fauſti Oratio. 345
In funere Benedicti Rugij, Alfonſi Neapolitanorum Regis apud Venetam remp. Oratoris, M. Antonij Sabellici. 356

APPENDIX.

In funere Maximiliani Imperatoris, Oratio Vdalrici Zaſij legum Doctoris 362
In funer Illuſtriſsimæ Blancæ Mariæ coniu-

gis Cæſareæ, Vdalrici Zarij oratio 369
Oratio funebris pro D. Carolò V. Rom. Imp. &c. Georgij Eder V. I. D. 372
Ad inuictiſsim. principem diuúmque Maximilianum Cæſarem &c. Oratio habita vniuerſitatis Friburgenſis nomine, Zaſio dicen 386
Triumphus, D. Ferdinando I. Ro. Imp. Inuictiſs. P. P. Auguſt. Archigymnaſij Viēneñ nomine pro felicibus Imperij auſpiciis renunciatus 390
Henrici II. Gallorum regis epiſtola ad Status Imperij apud Auguſtam congregatos 404
Legatorum Henrici Gallorum regis ad Status Imperij apud Auguſtam congregatos oratio 405
Reſponſio ſtatuum Imperij Auguſtæ congregatorum, ad orationem legatorum Regis Gallorum 411

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA